10·5·60

DE

APOSTOLICA ORIGINE

EVANGELIORVM

F. VINCENTII FASSINII

ORD. PRAED.
IN PISANA ACADEMIA
SACRARVM LITTERARVM P. P.

DE
APOSTOLICA ORIGINE
EVANGELIORVM
ECCLESIAE CATHOLICAE

LIBER SINGVLARIS
ADVERSVS NICOLAVM FRERETVM

LIBVRNI MDCCLXXV.

Ex Typographio ENCYCLOPEDIAE.,
Superiorum Facultate.

PETRO LEOPOLDO
REGIO PRINCIPI
HVNGARIAE ET BOHEMIAE
ARCHIDVCI AVSTRIAE
MAGNO DVCI ETRVRIAE
&c. &c.



AVCTOR OBSEQVENTISSIMVS.

CVM primum coepi in florentiſſima Piſana Academia iuſſu tuo & auſpiciis, PETRE LEOPOLDE MAGNE DVX, ſacras Litteras

profiteri, nulla mehercle vehementior animum subiit cogitatio, quam id esse a me omni opera atque studio contendendum, ut eas non explicarem modo, & pro viribus interpretarer, sed ut illarum potissimum adversus eos tuerer praeclaram originem & veritatem, qui hac nostra tempestate frequentius licentiusque facto veluti agmine coelum vituperant, ut sibi sapere videantur. Nam quum Te & sapientissimum, & religiosissimum esse Principem omnium pene Gentium litteris & linguis constet, ob idque Exteri tantam sine crimine invideant Etruriae felicitatem & gloriam, facile intelligebam nihil me hominem minime ingratum, nec officii prorsus immemorem, aut intensius velle debere, aut praestare iucundius posse, quam illarum exornare vindicias Litterarum, quae cum sapientiam omnem, tum Religionis praestantiam complectuntur. Ea propter cum de Apostolica Evangeliorvm Ecclesiae

Catholicae Origine adverſus hominem critices intemperantioris dixiſſem aliquando, viſum inde eſt diſputationem paullo latius extendere, eamque Auguſto tuo inſignitam nomine in vulgus emittere; cum ceteris nimirum fortunis meis ſingulare hoc etiam a Clementia tua beneficium acceſſiſſet. Ac ea maius quidem longeque praeſtantius Opus ab eo praeſertim poſtulaſſet, quem obſcurum licet & tenuem tot tamen praeſtantiſſimis Piſani Athenaei Viris adiunctum eſſe voluiſti: ſed vero ſi primum hoc mearum in Academia contentionum ſpecimen Tibi haud diſplicuiſſe comperero, fiet fortaſſe ut vires meas tam exiles ſuperem aliquando, unde ſin minus docendo ſcribendoque ſatis voluntati tuae reſpondere poſſim, illud ſaltem acriore cura, & diligentia conſequar, ut maxime utrumque videar voluiſſe.

Si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio; ab initio quod ab Apostolis; pariter utique constabit id esse ab Apostolis ***traditum***, *quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum.*

Tertull. Lib. IV. c. Marcion. Cap. V.

SYNOPSIS.

EVANGELIORUM APOSTOLICA ORIGO *temere hoc praesertim saeculo in controversiam adducta. Nicolai Frereti propositum eiusque difficultates repellendi consilium declaratur pag.* 1. *& seqq. Putat Ecclesiae initiis sectas a J. C. Discipulis fuisse conditas, quae cum Apostolicae doctrinae, tum Evangelicae historiae repugnarent.* I. 5. *Celsum hac ratione imitatus est; adversus quem probat Origenes sectas Christianismi praestantiam & dignitatem potius monstrare. Recte sentientium fidem haereses prodiderunt; quod ex sacris Litteris Origenes, & Lactantius explicant* II. 8. *& cum iis Justinus & Tertullianus* III. 14. *Illustrantur haec ex eodem Origene, tum Joanne Chrysostomo. Origo sectarum inter Judaeos innuitur* IV. 17. *Delirat Freretus dum sectarios ab se commemoratos Christianis accenset. Nullus hoc in censu numeratus fuit, qui Symbolum Apostolicum adulteraret* V. 22. *Qui sese nascenti opposuere Christianismo non alterius a Christo fundatae Religionis meminere quam illius quae Institutoris sui cum divinitatem, tum a mortuis resurrectionem praedicaret* VI. 25. *Christum sola corporis specie illuxisse terris Gnosticorum delirium fuit, a Frereto tamen iactatum, quod profanorum Scriptorum auctoritate refellitur* VII. 27. *Nulla earum sectarum, quarum Freretus meminit, J. C. aut Apostolorum discipulos habuit Auctores* VIII. 31. *Paucissimi primo saeculo fuerunt haeretici, ut Patrum testimonia declarant, quae explicantur* IX. 34. *Apostolorum metu deterriti in antris plerumque delituerunt* X. 40. *Simon Magus historiam Evangelicam deformavit* XI. 45. *Gnosticorum*

commenta exponuntur, *& origo declaratur* XII. 52. *His praeiverat Simon* XIII. 56. *Quem Gnosticorum parentem fuisse verisimile est* XIV. 58. *Ne divinitatem inficiarentur*, *verum J. C. eripuere corpus* XV. 65. *Hos vix exortos viri Apostolici suis Epistolis confixere* XVI. 68. *Gnosticorum commenta inepte advocavit Freretus*, *ut primitivos Christianos Historiae Evangelicae contradixisse persuaderet* XVII. 72. *Tam Veteri*, *quam Novo usi sunt Instrumento*, *eorumque interpretationes Historiae non obsunt veritati* XVIII. 75. *Non omnes Gnosticos Christi e Virgine nativitatem*, *& a mortuis resurrectionem negasse ex Irenaeo colligitur* XIX. 80. *Cerinthi errores referuntur*, *quem tamen Jesu resurrectionem fassum fuisse demonstratur* XX. 83. *Unde dogmata hauserit inquiritur*, *& quam inepte cum suis Matthaei Evangelio usus fuerit ad J. C. e Virgine nativitatem denegandam palam fit* XXI. 87. *Ebionitas pariter inepte inter Christianos numeravit Freretus*, *& ad dicendam caussam protulit* XXII. 92. *Horum sectae adhaesit Symmachus*, *quem an adversus integrum Matthaei Evangelium stilum acuerit investigatur*, *& nonnulla de Ebionitarum in sacris Litteris suscipiendis varietate & inconstantia proponuntur* XXIII. 95. *Non omnes Ebionitae Christi e Matre Virgine ortum & a mortuis resurrectionem inficiati sunt* XXIV. 105. *Male cum Ebionitis Nazareni iunguntur*, *quos de J. C. divinitate recte sensisse plura argumenta persuadent* XXV. 106. *Quae contra attulit Moshemius excutiuntur* XXVI. 113. *Primo saeculo nulla inter eos*, *qui Apostolorum discipuli dici possent*, *extitit de J. C. divinitate contentio* XXVII. 118. *Cui veritati ac dogmati non officiunt paucorum deliramenta Ebionitarum qui ineptis de caussis a ceteris secesserunt* XXVIII. 124. *Basilides inter Historiae Evangelicae & Christi doctrinae legiti-*

mos testes haberi non potest. Docuit pleraque cum suis adseclis ab Apostolorum commentariis accepta XXIX. 130. *Fuisse a Glaucia S. Petri interprete institutum eius adseclae gloriabantur. Quod expenditur, & Frereti caussam nullo pacto promovere posse sit manifestum* XXX. 137. *Aeque absurde Carpocratianos in scenam idem produxit* XXXI. 144. *De his verisimilius intelligenda est Epistola Hadriani Imp. ad Servianum Consulem*. XXXII. 150. *Et de Basilidianis etiam* XXXIII. 159. *Longe ab istorum moribus & disciplina distabat institutio vere Christianorum* XXXIV. 162. *Quibus propterea convenire non possunt, quae in memorata Epistola recensentur* XXXV. 167. *Cainitas inter Christianos absurdissime habuit Freretus* XXXVI. 175. *Quemadmodum & Marcionitas, qui ineptis de caussis aliquot Evangelia contemserunt* XXXVII. 179. *& Alogos de quorum stoliditate in Joannis Evangelio reiiciendo nonnulla notantur* XXXVIII. 192. *Integrum Canonem Scripturarum Valentinus tenuit cum discipulis, qui magistrum a Theodade S. Pauli discipulo edoctum fuisse inepte effutierunt* XXXIX. 206. *Gnostici divinitatem J. C. fassi sunt, de qua inter omnes Christianos semper convenisse rursus ostenditur* XL. 210. *Qui contra senserunt veniam in Ecclesia nunquam sunt assecuti. Cur haeretici appellati sint Christiani explicatur* XLI. 219. *Diverso prorsus modo Christiani & haeretici sua dogmata protulerunt* XLII. 233. *Horum plurimi Authenticitatem nostrorum Evangeliorum agnovere. Eorum qui dissenserunt auctoritas conferri non debet cum Ecclesiarum omniumque Christianorum consensu: qui Augustini praecipue testimoniis extollitur* XLIII. 241. *Eadem veritas ex Patrum citationibus eruitur, quas iniuria vexavit Freretus. Auctor Epistolae S. Barnabae Matthaei Evangelium ut divinitus inspiratum laudavit* XLIV. 257.

Apostolicam originem Evangeliorum agnovit Clemens I. in Epist. I. ad Corinthios, de cuius apud Veteres praestantia differitur XLV. 267. *Citavit Evangelium* secundum Aegyptios, *quod tamen Frereti caussae non suffragatur* XLVI. 272. *In secunda Epistola ad Cor. non laudavit apocrypha Evangelia, ut modus persuadet secundum quem Patres Scripturas laudarunt* XLVII. 289 *Testis pariter est praeclarae originis nostrorum Evangeliorum S. Ignatius M. contra ac Freretus nitatur ostendere* XLVIII. 303. *Tum Polycarpus* XLIX. 316. *Paucitatis monumentorum Aevi Apostolici caussae indicantur, & ante Justinum M. Evangelia sub nominibus Evangelistarum laudata fuisse demonstratur* L. 321. *Afferuntur aliorum PP. testimonia, & illustrantur, Irenaei praesertim* LI. 342. *Tum Clementis Alexandrini, Origenis, & Eusebii* LII. 355. *Praeter externa Authenticitatis argumenta, interna etiam ad eam stabiliendam firmandamque concurrunt* LIII. 367. *Veteres Praesules Ecclesiarum notas certas habuerunt, quibus genuina Evangelia a spuriis discernerent. Has esse consectatos, & summa diligentia in librorum examine processisse, qui ferrent nomina Apostolorum, constat* LIV. 376. *Apocrypha scripta studio praecipue Gnosticorum procusa sunt* LV. 391. *Immerito Acta Pilati ad Tiberium, quae Justinus & Tertullianus memorarunt, confinxisse Christiani dicuntur. Neque Justinus, neque Theophilus Antiochenus reprehendendi videntur quod Oracula Sibyllina tanquam prophetica extulerint* LVI. 414. *Praeter heic breviter sub quoque libri capite indicata alia non pauca tractari rerum sacrarum perstudiosi facile comperient, quibus otium fuerit haec nostra percurrere, quae & ut Freretus refelleretur, & ut aliis nonnullis quaestionibus, rebus pertractandis affinibus, lux pro ingenio accederet, fuere conscripta.*

DE

DE
APOSTOLICA ORIGINE
EVANGELIORVM
ECCLESIAE CATHOLICAE
LIBER SINGVLARIS
ADVERSVS NICOLAVM FRERETVM.

Inter tot Sacrae Antiquitatis Monumenta, de quorum origine & auctoritate quisquam difficilius pravam aliquam ad animum opinionem possit admittere, merito Viri omnium aetatum Eruditissimi quatuor Evangelia retulere, quae a Matthaeo & Marco, tum Luca atque Joanne divino adflante Spiritu conscripta ipsis Ecclesiae initiis in vulgus edita sunt, nempe non longe post obitum Christi, cum jam divina gratia roborati Apostoli novae Legis Mysterium Judaeis primum, deinde Orbi universo promulgarent. Ecquis enim Criticorum sani capitis de librorum Auctoribus prudenter dubitare queat, quos ab iis fuisse editos, quorum praeclaro nomine refulgent vel ipsi ferociores doctioresve christiani nominis hostes agnovere? Quis nisi insanus plane & cerebrosus divina ausit aspernari Commentaria, quae per septemdecim jam saeculorum decursum omnium honori, atque admirationi sunt habita? Sed ea est praesentium

temporum conditio, ea hodie exercendae criticae facultatis & omnia emendandi corrigendique prurigo, is denique Religionis divexandae perturbandaeque furor, ut dum aliquis acuti Critici, feverique Cenforis palmam ferat, fibi jam licitum effe putet contra certiores quafque hiftorias dubia excitare, atque vel in ipfa facratiora Chriftianae Societatis documenta ita impudenter debacchari non vereatur, ut aequiori ratione eam calamitatem in Ecclefiam nunc temporis graffari dici poffit, quam elapfo faeculo eamdem inceffiffe doctiffimus Huetius verbis hifce querebatur (1): *Ea eft aetatis hujus corruptela, ut fi quis praeter folitum fapere videri velit, tum id fe adepturum fperet, cum vaticiniis Prophetarum, & Chrifti fanguine ac miraculis fundatam Religionem, tot Gentium confenfu receptam, tot Virorum doctorum lucubrationibus affertam, magna fibi cura a Parentibus traditam, nec penitus tamen fibi perfpectam, homo in ejus gremio natus & educatus, mediocris fortaffe ingenii, parum doctrina, temeritate fatis inftructus, peffumdat, & fic tanquam fubdolorum hominum figmentum, errorem ftolidorum, folertiorum ludibrium traducit, ac proculcat. Quod fi quis rem maturiori difquifitione dignam cenfet, ad ejufque examen plus aliquanto vel folertiae confert, vel eruditionis vel diligentiae; fic fere tamen ab animo paratus accedit, ut quantumlibet futile argumentum, divinationem, fufpicionem, conjecturam, rumorem, fophifma adverfus Religionis Chriftianae veritatem valere velit; pro eadem nullus idoneus videatur teftis, nullus Auctor fatis locuples, nulla fatis firma probatio, vixque tan-*

---

(1) Praefat. ad Dem. Evang.

dem ἀποδεικτικοῖς epicherematis, ac ne vix quidem, difficilis ac fastidiosus disceptator concedat. In hujusmodi trutina examinata Religio, justo quippe apparet esse levior levibus, & iniquis ingeniis. Atque hoc porro nequitiae omnis seminarium est. Quo enim non se proripit, ac projicit cupiditas, cum despicatui habetur criminum inspector ac ultor Deus? Horum Scriptorum numerum infeliciter auxit Nicolaus Freretus in libello inscripto (1): *Examen criticum Apologistarum Religionis Christianae*, quem post ejus fata nonnulli pessime hominis multa eruditione celeberrimi memoriae consulentes typis Genevensibus pluries ediderunt. In quo quidem specie juvandae Religionis excitandique novos vindices ad illius veritatem magis magisque comprobandam, revera inter alia in id unum videtur incubuisse, ut Apostolicam Evangeliis nostris eriperet originem, atque persuaderet esse illa iis scriptionibus accensenda, quas ipso judice Christiani primi temporis confinxerunt, ut Christo Domino, institutaeque ab eo Religioni famam decusque conciliarent. Sic cum e re fuisset Christianorum omnem ingenii aciem atque nervos intendere, unde librorum Apostolicorum cum origo praeclara, tum auctoritas ab impiorum conatibus sarta tectaque servaretur, in eo potius aliqui toti fuisse videntur, ut evertere utrumque perversissime studerent; suoque confirmarent exemplo esse verissimum, quod Isaacus

---

(1) *Examen critique des Apologistes* de la Religion Chretienne par *M. Freret*, *sécrétaire pérpétuel de l'Academie des Inscriptions & Belles-Lettres* MDCCLXVII.

Vossius (1) in haec verba scribebat: *Profecto nullos Religio Christiana infensiores habet hostes quam ipsos Christianos, cum vix ullum apud Antiquos de Christo aut vaticinium, aut testimonium invenias, quod non complures etiam doctissimi viri labefactare aut etiam evertere fuerint conati*. Nempe Frereto minus audax ac temerarium visum est Josephi Scaligeri consilium qui Herodianum infanticidium fuisse a Christianis confictum, Matthaeique adsutum Evangelio, praecipiti sententia pronuntiavit; leve fuisse nec porro multum J. C. divinitati injurium nonnullorum facinus judicavit, qui furore quodam nefario atque audacia instincti totam Magorum historiam ab eodem Evangeliste descriptam inter fabulas numeravere: sed eo usque criticen urgere voluit suam homo in Petri Baelii lucubrationibus diu multumque exercitatus, unde a capite ad calcem, ut ajunt, Evangelia Ecclesiae Christi in dubium vocarentur, atque ita non sine insigni saeculi ludibrio, & disciplinae longe nobilissimae praeceptionum abusu, obscurorum aliquot cum veteris, tum recentis memoriae Scriptorum deliria reviviscerent, qui illa Apostolica Monumenta procaciter contemserunt; quasi praeclara illorum origo immerito jactaretur, locusque esset amplissimus dubitationi. Ita fit, ut hominum industria minus jam in tanta bonarum Artium & Litterarum luce adversus subdolas artes Criticorum, quibus olim errorum monstra in omne Disciplinarum genus invecta sunt invigilare debeat, quam adversus quorumdam immanem intemperantiam, qui ad

(1) De Sybill. Oraculis cap. IX.

humanam fidem penitus labefactandam artis criticae decretis impudenter abutuntur. Ac ſententiam quidem ſuam, quia perverſam & abſurdam Voltaerio cum primis, Firmino Abauzitio, aliiſque adprobavit Freretus, nec dubitandum quin iſti auctoritate ſua, quam apud leves plerumque, imperitoſque aeſtimatores rerum ſunt conſecuti, eamdem ſint in alios opinionem tranſlaturi. Cui incommodo proinde, ut ipſe pro ingenio occurrerem, caeteris praetermiſſis, quae in libello ſuo conſarcinavit ille, ut oſtenderet inepta eſſe, neque ad perſuadendum idonea quae hactenus plerique illuſtres Apologiſtae Religionis Chriſtianae ad hujus veritatem oſtendendam attulerunt, unica in diſputatione verſari conſtitui, atque ita Apoſtolicam noſtrorum Evangeliorum originem tueri, ut omnes diſſipentur nebulae iniquae ſuſpicionis, quas idem in rem teſtatiſſimam intentiori contentione inferre conatus eſt. Quod conſilium omnes, ita uti reor, Religionis rerum non incurioſi aequi bonique conſulent; nam cum tot eruditi Viri quotidie nitantur qua Eccleſiaſticis qua profanis Auctoribus genuinos libros adſerere, turpe eſſet ſi in vindicanda origine Evangeliorum, pro quibus ſervandis tuendiſque tot olim noſtri Majores occubuerunt aut pauci admodum reperirentur, aut vero etiam eſſent, qui hujuſce generis copiam vindiciarum in grandi infectorum librorum colluvie opportunam minus cenſerent, vel etiam accuſarent.

I. Itaque queritur, alteque dolet initio Freretus, hanc de Evangeliorum αὐθεντία atque origine quaeſtionem, adeo caeteroquin eſſentialem magnique momenti, ab Apologiſtis Chriſtianae Religionis nimis fuiſſe neglectam, ceu quam ii habuerint potius

praeconceptam, quam accurate diligenterque pertractarint; cum tamen duae adhuc praeter alias explicandae solvendaeque difficultates supersint tanti ponderis ac momenti, ut vel acutiora possint ingenia commovere. Quas idcirco e re sua esse ducit in medium adducere, unde aliqui ad eas enodandas excitentur. (1)

---

(1) Chap. I. Cette question si essentielle semble avoir été trop negligée par les Apologistes Chretiens; ils l'ont plutôt supposee qu'ils ne l'ont traitée exactement. Ce n'est pas qu'elle soit sans difficultes; il y en a deux entr'autres qui semblent faites pour arrêter les meilleurs esprits. On va les mettre ici dans tout leur jour; peut-être rendra-t-on par la service à la verité; c'est du moins le but qu'on se propose. Chacun sait que dès le premier siecle de l'Eglise les disciples de J. C. se partagerent en differentes sectes, qui, quoiqu'opposees de sentimens, se reunissoient toutes à se dire Chretiennes. Elles se croyoient toutes egalement intéressees à la gloire de leur Legislateur. Plusieurs chefs de ces differens partis avoient vu J. C. Or parmi ces temoins si anciens, il y en avoit plusieurs qui faisoient profession de regarder comme fausse la doctrine que l'on trouve enseignee dans les Evangiles qui nous restent presentement & les traditions, qu'ils ont laissees après eux, sont entierement contraires à ce que nous lisons dans nos livres sacrés; c'est ce qu'on va justifier par le detail suivant. Les Gnostiques qui sont si anciens, que les Peres ont crû que S. Paul les avoit connus s'accordoient tous à nier ce que dit S. Jean que le *Verbe s'est fait chair*. Ils prétendoient que le Verbe de Dieu & le Christ avoient paru sur la terre sans s'incarner, sans naître de la Vierge, sans avoir de corps qu'en apparence, sans souffrir réelement, & par consequent sans ressusciter &c.

Primam difficultatem ex eorum auctoritate atque dogmatis depromit, qui Ecclesiae exordio doctrinam Catholicam, atque Evangelicam historiam suis commentis corruperunt, eamque ita fere proponit. Neminem latet, inquit, primo Ecclesiae Saeculo Jesu Christi Discipulos se se varias in sectas divisisse, quae etsi oppositas planeque sibi adversas sententias defenderent, in hoc tamen conveniebant singulae, ut se cum *Christianas* vocarent, tum vero crederent aequali se Legislatoris sui augendi nominis propagandaeque famae desiderio, atque proposito teneri. Cum porro plures harumce sectarum Coriphaei Jesum Christum viderint audiverintque, nemo inde ambigat, quin Christianae doctrinae, atque historiae integri incorruptique testes haberi possint ac debeant. Sed vero, inquit, tot inter testes adeo vetustos plures extitisse, qui falsi damnarint illam doctrinam, quam nos Evangeliorum auctores Apostolos edocuisse creditur, comperta atque explorata res est, confirmarique mirifice potest traditionibus ab iisdem relictis, quas cum iis pugnare prorsus videas, quae in nostris sacris libris memorantur. Hi homines igitur, qui contraria scriptis, quae Apostolica nuncupantur, dogmata tuebantur, non putabant eadem ab Apostolis mandata fuisse monumentis litterarum. Et certe cum principes diversarum sectarum, quae Ecclesiae incunabulis ex Discipulis Christi coaluere, nonnulli Christum Dominum veram haud assumsisse carnem docuerint, alii eumdem a mortuis surrexisse inficiati sint, ac purum putumque hominem habuerint, alii denique alia admiserint evangelicae historiae doctrinaeque adversa; quis non inde colligat, illos omnes horum professione dogmatum abjecte de Evangeliis

fenfiffe, neque credidiffe eorum opus effe, quorum nominibus fulgent? Quae Gnofticorum cumprimis, inde Marcionis, Cerinthi, Valentini, Bafilidis, aliorumque fectariorum, ut videbimus, fententiarum expofitione ftabilire nititur, unde concludat numerum ingentem primorum Chriftianorum Evangelia contemfiffe, nullamque eorumdem habuiffe rationem.

II. Quum mihi in hoc opere unum illud propofitum fit binas a Frereto adductas difficultates convellere, atque Apoftolicam Evangeliorum originem iis momentis ftabilire, quae robuftiora videntur, non quaeram an omnia quae Apologiftae quidam a Frereto reprehenfi in medium protulerunt, nullis fint exceptionibus obnoxia, cunctaque fint paris roboris ac momenti, quod longiffimae effet difputationis, fed illud tantum admonebo eos Apologiftas fatis comprobaffe, quod fibi propofuerant; Freretum vero cum in hoc capite de origine Evangeliorum, tum in caeteris callide verfatum effe, atque diffimulatis aliquando invictiffimis argumentis in nonnullis expendendis operam pofuiffe, quae aliis licet juncta animadverfionibus plurimi effent facienda, a reliquo tamen corpore divulfa, non adeo firma videbantur, fed ea quae critici hominis obfervationibus vexata levis animi judicibus perfuaderent, Apologiftas plus iis, quam par erat, virium tribuiffe. Ut ipfe igitur meas Evangeliorum vindicias exordiar, ajo cumprimis videri mihi Freretum ea in ratione differendi, cujus fpecimen exhibere coepi, Religionis chriftianae inimicum vetuftiffimum, Celfum nimirum fibi ad imitandum propofuiffe, ut recentiores quofdam alios, Tolandum praecipue, praeteream. Ut enim ille ex numero eorum, quos fa-

ctis

ctis dictisque Christi in Evangeliis memoratis contradixisse arbitratur, esse colligendum monet, eos non credidisse vera esse quae in Evangeliis enarrantur, adeoque haec Apostolorum esse opus negavisse; sic Epicureus Philosophus olim abusus est numero Sectarum, ut Ecclesiam ejusque doctrinam laceraret; quemadmodum est ab Origene memoriae proditum, apud quem ille sic loquitur (1): ***Principio cum pauci essent, una sententia erant; sparsa autem eorum multitudine, statim divisi in partes secantur, & quod cupiebant ab initio, suam quisque factionem habet*** Noverat nimirum homo astutus, sed mendax & Religionis, quam impugnandam susceperat, ignarus, paucitatem a mortalibus solere contemni, dissensiones autem diversasque de Religione sententias ad eam confirmandam conducere non posse. Itaque paucos Christianos initio extitisse non dubitavit asserere; cumque mirifice auctam rem Christianam fuisse negare non posset, quod id satis suo praesertim tempore constaret (vixit enim ut aliqui putant sub Hadriano) objecit divisiones tum natas esse cum crevisset, quasi falsa ea Religio esset, seque proinde ipsam sustinere nequiret. Quo in commento Celsum minus quam Freretum impudentem fuisse quivis agnoscit; nam cum ille tum solum sectas ex Christianismo esse ortas dixerit cum crevisset, iste contra statim id contigisse eorum opera & studio, qui J. C. vidissent, scriptitavit. Atqui Origenes, cui Christianismi primordia progressusque erant probe

(1) Lib. III. c. Celsum num. 10.

comperti, tam insolenter mentiri Celsum non tulit, sed operam navavit diligentem, ut intelligeret quisque quanto in errore Epicureus ille versatus fuisset, ac primo quidem quantopere discessisset a veritate, dum initio paucos fuisse Christianos statuerat. *Manifestum quidem est*, ajebat Adamantius, *paucos initio fuisse Christianos si comparentur cum multitudine, quae consecuta est. Quamquam non omnino pauci erant. Hinc enim conflata est Jesu invidia* (1) *& Judaei, ad constituendas illi insidias excitati sunt, quod ipsum in solitudine multitudo sequeretur, modo quinquies mille, modo quater mille hominibus illum affectantibus praeter mulieres & pueros.* Inde quam inepte ille idem ex sectis argumentaretur, ut praeclaram labefactaret Christianorum unam in fidem consensionem, aptissimis exemplis ex aliis disciplinis depromtis, ex quibus etiam opiniones diversae sectaeque prodierunt, ostendit inquiens (2): *Ad hoc respondebimus de nulla re natas esse sectas dissimiles, quin ejus praeclara fuerit, & vitae utilis institutio. Itaque quoniam utilis, imo necessaria Generi Humano medicina est, & in ea multiplex de corporum curandorum ratione agitatur quaestio, ob hanc rem plurimae apud Graecos, id quod in confesso est, in Medicina sectae exortae sunt; puto ego & apud Barbaros, quotquot Medicinam adhibere profitentur. Sic etiam Philosophia veritatem, & rerum quae sunt cognitionem pollicens, quia praescribit quomodo vivere oporteat, & quae nostro Generi utilia sunt docere conatur; hae autem res in multas quaestiones distrahun-*

(1) Math. XIV. 21. XV. 38.
(2) l. cit. num. 12.

tur, propterea abierunt Philosophi in sectas quamplurimas, quarum aliae celebriores fuerunt, aliae obscuriores. Item in Judaismo sectis occasionem praebuit diversa Mosaicorum scriptorum, sermonumque Propheticorum interpretatio. Non diversam propterea de Ecclesia Christiana doctrinaque sententiam esse ferendam inde pronunciat, tantumque abest, ut sectas ex Christianismo ortas Fidei Catholicae labem inferre posse ullam putet, ut contra ex iisdem Christianae Religionis praestantiam, atque utilitatem eruendam velit: *Simillime*, prosequitur Origenes, *quoniam Christianismus praeclarum quid visum est hominibus, nec solum servili ingenio, ut Celsus putat, sed etiam multis apud Graecos eruditis, ideo necessum fuit ut sectae oborirentur, non propter contentionis & seditionis studium, sed quod ex eruditis plurimi mysteria Christianismi intelligere studerent: qua ex re factum est, ut diverse intellectis sermonibus, quos omnes ex aequo pro divinis habebant, existerent sectae, iisque nomina darentur eorum, qui quidem admirabantur hujus doctrinae institutionem, sed quibusdam verisimilibus causis qualitercumque movebantur, ut a se invicem diversa sentirent. Atqui neque Medicinam recte quis fugerit propter sectas in ea exortas, neque servaverit illud quod deceat, qui Philosophiam odio habebit hoc nomine quod multas sectas pepererit. Neque ob sectas inter Judaeos exortas damnandi sunt sacri Mosis & Prophetarum libri.* Tandem Celsum admonet constitisse Divinorum Scriptorum oraculis, quod essent sectae exoriturae, eumque ignorantiae damnat, quod sectarios nescio quos cum vere Christianis imperite confudisset. *Haec si pulchre procedunt*, inquit (1),

(1) l. cit. num. 13.

quidni pari modo Christianorum sectas excusabimus? De his quidem admirabile mihi videtur istud Pauli pronunciatum (1): Oportet & haereses esse in vobis, ut qui probati sunt manifesti fiant. *Quemadmodum enim is demum in Medicina probatus est, qui in diversis sectis versatus, diligenterque perscrutatus, potiorem elegit, & in Philosophia vere proficit, qui potiori sententiae ante non adhaeret, quam se in plerisque aliis exercuerit, ita dixerim ego sapientissimum esse Christianum, qui Judaeorum, & Christianorum sectas accurate perspectas habet. Quisquis autem nostram doctrinam propter sectas vituperat, vituperare is debet & doctrinam Socratis, e cujus schola multae natae sunt aliae minime inter se consentientes, nec Platonis dogmatis parcet, cujus Aristoteles placita deseruit, novis excogitatis opinionibus, ut supra diximus. Caeterum videntur mihi Celso in notitiam venisse quaedam sectae, quae ne Jesu quidem nomen commune nobiscum retinuerunt. Forte audivit de iis, qui vocantur Ophiani, & de Cajanis, & si qua alia secta fuit, quae a Jesu per omnia recederet. Verum nihil inde contra Christianorum doctrinam.* Haud absimilia de haeresibus sectisque ex Christianismo malorum hominum studio conflatis Patres alii tradiderunt, Lactantius praesertim, cujus hujusmodi sententia fuit (2): *Ante omnia scire nos convenit & ipsum Christum & Legatos ejus praedixisse, quod plurimae sectae haberent existere, quae concordiam sancti corporis rumperent, ac monuisse ut summa prudentia caveremus, ne quando in laqueos & fraudes illius adversarii nostri, cum quo*

---

(1) I. Cor. II. 18. 19.
(2) Inst. Divin. lib. IV. num. 50.

nos Deus luctari voluit, incideremus. Tum dedisse certa mandata, quae in perpetuum custodire deberemus. Quorum plerique immemores, deserto itinere Coelesti, vias sibi devias per anfractus, & praecipitia condiderunt, per quas partem plebis incautam, & simplicem ad tenebras mortemque deducerent. Quod quatenus acciderit eodem loci sic exponit: *Fuerunt quidam nostrorum vel minus stabiles fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui dissidium facerent unitatis, & Ecclesiam dissiparent. Sed ii, quorum fides fuit dubia cum Deum nosse se, & colere simularent, augendis opibus, & honori studentes, appetebant maximum Sacerdotium; & a potioribus victi, secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre Praepositos quibus concupierant ipsi ante praeponi. Quidam vero non satis Litteris coelestibus eruditi, cum veritatis accusatoribus respondere non possent, obiicientibus vel impossibile vel incongruens esse, ut Deus in uterum mulieris se includeret; nec coelestem illam Majestatem ad tantam infirmitatem potuisse deduci, ut hominibus contemtui, derisui, contumeliae, & ludibrio esset, postremo etiam cruciamenta perferret, atque execrabili patibulo figeretur: quae omnia cum neque ingenio, neque doctrina defendere, ac refutare possent (neque enim vim rationemque penitus pervidebant) depravati sunt ab itinere recto, & coelestes Litteras corruperunt, ut novam sibi doctrinam sine ulla radice ac stabilitate componerent.* Memorat post haec praecipuos quosdam Conditores sectarum, quos e numero censuque Christianorum etiam esse excludendos monet inquiens. *Nonnulli autem falsorum Prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri Prophetae & ipse Christus praedixerat, exciderunt a doctrina Dei, & traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes daemoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere, & cavere debuerant, Divinum nomen & cultum per*

imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges & Novatiani, aut Valentiniani & Marcionitae aut Anthropiani seu quilibet alii nominantur, Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso humana & externa vocabula induerunt. Denium concludit vir gravissimus, verum Dei cultum veramque Religionem penes solam Ecclesiam Catholicam esse, ad quam coetus sectaeque haereticorum pertinere non possunt. *Sola igitur Ecclesia Catholica est, quae verum cultum retinet. Hic est fons veritatis: hoc est domicilium fidei: hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exierit, a spe vitae & salutis aeternae alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita & salute, cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique coetus haereticorum se potissimum Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est confessio & poenitentia, quae peccata & vulnera quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat.* Quae Lactantii exscripta hactenus testimonia produnt ex parte originem sectarum, & a nobis infra uberius explicabuntur, cum de singulis haereticis a Frereto laudatis sermo instituetur.

III. Extat etiam eadem de re apud Justinum Martyrem locus insignis; obiicienti enim Tryphoni multos se ex numero vidisse Christianorum, qui licet Christi nomen profiterentur, Simulacris tamen Deorum immolata manducarent, eo quod se nihil iis laedi inquinarique putarent, sic ille reponebat (1):

(1) Dialog. cum Tryph. num. 35,

Ex eo etiam quod ejusmodi extent homines, qui se esse Christianos profiteantur, & Jesum qui crucifixus est, Dominum & Christum confiteri, nec tamen illius doctrinam teneant, sed eam quae est a spiritibus erroris: nos qui verae ac purae Jesu Christi doctrinae discipuli sumus, firmiores in fide & constantiores simus in spe ab eo nuntiata. Quae enim in suo nomine eventura praedixit, ea oculis & effectu ad exitum perducta cernimus. Dixit enim (1) multi venient in nomine meo, extrinsecus ovium pellibus induti, intus autem sunt lupi rapaces. *Et* (2) erunt schismata & haereses & (3) cavete vobis a pseudoprophetis, qui venient ad vos, extrinsecus induti pellibus ovium, intus autem sunt lupi rapaces & (4) exsurgent multi pseudochristi & pseudoapostoli & multos Fidelium seducent. *Sunt igitur, Amici, & fuerunt multi, qui impia & nefanda dicere ac facere docerent in nomine Jesu prodeuntes, suntque a nobis appellati ex eorum nomine, a quibus secta quaeque, & opinio ortum habuit. Alii enim alio modo in Deum universorum, & in eum, quem venturum praedixerat, Christum, & in Deum Abrahae & Isaac & Jacob blasphemias docent. Cum horum nemine communicamus. Cum Atheos, & impios esse, ac injustos, & exleges sciamus, ac Jesum minime colere, sed verbis tantum confiteri. Atque illi quidem non secus ac qui in Gentibus nomen Dei operibus manufactis inscribunt, ita Christianos se esse dicunt,*

---

(1) Math. VII. 15.
(2) I. Cor. II. 18. 19.
(3) Matth. XXIV. 5.
(4) Marc. XIII. 22. Matth. XXIV. 4.

& nefandorum ac impiorum sacrificiorum participes fiunt: Nonnulli vocantur Marciani, alii Valentiniani alii Basilidiani, alii Saturniliani, alii aliud vocabulum habent ex suae quisque sectae principe: quemadmodum ut initio dixi, unusquisque eorum, qui philosophari sibi videntur, acceptum a parente disciplinae nomen illius Philosophiae quam sequitur, sibi ferendum existimat. Quibus docuit Justinus nihil aliud afferre Catholicis schismata & haereses, nisi ut Christi praedictiones ad exitum perduci intelligant, & in fide firmiores evadant. Quod si unitas ac veritas in Ecclesia possent deficere, nullus esset error, qui non Ecclesiae doctrinam in discrimen adduceret, nullum schisma, a quo non esset evertendae periculum unitatis, ut scite Justini operum Editor animadvertit. Hinc Tertullianus ajebat: *non oportet nos mirari super haereses sive quia sunt; futurae enim praenuntiabantur; sive quia fidem quorumdam subvertunt, ad hoc enim sunt ut fides habendo tentationem, habeat etiam probationem.* Anastasius Sinaita scisciitanti, cur Satanas in nulla alia tam multas haereses & schismata excitaverit, quam in Religione Christiana, respondet (1), quod homines in aliis viventes, jam pro suis habeat, nullaque machina ad illos oppugnandos atque in potestatem suam redigendos putet esse opus. Athanasius similiter, observante Fabricio (2), sive quisquis auctor sit Quaestionis 43 ad Antiochum *quae etiam*, ajebat, *sollicitudo, dic mihi, aut quae cura debeat esse Satanae, ut expugnet Judaeos, vel Samaritas vel Graecos, aut*

(1) Quest. 118.
(2) Delect. Argumentor. cap. 38.

aut eos dividat in haereses, aut diversam fidem, omnes enim illi jam ejus sunt. Et Satanas nunquam quae sua sunt, oppugnat, sed quae sunt Dei. Quamquam & in aliis religionibus multiplices pugnae ac contentiones vitio humani ingenii, animique corruptione extiterunt. Sed utut haec se habeant, cum nihil hac in re contigerit, quod Christus & Apostoli non praemonuerint, nonne iniqui ii sunt, qui ex haeresibus sectisque ansam avidissime arripiunt aut divinae Providentiae detrahendi aut veritatem Religionis Christianae ejusque librorum criminandi, quemadmodum post Celsum aliosque nominis christiani hostes Freretus fecisse videtur?

IV. Patres certe vetustissimi rerumque Religionis apprime gnari longe alia consectaria ex haeresibus sectisque deduxerunt. Video autem inter haec illud plerumque iis probatum fuisse, ut grassari haereses in Ecclesiam permiserit Deus, unde recte sentientium de divinis rebus fides ac virtus clarius emicarent; ut jam adducta eorumdem testimonia innuunt, Origenis praesertim, qui insuper ea Numerorum verba: (1) *Accepit Eleazar filius Aaron batilla aerea* explicare aggressus, sui sententiam ita egregie confirmat (2): *Ista ergo batilla aerea, id est haereticorum voces, si adhibeamus ad Altare Dei, ubi divinus ignis est, ubi vera Dei praedicatio, melius ipsa veritas ex falsorum comparatione fulgebit. Si enim, ut verbi gratia dicam, ponam dicta Marcionis, aut Ba-*

C

(1) XVI. 39. Vulg. *Thuribula aenea.*
(2) Homil. IX. num. I.

filidis, aut alterius cujuslibet haeretici, & haec sermonibus veritatis, ac Scripturarum divinarum testimoniis veluti divini Altaris igne confutem, nonne evidentior eorum ex ipsa comparatione apparebit impietas? Nam si doctrina ecclesiastica simplex esset, & nullis intrinsecus haereticorum dogmatum assertionibus cingeretur, non poterat tam clara & examinata videri fides nostra. Sed idcirco doctrinam Catholicam contradicentium obsidet oppugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed exercitiis elimetur. Propter hoc denique & Apostolus dicebat. Oportet autem & haereses esse ut probati quique manifesti fiant inter vos. *Hoc est dicere: oportet haereticorum batillis altare circumdari ut certa & manifesta fiat fidelium atque infidelium differentia. Cum enim fides ecclesiastica velut aurum coeperit refulgere, & praedicatio ejus ut argentum igne probatum intuentibus resplenduerit; tunc majore cum turpitudine & dedecore haereticorum voces obscuri aeris vilitate sordebunt. Vis autem scire quod quae bona sunt, bona esse ex deteriorum magis comparatione noscuntur? Quis sciret bonam esse lucem, nisi noctis tenebras sentiremus? Quis dulcedinem nosceret mellis, nisi gustum amaritudinis excepisset? Ipsum denique Diabolum & obluctantes adversus nos contrarias potestates si auferas, virtutes animi sine obluctante non poterunt enitescere. Sic ergo & Sacerdotum gloria non poterit resplendescere, nisi eam infidelium reprobatio & poena commendet. Sed ex iis quae legimus singuli quique justorum magis ex comparatione caeterorum clari videntur habiti apud Deum.* Eamdem Pauli sententiam ab Origene explicatam S. Joannes Chrysostomus exponens (1) ideo haeresibus vexari, turba-

---

(1) Vide Beausobrium *Preface sur le N. T.* pag. CCVIII.

rique divini permiſſione Numinis Eccleſiam animadvertit, ut Chriſtianorum virtus reddatur fortior, promtiorque ad impiorum ictus & excipiendos, & repellendos. *Quemadmodum enim*, inquit (1) *arbores ventorum undique irruentium impetu firmiores redduntur, ſi quidem recte & accurate radicem poſuerint, ſic & animas in fundamento rectae fidei defixas, quaelibet irrumpentes haereſes non ſubvertunt, ſed fortiores reddunt.* Sic qui Prophetas Dei Nuncios impugnabant & perſequebantur ipſi ex eorum inſectatione debilitabantur, ii vero fortiores ſemper, vegetioreſque ex illorum injuriis ac conatibus impiis evadebant; ſagittae nimirum parvulorum fiebant plagae eorum. Idem cum Judaei Apoſtolos caeteroſque primos Evangelii praecones caeco furore perſequerentur eveniſſe ſcimus; nam ſicut malleus dum incudem tundit, obtunditur, ipſa vero ex repetitis ictibus fit durior, & (2)

Ut Pelagi rupes magno veniente fragore
Quae ſeſe multis circumlatrantibus undis
Mole tenet: ſcopuli nequicquam & ſpumea circum
Saxa fremunt, laterique illiſa refunditur alga,

ſic contingebat dum flagellis Chriſti diſcipuli caederentur, aliiſque adfligerentur injuriis. Diſcrimina eadem primi Eccleſiae Chriſtianae adſeclae ſubierunt quae viri ſanctiſſimi, ac Prophetae Veteris Teſtamenti, ut monet laudatus Fabricius (3). Hi nimi-

(1) Hom. in epiſt. I. ad Cor. Tom. III. opp. pag. 240.
(2) Lib. VII. Æneidos V. 587. & ſeqq.
(3) In ſalutari luce Evangelii cap. 8.

rum non cum vitiis solum, profanisque mortalium moribus pugnare, sed etiam omni opera nisuque eniti debuerunt, ut errores inter suos, ac prava dogmata evellerent. In Jobi libro vetustissimo arguuntur qui divinam ideo in dubium vocavere Providentiam, quod improbis e voto atque sententia cuncta succederent, cum piis contra sanctisque viris cum variis esset certandum generibus calamitatum. Idem argumentum adversus eosdem homines, quos recentior aetas a famoso erroris vindice Epicureos appellare consuevit, pluribus in locis Psalmorum retractatur (1). Cum post captivitatem Babylonicam patriis sedibus gens Hebraeorum restituta fuisset, tunc primum in ea audiri coepere nomina sectarum; quemadmodum & eodem circiter tempore Graecanica Philosophia caput extollebat, diversas inde in scholas, sectasque successu temporis dividenda. Hinc Socratem cum Sophistis pugnasse novimus, a Platone dissensisse Aristotelem, ab utroque Cynicos & Stoicos, ab his autem alios iterum & sic porro. Non aliter de sectis Judaeorum loquitur Josephus (2); nam in gravissimis, magnique momenti rebus a se invicem Pharisaei & Saducaei dissentiebant; & licet iidem frequentius iisdem in urbibus una vixerint, imo sanctiori Judaeorum Senatui simul fuerint adscripti, quod tamen verbis paulo acrioribus vel factis, aut acerbis judiciis & maledictis sese mutuo minime invaserint non ea hujus moderationis animorum caussa fuit, quod capita, de quibus

---

(1) XXXVII. XXXIX. XLIX. LII, LXIII. LXXVI.
(2) Lib. II. de B. J. cap. XII.

lis inter eos erat, levioris esse momenti reputarent, quam ut graviores inimicitiae eorum caussa suscipiendae viderentur; sed quia cum Saducaei gratia & auctoritate inter proceres, Pharisaei apud populum valerent, altera secta vix alteram sine metu commodis bonisque suis vehementer nocendi, magnamque sibi conflandi invidiam acrius oppugnare potuisset. Tandem cum ad doctrinae in omnibus hisce, aliisque sectis corruptissimae J. C. Servator accessisset, injuria quispiam miraretur, aut doctrinae ejus divinae prorsus vitio verteret si multos ille est expertus adversarios, tum si coelestes ejus & salutares admonitiones, atque praecepta multis sunt ab iis excepta clamoribus, qui suorum dogmata & instituta nova promulgata Lege perstringi, atque contemni aegerrime ferebant. Hinc Apostoli, qui divini Magistri sui vestigia consectari debebant, jussique fuerant sanctissimam Religionem terris omnibus denuntiare, acre adeo diuturnumque bellum non cum ethnicis solum, Judaeisque Evangelio repugnantibus, sed cum iis etiam, qui ex iisdem pravis opinionibus imbuti ad christiana sacra confugerant, certamen inire debuerunt, ut non erraverit, qui totam illorum vitam perpetuam quandam concertationem fuisse affirmaverit. Sed non est inde propterea Christianismi dignitati, utilitati atque praestantiae detrahendum. Sicut in Lege veteri ex pseudoprophetis quibusdam veri Dei legati sunt agniti factique illustriores, ita in Lege gratiae pravi nonnullorum mores damnataeque sententiae eos prodiderunt, atque manifestarunt, qui Christi doctrinam incorrupte servabant, & tuebantur. Qui meminerit primas Christianorum familias ex binis populis conflatas fuisse odio inveterato dudum disjunctas, is

controversias quasdam contentionesque inter illos principio natas protractasque aliquandiu fuisse minime mirabitur. His accedit, quod qui ex Judaeis atque Gentibus sese Christianae Religioni adjungebant, animum afferebant plerumque variis superstitionibus atque erroribus imbutum, quos etsi expugnare Christi discipuli niterentur, plurimae tamen impedimento erant caussae ne plane in omnibus vinci, & Reipublicae sanctioris finibus exterminari possent. Et quis enim vero nescit quanta vis opinionibus insit, quas veluti cum ipso lacte matris ebibimus? Quare quod fuerat a Christo praedictum, futurum fore nimirum ut Humani Generis adversarius lolium in agris suis disseminaret, noxios scilicet & pestiferos errores, id viventibus adhuc ejusdem Apostolis contigisse eorum epistolis erudimur.

V. Sed vero dum non diffitemur perversos quosdam homines Ecclesiae initiis extitisse, a quibus inde sectae conflatae sunt, longe tamen absumus a probandis Frereti commentis. Hunc delirasse arbitramur, dum confidenter statuit primo saeculo a J. C. discipulis sectas fuisse conditas, quae praeter alia docerent purum hominem Servatorem nostrum fuisse, eo natum modo, quo caeteri homines nascuntur, atque a mortuis neutiquam surrexisse, ut postea concludat eos, qui tam aperte Evangelicis institutionibus repugnarunt, non credidisse has Apostolorum opera fuisse conscriptas. Ecquis enim vero tantam hominis praefidentiam patienter ferat, nec indignetur? Constat certe monumentis omni exceptione majoribus, eorumdem scilicet Apostolorum Epistolis, quibus intemperantior Frereti critice pepercit, eos qui vere Jesu Christi discipuli fuerunt, vel audiverunt Apostolos, ea commenta exhorruis-

ſe, omnemque operam navaſſe, ut fidei quam a Chriſto perceperant, ſummam ſervarent unitatem, eoſque pellerent a coetibus Eccleſiarum, qui eam quovis modo pervertere adniterentur. Fidei autem, quam ii a Chriſto hauſerant, quamque deinde tradiderunt Eccleſiis, haec erat ſumma, quantum ad rem praeſentem, noſtramque cum Frereto diſputationem pertinet; unum nimirum eſſe ſempiternum, immenſum, infinita ſapientia bonitate atque poteſtate praeditum, totius corporis expertem, perfectiſſimum, rerumque omnium conditorem atque proviſorem Deum. Hunc, etſi natura unus idemque ſit, conſiſtere tamen in perſonis tribus Patre, Verbo, & Spiritu Sancto. Verbum, quod & Dei Patris Filius dicitur, ſibi naturam humanam in Virginis utero junxiſſe, ex quibus naturis duabus divina, atque humana in una Verbi ejuſdem hypoſtaſi ſubſiſtentibus, Chriſtus Deus atque homo exiſtat, qui tot cruciatus pertulerit, ut homines, qui a Daemone captivi detinebantur, redimeret, dignoſque faceret gloria ſempiterna. Chriſtum ſcelere Judaeorum cruci affixum, mortuum deinde ac ſepulcro conditum tertia die revixiſſe, aſcendiſſeque in coelum, & ad Patris dexteram ſedere, unde rurſum extremo mundi tempore ſit ut vivos mortuoſque judicet rediturus. Dari Angelos, quos condiderit Deus; ac denique omnes homines ſive probis, ſive improbis moribus vitam egerint excitandos a mortuis tandem eſſe, ut Chriſto judici ſe ſiſtant; & bonos tum quidem corpore dotibus ſingularibus ornato in coelum migrare, malos autem cum corporibus item ſuis in ſupplicii locum deſcendere debere. Haec doctrinae capita J. C. Diſcipulos & profeſſos fuiſſe & ubique vulgaſſe cum epi-

stolae eorum testantur ut ajebam, tum Orbis universi Ecclesiae confirmant quas iidem, vel eorumdem adseclae excitarunt, nemoque unquam habitus est in censu Christianorum, qui eadem non profiteretur. Quare Irenaeus exposita Valentini sententia, antequam ad discipulorum ejus mutationes, novaque deliria describenda se conferat, eo exscripto Fidei catholicae Symbolo, quod protulimus, haec postea adiicit (1): *Hanc praedicationem quum acceperit, & hanc fidem quemadmodum praediximus Ecclesia, & quidem in universum Mundum disseminata, diligenter custodit quasi unam domum inhabitans; & similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, & unum cor, & consonanter haec praedicat & docet, & tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae, Ecclesiae aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Ægypto, neque hae quae in Lybia, neque hae quae in medio Mundi constitutae*. Quod splendidum testimonium, fidei Symbolo adjunctum ab Irenaeo ut ostendit etiam haereticis furentibus non sine divina providentia fidem catholicam puram incorruptamve permansisse, ita manifestat nullas sectas sibi invicem oppositas, diversasque propugnantes sententias Christi Discipulos condidisse, cum Ecclesiae omnes, quas ab iisdem fidem accepisse constabat in unam eamdemque

(1) Lib. I. adv. Haeres. cap. X. num. I. edit. Mass.

demque doctrinam mirifice conſpirarent, nec veſtigium ullum in iis errorum appareret, quos inter ſe diſſidentes J. C. Diſcipulos docuiſſe Freretus calumniatur.

VI. Profecto qui ſeſe naſcenti Chriſtianiſmo oppoſuerunt non alterius ſectae meminere, quam illius, quae tum Chriſti divinitatem ejuſque nativitatem ex matre Virgine, tum paſſionem mortem ac reſurrectionem praedicaret. De Chriſtianis a ſe examini ſubjectis, haec Plinius ad Trajanum ſcribebat: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpae ſuae vel erroris, quod eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto quaſi Deo dicere ſecum invicem*. Quae deinde Tertullianus aliique Chriſtianorum oſoribus objecere: adeo ſcilicet conſtans erat vel primaevis illis Religionis initiis opinio, Chriſtum a Chriſtianis Deum haberi & honorari. Martyr quoque Juſtinus in dialogo cum Tryphone Judaeo Epheſi habito hoſce conatus Judaeorum in ſocietatem chriſtianam ab eaque praedicata dogmata enarrabat (1): *Poſtquam enim ſolum illum inculpatum & juſtum hominem, cujus vulneribus ſanantur, qui per eum ad Patrem accedunt, cruci affixiſtis; cum eum ſciretis ex mortuis reſurrexiſſe & in coelum aſcendiſſe, ut Prophetae futurum praedicebant, non modo poenitentiam admiſſorum ſcelerum non egiſtis, ſed etiam ſelectos viros tunc Hieroſolymis in univerſum Orbem miſiſtis* λέγοντες ἅιρεσιν ἄθεον χριστιανῶν πεφηνέναι *impiam Chriſtianorum ſectam prodiiſſe dicentes, eaque ſpargentes, quae in nos ab iis*

(1) Num. 17.

omnibus, quibus noti non sumus dicuntur. Eadem repetit Justinus eodem in Dialogo verbis paulo amplioribus, quae non pigebit exscribere, cum etiam Evangelistarum enarrationem confirment. *Non modo* inquit ille Judaeos alloquens (1) *poenitentiam non egistis postquam illum ex mortuis resurrexisse didicistis, sed etiam delectos homines constituistis, ac per eos in totum terrarum Orbem missos praedicastis* ὅτι αἵρεσις τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινὸς Γαλιλαίου πλάνου *impiam quandam & exlegem sectam a plano quodam Jesu Galilaeo excitatam esse, & cum illum a vobis crucifixum discipuli ex monumento, in quo refixus e cruce depositus fuerat, noctu surripuerint, decipi ab illis homines, dum eum e mortuis resurrexisse, & in coelum ascendisse dictitant. Quin etiam docuisse illum addidistis impia illa & nefanda ac detestabilia facinora quae adversus eos, qui illum Christum & doctorem & filium Dei profitentur, apud omne hominum genus spargitis*. Addit huic Historiae magnum auctoritate sua pondus Eusebius Caesareensis, qui illam non solum ex Dialogo Justini in Historia sua laudat (2); sed etiam Esaiae verba exponens *qui mittit in mare obsides & epistolas biblinas super aquam* sic ait: *In veterum scriptis reperimus Hierosolymitanae Judaicae gentis Sacerdotes, & Seniores litteras in omnes gentes misisse ad omnes ubique Judaeos, quae Christi doctrinam traducerent* ὡς αἵρεσιν καινὴν καὶ ἀλλοτρίαν τοῦ Θεοῦ *ut novam & inimicam Deo sectam, & epistolis monuisse ne illam reciperent: Apostolique eorum Epistolas biblinas de-*

(1) Num. 108.
(2) Lib. IV. c. 18.

ferentes ac supra dorsum aquarum & in mari navigantes, ubique terrarum discurrebant, famam Servatoris nostri calumniis vellicantes. Quae Eusebii narratio eo pluris facienda est, ut animadvertit (1) Prudentius Maranus Editor doctissimus Operum S. Justini, quod Eusebius memoratam hactenus historiam conatusque Judaeorum non apud Justinum tantum, sed etiam apud alios Auctores vetustos legisse videatur; a quibus scilicet id accepit quod a Justino non memoratur, Judaeos litteris communiisse quos universum in Orbem ad suos dimittebant, ut famam nomenque Christi, atque hujus discipulorum mores lacerarent. Alia his testimonia adjungere haud operosum esset, nisi adducta satis ostenderent, christiani nominis doctrinaeque perinfensos hostes Judaeos atque Ethnicos non aliam agnovisse sectam Christianam a Jesu Christo fundatam praeter illam, quae Auctoris sui divinitatem, tum ejusdem a mortuis resurrectionem efferret. Mirum certe nullum vestigium, nullum monumentum multiplicium earum sectarum reperiri, in quas sese distraxisse Jesu Christi discipulos Freretus venditavit!

VII. Sed habet is *Gnosticos*, quorum placitis se suamque caussam tueatur. Gnostici, inquit, qui adeo antiqui sunt, ut Paulo Apostolo haud fuisse incognitos Patres putarint, concordi suffragio negaverunt *Verbum carnem esse factum*. Nempe in ea illi sententia fuerunt, ut statuerent Dei Verbum & Christum terris tantum illuxisse, quin humanam as-

(1) P. III. Praefat. cap. IV. num. III.

sumserit carnem aut ex Virgine natus sit, sed habuerit tantum apparens corpus, & phantasticum, adeoque nec veros potuerit perferre dolores, nec a mortuis revera suscitari. At nemo non stupeat tantum ingenium ad tantas ineptias delapsum fuisse, atque esse ausum deliria Gnosticorum tot monumentis opponere, quae J. C. vere esse natum, inter homines commoratum fuisse, tum scelere Judaeorum affixum cruci, obiisse mortem, ac postquam triduo in sepulcro mansisset, vitam sibi metipsi divina virtute reddidisse testantur, plane ut Evangelistae retulerunt. Sed non raro contingit, ut religioni inimica ingenia quaecumque avide adripiant, quibus levibus animis imponant, propter quos ad laborant, habeantque in eorum disputationibus frequenter & suum *somnia pondus*. Si perversam Freretus de Evangeliorum auctoribus sententiam animo imbiberat, satis poterat edoceri J. C. verum hominem fuisse profanorum Scriptorum testimoniis, adeoque inanem prorsus stultamque esse habendam opinationem Gnosticorum. Christum mortali carne indutum inter homines vixisse nunquam Judaei in dubium revocarunt. Prophetiae, quae ad eundem ceu ad futurum Messiam pertinebant, quoniam venturum illum indicabant eo circiter tempore, quo apparuit, adeo illorum animos in spem proximae liberationis erexerant, ut quemlibet obvium in quo vel unus e Messiae characteribus eluceret, pro Messia agnoscere ac sequi paratissimi viderentur. Qua de re tanta consensio non inter Judaeos solum, sed Ethnicos etiam fuit, ut inter istos magni alicujus regis, sanctitate ac potentia conspicui, resque humanas meliorem in statum reposituri, obscura quaedam spes concitata sit. Hinc Suetonius Tranquil-

lus, qui Hadriano Imperatori ab epiſtolis fuit in vita Veſpaſiani rem ita narrat (1): *Percrebuerat Oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore Judaea profecti rerum potirentur*; & Tacitus (2) *Pluribus perſuaſio inerat, antiquis Sacerdotum litteris contineri, eo ipſo tempore fore, ut valeſceret Oriens, profectique Judaea rerum potirentur: quae ambages Veſpaſianum ac Titum praedixerant. Sed vulgus more humanae cupidinis, ſibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adverſis quidem ad vera mutabantur.* Natum eum Bethleemi, atque a Magis uti Deum adoratum fuiſſe ſecundum Matthaei narrationem, Chalcidius homo certe ethnicus, atque graviſſimus e Platonica diſciplina ſaeculo IV. Philoſophus ita confirmat (3): *Eſt quoque alia ſanctior, & venerabilior hiſtoria, quae perhibet ortu ſtellae cujuſdam, non morbos morteſque denuntiatas, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanae conſervationis rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldaeorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum coeleſtium ſatis exercitati quaeſiſſe dicuntur recentem ortum Dei: repertaque illa majeſtate puerili veneratos eſſe & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe, quae tibi multo melius ſunt comperta quam caeteris.* Stragem Infantium Bethleemi patratam Herodis juſſu, ut natus Servator quoque necaretur, haud obſcure deſignavit Macrobius pariter ethnicus, ut cum Fabricio cenſent

(1) Cap. 4.
(2) Annal. lib. V.
(3) Comment. in Platonis Timaeum edit. Hamburg. Fabricii.

viri doctissimi, dum memoriae haec prodidit (1): *Augustus cum audisset inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum esse quam filium.* Quae scite festiveque Caesar protulit, cum Judaeis suilla vesci nefas esset, atrocem simul eo dicto Herodis adversus infantes suumque adeo filium saevitiam prosecutus. Mortem vero Christi quod attinet, tot eam monumentis tam claris, & insignibus consignatam reperies, inquit Huetius (2), nihil ut certius & manifestius memoria vetus tradiderit. Quam in rem commemorabilis Taciti cumprimis testificatio est, qua cum a Nerone Christianos exquisitis affectos suppliciis dixisset, haec addit (3): *Auctor nominis ejus Christus, qui a Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Mirabilis illa solis defectio, & ingens terrae motus, quae Christo moriente contigerunt, à Phlegonte Hadriani Imperatoris liberto, itidem narrantur his verbis (4): *Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio solis facta. Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellae in caelo visae sint, terraeque motus in Bythinia Nicaeae Urbis multas aedes subverterit.* At Christum interfectum anno ultimo Olympiadis CCII. viri doctissimi ostendunt. Alia ad rem eandem ad-

(1) Lib. 2. Saturnal. cap. 5.
(2) Dem. Evang. Prop. III. num. VII.
(3) Annal. lib. 15.
(4) Lib. 13. Olympic. Chronic. ex vers. Hieronymi.

versus Gnosticos caeterosque Phantasiastas comprobandam praesto essent monumenta nisi modus esset adhibendus, ea etiam de caussa ne majorem, quam par est, somniorum habere rationem videamur. Interea adducta veterum Scriptorum testimonia ut ostendunt J. C. fictam non esse ab Evangeliorum auctoribus personam, sic insignem Frereti levitatem produnt, dum hominum delirantium auctoritatem advocavit, ut rei testatissimae fidem elevaret.

VIII. Nec minori reprehensione idem dignus est dum Apostolis Christique discipulis auctoribus Sectam Gnosticam, aliorumque Haereticorum colluviem & quidem primo Ecclesiae saeculo prodiisse asseveranter narrat. Cum Celsus hac in re minus fortasse quam Freretus impudens, sectas divisionesque, ut monuimus, jam aucto numero Christianorum objecisset, Origenes quo erat animi candore, contentiones quidem eos inter extitisse non negavit, imo antea, quam Celsus crederet, viguisse libens concessit, at nullibi Sectarum meminit quas tum veri nominis Christiani condidissent. *Addit Celsus*, inquit Adamantius (1), *omnes una sententia erant. Neque hic novit, jam tum ab initio fuisse de sensu librorum, qui divini esse creduntur inter fideles dissidia. Adhuc Apostolis praedicantibus, & Jesu documenta tradentibus, qui suis illum oculis viderant, quaestio non modica inter eos, qui ex Judaeis fidem acceperant, exorta est, oporteret ne Judaicos ritus observari ab iis, qui ex Gentibus ad fidem accesserant, an liberari mundorum immundorumque ciborum onere, ut minime necessario iis,*

(1) Lib. III. c. Celsum num. 11.

qui relictis patriis institutis Jesu crederent. Sed & in epistolis Pauli aequalis eorum qui Jesum viderant, mentio fit nonnullorum (1) *qui de resurrectione quaestiones moverent utrum jam fuisset facta & de die Domini instaret ne an non, & ex isto loco* (2) Devitans profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidem promittentes circa fidem exciderunt, *planum fit jam tum ab initio, & cum nondum multi Christiani essent, ut Celsus censet, prave fuisse a quibusdam intellecta mysteria*. Num Origenes sectas illas, quas Freretus memorat, a Christi Discipulis excitatas prudenter praeteriisset, si jam tum eorum studio emersissent? num eas Celsus aut nescisset aut dissimulasset? Abhorret primum a caussae, quam Origenes tuebatur aequitate, atque ab insigni animi candore quem Apologista eximius cum hoc loci tum toto adversus Celsum opere praesefert; alterum autem ab Epicurei philosophi ingenio longe distat, calumnias undique in Christianos conquirentis. Atqui paucos fuisse noverat Origenes, qui initio Christi fidem, quam susceperant, maculare foedis erroribus tentarent; atque hos non fuisse in numerum Christi discipulorum referendos satis indicavit, dum a Paulo Apostolo rejectos fuisse scribit, monitosque verae fidei cultores ut caverent ab iis qui profanas novitates invehere conarentur. Noverat post Apostolorum ferme omnium excessum haereses sectasque aperte in Ecclesiam incubuisse, longe aliis

(1) I. Cor. XV. 12. II. Thess. 11. 2.
(2) I. Tim. VI. 20.

ge aliis magiſtris, quam Chriſti Diſcipulis, quos J. C. perſonae decretiſque conſtanter adhaeſiſſe exploratum habebat. Quapropter Celſum ſeſe poſtea implicantem, atque ajentem *Jeſum ne diſcipulos quidem ſuos perſuaſiſſe* refutaturus praeclaro hoc eoſdem elogio ornare non dubitavit (1): *Equidem humanum quid prae timore tunc paſſi ſunt, utpote nondum ad fortitudinem excitati: at non exuerunt quam de eo ut Chriſto conceperant opinionem. Nam Petrus vix negaverat cum ſentiens quo ſe malorum praecipitaſſet, egreſſus eſt foras & flevit amare; caeteri vero moerore percuſſi ex iis, quae illi acciderant (adhuc enim illum admirabantur) poſtquam illis conſpicabilem ſe poſtea praebuit roborati ſunt, multoque firmius quam antea eum Dei filium eſſe crediderunt.* Sic Origenes quid Eccleſiae initiis acciderit exponit, teſtis certe multo praeſtantior Celſo caeteriſque cum vetuſtis, tum recentibus religionis Chriſtianae inimicis, quos non pudet ad antiquos Eccleſiae Annales provocare, a quibus tamen impietatis atque mendacii manifeſtiſſime redarguuntur. Non diffitetur Adamantius viventibus adhuc Apoſtolis contentiones inter Chriſtianos exarſiſſe nonnulloſque conatos fuiſſe meminit pravis dogmatis propoſitis eo Chriſtianos adducere, ut exciderent a fide: ſed hos ab eo rejectos etiam fuiſſe tradit, quem legitimum eſſe notum erat Chriſtianae doctrinae vindicem, neque ullibi ſectas illas memorat a Diſcipulis Chriſti conditas, ut Freretus ſtatuit, quae praeter alia cum divinitatem Chriſti,

E

(1) Lib. II. c. Celſum num. 39.

tum ejusdem a mortuis resurrectionem denegarent;

IX. Et vero cum eximia Christi Discipuli cura niterentur fidei, quam ab eo didicissent, puritatem conservare, verae doctrinae corruptoribus erat difficillimum adseclas sibi palam adsciscere, sectasque paulo numerosiores efformare. Hinc ii primo Ecclesiae saeculo propter adseclarum paucitatem obscuri adeo ignotique vixerunt, ut Scriptores veteres non antea nefarios homines caput extulisse, & prava dogmata disseminasse senserint nisi viris Apostolicis ferme omnibus de medio sublatis; quo tempore nimirum non adeo amplius sibi ab iis timere poterant, qui ab ipsius Christi ore coelestem hauserant doctrinam, ut ait Hegesippus, secundi saeculi Scriptor non ignobilis, cujus verba Eusebius exscribens (1) inquit: *Post haec idem Scriptor res illa aetate gestas commemorans addit Ecclesiam ad haec usque tempora instar cujusdam virginis integram atque incorruptam permansisse: adhuc in obscuro recessu delitescentibus quicumque rectam praedicationis evangelicae regulam depravare niterentur. Sed postquam sacer Apostolorum coetus vario mortis genere extinctus est, effluxeratque jam aetas hominum illorum, qui divinam illam sapientiam suis auribus auscultare meruerant, tunc exorta est impii erroris conspiratio, fraude & malitia falsorum doctorum, qui utpote nullo amplius ex Apostolis superstite, post haec nudo quod ajunt capite, adversus praedicationem veritatis adulterinam doctrinam obtrudere aggressi sunt*. Etsi vero hoc loci, ad quem alludit Eusebius, Ecclesiae tantum Hierosolymitanae sub

(1) H. E. lib. III. cap. XXXII. Vers. Valesii.

Trajano Imperatore ſtatum deſcribere Hegeſippum ii velint, qui adverſus Dodwellum primo Eccleſiae ſaeculo haereticos in minores quaſdam ſectas coetuſque coiviſſe negantem diſſeruerunt; arbitror tamen ipſe Hegeſippi narrationem non immerito ab Euſebio ad Eccleſiam univerſam extenſam fuiſſe. Nam ex illis haereticis qui primum Hieroſolymorum Eccleſiam aggreſſi ſunt, illa haereſum monſtra prodierunt, a quibus deinde totius Eccleſiae tranquillitas turbata eſt, ut idem apud laudatum Euſebium Hegeſippus docet, qui haereſes, quae ſua aetate palam exortae ſunt, verbis hiſce commemorat: (1) *Poſtquam Jacobus cognomento juſtus martyrium perinde ac Dominus pertulit ob ejuſdem doctrinae praedicationem, rurſus frater patruelis Domini Simeon Cleophae filius, Epiſcopus conſtituitur, cunctis uno conſenſu antiſtitem illum renuntiantibus eo quod cognatus Domini eſſet. Et Eccleſiam quidem adhuc virginem, propterea quod variis ſermonibus nondum corrupta fuerat, primus Theobutis indigne ferens quod minime creatus eſſet Epiſcopus, eam occulte vitiare eſt aggreſſus. Fuit hic e ſeptem illis ſectis in Judaico populo proſeminatis ex quibus fuit etiam Simon, a quo Simoniani fluxerunt; & Cleobius a quo Cleobiani; & Doſitheus a quo Doſitheani, & Gorthaeus a quo Gortheni, & Masbotheus a quo Masbothei ſunt cognominati: ex his enim manarunt Menandriani, & Marcioniſtae & Carpocratiani & Baſilidiani & Valentiniani & Saturniliani, aliique qui ſeorſim ſinguli proprias opiniones induxerunt. Ex iis orti ſunt pſeudo-chriſti, pſeu-*

E 2

(1) H. E. lib. IV. cap. XXII.

do-prophetae, pseudo-apostoli qui adulterinam invehentes doctrinam adversus Deum & adversus Christum ejus unitatem Ecclesiae disciderunt. Idem Clemens Alexandrinus tradidit, qui ostendens haereticorum conciliabula Ecclesia Catholica posteriora esse, adeoque falso illos suam jactare vetustatem, inquit (1) ὅτι γὰρ μεταγενέστερας τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας τὰς ἀνθρωπίνας συνηλύσεις πεποιήκασιν, οὐ πολλῶν δεῖ λόγων κ. τ. λ. *Quod enim catholica Ecclesia posteriora sua fecerint conciliabula, non est opus multis probare. Nam Domini quae fuit in adventu doctrina, cum coepisset ab Augusto, medio tempore Tiberii consummatur: Apostolorum autem ejus doctrina usque ad Pauli ministerium Neronis tempore consummatur. Inferius autem circa tempora Hadriani fuerunt, qui haereses excogitarunt, & pervenerunt usque ad aetatem Antonini natu majoris.* Ad Apostolica tempora primos haeresum satus occultos licet, obscurosque esse revocandos non ignorabat Clemens; at quia simul noverat eo tempore haereticos in antris delituisse sive Apostolorum metu perterritos, sive quod ita posceret eorum doctrina latibulis, ac tenebris digna, hinc de haeresibus ita sermonem instituit, quasi sero admodum natae sint, & prioribus nonnullis ferme jam ab ipso ortu extinctis, de iis praecipue loquitur, quae sui aetate crudelius Ecclesiae sinum laniabant, cujusmodi erant Basilidianorum, Valentinianorum, Marcionitarum, quos in eandem rem coevus Clementi Tertullianus producit, quo scilicet doctrina catholica recentiorem haeresum originem ostendat: *Ante Christiani* ajebat

(1) Strom. lib. VII. Cap. XVII.

Septimius (1) *quam Christus inventus? Ante haeresis quam vera doctrina? sed enim in omnibus veritas imaginem antecedit: post rem similitudo succedit. Caeterum satis ineptum ut prior in doctrina haeresis habeatur, vel quoniam ipsa est quae futuras haereses cavendas praenuntiabat. Ad ejus enim doctrinae Ecclesiam scriptum est, imo ipsa doctrina ad Ecclesiam scribit: etsi Angelus de coelo aliter evangelizaverit citra quam nos, anathema sit. Ubi tunc Marcion Ponticus Nauclerus Stoicae studiosus? ubi Valentinus Platonicae sectator? nam constat illos neque adeo olim fuisse Antonini fere principatu.* Haud dissimilia laudatis scriptoribus Firmilianus protulit, quo sententiam sui de haereticis ad Ecclesiam redeuntibus iterum tingendis propugnaret: *Quantum ad id pertineat*, ajebat is (2), *quod Stephanus dixit, quasi Apostoli eos qui ab haeresi veniunt baptizari prohibuerint, & hoc custodiendum posteris tradiderint, plenissime vos respondistis, neminem tam stultum esse qui hoc credat Apostolos tradidisse, quando etiam ipsas haereses constat execrabiles & detestandas postea extitisse, cum & Marcion Cerdonis discipulus inveniatur sero post Apostolos & post longa ab eis tempora adversus Deum traditionem induxisse. Apelles quoque blasphemiae ejus consentiens multa alia nova & graviora fidei, ac veritati inimica addiderit. Sed & Valentini, & Basilidis tempus manifestum est, quando & ipsi post Apostolos, & post longam aetatem adversum Ecclesiam Dei sceleratis suis mendaciis rebellaverint. Caeteros quoque haereticos constat, pravas suas sectas &*

(1) De Praescript. Cap. XXIX. & seq.
(2) Epist. LXXV. inter Epist. Cypriani edit. Baluzii.

inventiones perversas, prout quisque errore ductus est, postea induxisse. Eadem fuit sententiae Cypriani, scribentis (1) *quod sub Apostolis nondum haereticae pestes acriores proruperant, nec dum quoque Marcion de Ponto emerserat, cujus Magister Cerdon sub Hygino tunc Episcopo, qui in Urbe nonus fuit, Romam venit, quem Marcion secutus &c.* Haec autem testimonia, atque alia similia iis hanc commode excipiunt interpretationem, ut Patres haud renuerint Apostolicis temporibus aliquos extitisse heterodoxos, sed illud unice iisdem significare contenderint haeresum conditores, quas perstringebant, defunctis jam Apostolis apparuisse, eorumque dogmata saeculo demum secundo strages edere coepisse. Nisi haec explicatio probetur, an non ex. gr. eliceres haereses sub Hadriani demum principatu erupisse, & Basilidem, Valentinum, ac Marcionem omnium fuisse haereticorum patriarchas, adeoque Clementem eruditissimum ignoravisse, quod vel ii norunt qui nondum aere lavantur? Habuit id Clemens, habuere caeteri Patres egregie compertum: at quia scivere simul propagata jam traditaque Ecclesiis doctrina Christi aliquot prodiisse haereticos, atque horum perabsurdas opiniones aut contabuisse prorsus primo saeculo, aut nonnisi post Apostolos invaluisse, inde paulo serius haereseon ortum consignavere. Et certe cum rari in gurgite vasto primo saeculo haeretici fuerint, occulteque errores suos ita vulgarint, ut in aures insusurrasse potius quam publice docuisse videantur; inde factum crediderim, ut in eorum conversionem

(1) Epist. ad Pompejanum.

non ea sollicitudine incubuerint Apostoli, quam Judaeis, & Gentibus ad fidem adducendis adhibuerunt; adeo ut qui tot millia Judaeorum, multasque Gentes Religionis nostrae mysteriis imbuerunt, ne uni quidem haeretico bonam mentem injecisse traduntur. Hinc quod jam florentibus Christianis rebus, atque amplificatis, commissisque Ecclesiis praeclarissimis viris ab Apostolis, haeretici in Ecclesiam furere ceperint horum testimonium nihil esse faciendum, prorsusque contemnendum rectissime Tertullianus asseverabat ad eos inquiens (1): *Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion jure silvam meam caedis, qua licentia Valentine fontes meos transvertis? qua potestate Apelles limites meos commoves? mea est possessio. Quid hic caeteri ad voluntatem vestram seminatis & pascitis? mea est possessio, olim possideo, prius possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum fuit res. Ego sum haeres Apostolorum, sicut caverunt Testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt ita teneo. Vos certe exhaeredaverunt semper & abdicavernnt, ut extraneos & inimicos. Unde autem extranei & inimici Apostolis haeretici, nisi ex diversitate doctrinae, quam unusquisque de suo arbitrio adversus Apostolos aut protulit aut recepit?* Quae quidem ut de haereticis omnibus vera sunt, & vel sola omnem argumentationem Frereti evertunt, quam ex numero & dogmatis haereticorum instruxit, ita si in eos haereticos urgeantur, quos idem laudavit, esse verissima constabit cum ii fere omnes solo Joanne ex Apostolis

(1) De Praescript. Cap. XXXVII.

superstite caput extulerint, atque sectas palam efformare pertentarint. Quod adeo verum est, ut Freretus sibi ipsi in haeresum ortus epocha statuenda contradixerit; nam cum initio confidentissime affirmavisset sectarum coriphaeos, quorum audacia copiisque fretus adversus Apostolicam Evangeliorum originem pugnare decreverat, Christum vidisse ejusque fuisse discipulos, animi postea pendens, & incertus quo tuto pedem defigeret, eos demum aut Apostolorum tantum aequales, aut ab horum discipulis fuisse institutos dixerit. Sic ille qui tempora solerte inquirere, acute distinguere, & accurate signare olim didicerat, nihil certi in re gravissima proferre potuit, quo temerariam affirmationem sui adprobaret.

X. Hactenus dictorum veritas magis ac magis elucescet si ad haereticos aevi Apostolici animum paullulum convertamus. Qui res Christianas hac tempestate turbaverunt, ii plerumque fuere, qui non paucis jam antea in Judaica religione erroribus imbuti ad Christianos confugerant, ut luculentissimo Hegesippi testimonio jam ostendimus. Sed alii eadem ex gente, qui viventibus Apostolis idem tentarunt, inter Christianos recte sentientes delituerunt externamque cum iis servavere communionem vel metu discipulorum Christi, vel suorum amore commodorum, vel denique aliis de caussis, quas perscrutari non est necessarium, cum illud constet obscure admodum occulteque vixisse. At ubi eorum fuere agniti errores nullo in coetu tolerati sunt, sed ab Apostolis caeterisque orthodoxis abjecti prorsus ac repudiati, ut sanctissimorum virorum Epistolae testantur. S. Paulus Hymenaeum, Alexandrum, Demam, & Philetum, tum Hermogenem, & Phygellum

gellum memorat, quos recentiores ferme omnes Haeresiologi gravissimorum errorum magistros fuisse jure putant. *Ego vero*, ait Joannes Laurentius Moshemius (1), *tametsi fieri potuisse fateor, ut Hermogenes, Phygellus, & Demas ob errores animis conceptos S. Paulum relinquerent, praeter Alexandrum tamen, Hymenaeum, & Philetum, horum neminem firmiter depravatae Christianae Religionis & sectae cujusdam extructae coargui posse putem. Alexander qualis fuerit, & quidnam docuerit obscurum est. Perversis tamen eum opinionibus infectum fuisse, non dubito; quoniam a S. Paulo cum Hymenaeo conjungitur, & non secus atque hic turpiter atque impie locutus esse* (βλασφημεῖν) *traditur*. Ita ille, qui adversus Henricum Dodwellum, & Godofridum Arnoldum ostendendum susceperat, vivis adhuc Apostolis sectas quasdam minores licet & obscuriores extitisse. At ii modo nominati homines, qui a Pauli magisterio & disciplina defecerant, non in ea opinione versabantur, ut vellent J. C. aut non esse natum ex Virgine, aut eidem eripere divinitatem contenderent; sed perversam hanc impiamve sectabantur sententiam, secundum quam constituebant resurrectionem corporum jam esse factam, nec ea proinde vitae denuo restitutum iri, ut Paulus fidem facit (2); idque ut tuerentur Servatoris eo de dogmate sententiis distortas aptabant interpretationes. Hinc gente Judaeos fuisse, atque ex Saducaeorum familia ortos Campegius Vitringa arbitratur

F

(1) Inst. Hist. maj. saecul. I. P. II. c. V. §. I.
(2) II. ad Tim. II. 18.

(1), Moshemius licet dissentiat, cui verisimilius apparet, hosce homines illam philosophandi formam, quae *Gnostica* dicitur, quaeque *Orientalis* ab ipso nuncupatur, consectatos esse; in hac enim cum pro certo sumeretur materiam mali omnis esse aeternam caussam, corpora vero omnium concretionum pessimas & deterrimas esse, nullo pacto concedi ab iis poterat, qui eam excolebant, fore ut haec nostra corpora divina virtute reviviscerent, animisque suis iterum jungerentur. Est auctor Theodoretus (2), memorati erroris vindices ita resurrectionem, quam fides Christiana docebat, accepisse, ut eam per liberorum procreationem, seu per continuas filiorum successiones fieri putarent. Aliam exhibet rationem Pelagius (3), juxta quam futurae resurrectionis doctrinam explicarunt, cum nempe eos in liberatione Israelis ex Babylonica captivitate per ossium aridorum vivificationem in Ezechiele (4) praefigurata resurrectionem jam factam somniasse scribit. Sedulius denique ab Ittigio laudatus (5) praeter illam de liberorum procreatione sententiam, duas alias adducit asserens, ex opinione illorum haereticorum resurrectionem jam esse factam in iis, quorum corpora cum Christo surrexerunt, aut per animarum in alia atque alia corpora migrationem. Sed quibusvis de-

(1) Observat. sacrar. lib. IV. cap. IX. §. X.
(2) Comment. in Epist. II. ad Titum. T. III. Opp. p. 498.
(3) Comment. in epist. Pauli T. 8. Opp. Divi Hieronymi Victor. edit.
(4) Cap. XXXVII.
(5) Dissert. de Haeresiarchis &c. Sect. I. c. VIII. num. II.

mum de caussis ii hunc errorem profiterentur, cum is enormiter doctrinam catholicam laederet, a gentium Apostolo illico damnatus est, illiusque defensores inferorum principi traditi, ut excruciarentur (1), monitique gravissimis planeque divinis Epistolis Fideles, ut illos execrarentur. Quis porro dubitet, reliquos Servatoris Legatos eamdem adhibuisse diligentiam, ne hujusmodi pestes latius serperent? In Apocalypsi legimus (2) a Servatore Ephesinos celebratos fuisse, quod e suis coetibus Nicolaitas sibi exosos ejecissent; Pergamenos e contra reprehensos, quod hujusmodi factionis homines inter se versari paterentur. Dudum certe Paulus jusserat (3) *Αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ*. Dudum idem inculcaverant Petrus, Judas, & Joannes, aliique viri Apostolici, Ignatius cumprimis & Polycarpus, qui suis epistolis quosdam aggressi Christianos temere videri volentes, Christi asseclas monuere, ut eos fugerent coelestis sapientiae corruptores, quemadmodum eorumdem congestis testimoniis erudite exponit Elias Frickius (4). Nemo inde non facile concesserit, arduum fuisse tunc temporis ab Apostolica doctrina descíscentibus numerosos caetus hominum colligere sibique adjungere, tum palam aperteque prodire, & Ecclesiae nefa-

F 2

(1) I. Tim. 1. 20.
(2) II. 6.
(3) Ad Tit. III. 10.
(4) In Syntagmate *De Cura Veterum circa Haereses* Ulmae recuso 1755.

rium bellum indicere. Hinc ad Trajani tempora eorum ab Ecclesia secessionem referendam esse vero proximum est. Tunc enim solo Joanne vitam agente paulo liberius cum suis sodalibus Sectarum conditores excurrere potuere, tum sub Hadriano dogmata doctrinasque manifestius propagare, quas antea sanctissimorum hominum metu repressi suis in latibulis fere excoluerant. Quare Pearsonius, qui sibi jure proposuerat, ut Epistolas genuinas Ignatio Martyri adsereret, haereticorum haeresumque ortum paullo vetustiorem ostendere, quam vulgo credatur, Valesium refellens ajentem, quod Imperante Hadriano (1) *tunc primum haeretici ex latebris prodire, & caput attollere coeperunt, cum Apostolis omnibus jam extinctis opportunum sibi adesse tempus ad evulganda errorum suorum dogmata, existimarent*, ita de haereticorum in Ecclesiam bello judicabat (2): *licet multi Haeretici fuerint sub temporibus Apostolicis, ut veteres saepissime memorant, & de iis saepe disputant; tamen sublatis omnibus Apostolis multo liberius sua dogmata promulgabant. Sed an omnes Apostoli ante Hadriani imperium sublati non sunt? An eorum quisquam post sanctum Joannem superfuit, qui sub initio Trajani mortuus est? An nullam temporis opportunitatem arripere potuerunt sub toto Trajani imperio, qua sua dogmata viri fervidi & docti, & persecutionis aestum minime metuentes exponerent? Procul dubio per illud aevum doctrinas a Menandro acceptas perpoliebant, scriptis mandabant, Discipulos congregabant, ac demum sub*

(1) Adnotat. ad lib. IV. cap. VII.
(2) Vindic. Epist. S. Ignatii P. II. cap. VII.

Hadriano suas συνηλύσεις, *ut loquitur Clemens*, διδασκαλεῖα ut Eusebius, Ecclesias *ut Tertullianus*, *publice multis in locis habuere. Tunc scilicet viri Ecclesiastici quamplurimi iis restiterunt, tunc primum nonnulli adversus eorum haeresim palam & late grassantem & libros ubique volitantes justa volumina conscripserunt. Nihil aliud voluerunt Veteres, qui de aetate Hadriani locuti sunt*. Diu antea quidem orti erant Gnostici, videturque D. Paulus de nonnullis eorumdem placitis aliquid subodorasse, eaque ut Christiani caverent admonuisse; sed id iis verbis sententiisque fecit, plane ut eo scribente eorumdem disciplina non ita explicata, atque manifesta fuisse videatur, ac fuerit exeunte primo saeculo ineunteque secundo, quo viri Apostolici claris conceptisque verbis capitale illorum dogma perstringunt, copias insectantur, atque demonstrant Christum Dominum veram habuisse carnem nostrae similem, non corpus dumtaxat umbratile atque phantasticum, ut ii statuebant. Id enimvero primi docuerant Simon Magus, ejusque discipulus Menander; sed ita modica fortuna, ut qui delirantes homines secuti sunt nonnisi eo, quo diximus, tempore & coetus congregare, & prodire palam potuerint. Hinc factum puto, ut subobscure Paulus, clarissime vero Joannes de perversorum hominum deliriis differuerint. Tantum abest, ut probari possit, quod Freretus initio statuit, neminemque latere clamitat, J. C. nempe discipulos varias in sectas statim secessisse.

XI. Praeter memoratos porro ex Apostolicis monumentis haereticos, alii quidam felici eo beatoque Apostolorum aevo fidei Christianae, & Christi discipulorum desertores vixisse perhibentur, sed horum aliorumque cum exaggerata vetustas, tum dog-

mata Frereti caussae prodesse non possunt. Non vetustas quidem; nam demonstrare nunquam poterit conditores sectarum aut J. Christum vidisse, ejusque fuisse discipulos, aut tradita ab Apostolis Ecclesiis fide anteriores esse: non etiam dogmata, & traditiones; nam tantum abest, ut hae omnes prorsus iis adversentur, quae in Evangelica Historia memorantur, ut haec possit iis etiam haud obscure confirmari. Revera Freretus, ut ostendat plurimos ex Christianis primitivis, & quidem ex iis qui Jesu Christi, vel ejus Apostolorum fuere Discipuli, Evangelicae historiae doctrinaeque repugnasse, adeoque non credidisse Evangelia ab Apostolis mandata fuisse monumentis litterarum, laudat primo loco *Gnosticos*, qui *Verbum carnem esse factum* inficiati sunt, indeque cetera, quae ex hac positione consequuntur. Sed qui ita delirarunt num jure possunt Christi & Apostolorum discipulis accenseri? Imo constat ab his damnatos ejectosque ab Ecclesia fuisse, longeque alios absurditatum suarum duces, & praeformatores habuisse, quam Apostolos. His enim jam per Orbem Evangelii caussa dispersis, excitatisque Ecclesiis plurimis, omnium primus commentum illud de carne Christi phantastica videtur invexisse Simon Magus Samaritanus, de quo operae pretium erit nonnulla animadvertere, ut quo ad hoc caput attinet praeclarus Gnosticorum institutor agnoscatur. Cum Philippus, qui septem Diaconorum unus fuit Anno circiter AErae Christianae XXXIV. in Samariam venisset, & praedicatione sua multos permovisset, ut Jesum Christum consectarentur, atque prodigiis multis patratis praestigias discutere coepisset, quibus Simon Samaritis suis sic imposuerat, ut illum virtutem nescio quam, cui plurimum tribuendum es-

ſe arbitrarentur, ad eumdem Diaconum & ipſe Simon acceſſit, ab eoque Baptiſmi myſterio initiatus eſt. Sed ficto animo fidem ſuſceperat, ſpe ſcilicet futurum fore, ut & ipſe virtutem patrandorum miraculorum adſequeretur, quam magicis artibus & exerceri, & conferri ab Apoſtolis putabat, uti animadverſum Irenaeo (1). Quapropter de eadem poteſtate auro ſibi comparanda apud Apoſtolos egit; ſed Petrus dignum ſe, dignum principe Apoſtolorum zelum concipiens nefarium hominem memorandis his verbis rejecit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe.* Quae ſunt Lucae verba in libro *Actorum Apoſtolicorum* (2), cujus auctoritate tuto nos uti poſſumus, cum Freretus illum νοθείας ſuſpicione laborare non affirmarit, imo ejus auctoritate uſus fuerit ad ſui cauſſam perſuadendam (3). Simon interea ſevera illa increpatione cum abjectum ſe, ſpeque ſua fruſtratum

(1) Lib. I. adv. Haereſ. cap. XXIII. edit. Maſſ.
(2) Cap. VIII. v. 20. & ſeqq.
(3) Oſtenſurus enim adverſus Apologiſtas pleroſque Religionis Chriſtianae, nullum inſtitutum fuiſſe ab Judaeis Ethniciſque examen miraculorum Chriſti, ita ſtatuit p. 48. *C'eſt dans les Actes des Apôtres que les Chretiens doivent chercher la connoiſſance de ce qui ſe paſſa immediatement après la mort de J. C.* Alibi etiam ejuſdem libri teſtimoniis utitur, ut ſuo loco dicemus.

vidisset, susceptam a sanctissimo Diacono fraudulenter fidem ejuravit, magicamque artem denuo professus, multis peragratis Orbis partibus, adseclas ubique sibi comparare, nascentique Christianismo impedimento esse studuit, ea de Christo effutiens, quae alii postea arripuerunt, ut Christi historiam deformarent. Cetera autem inter haereseon capita, quae monstrum hujusmodi evomuit, illud fuit, Cyrillo Hierosolymitano teste (1), quod nominatim diceret *se apud Judaeos non in carne, sed specie sola tanquam Jesum Christum apparuisse*. Neque id solum est ausus, sed cum plura ab Apostolis tradita, atque a Christianis firmissime credita aptare sibi in animum induxisset, ita se in hunc Mundum descendisse jactitavit, ut alienam speciem induens, per quam ementitam similitudinem Angelos & Potestates deciperet, inter homines homo apparuerit, quum tamen non esset homo, & pati in Judaea visus sit, quum non esset passus, ut his verbis testatur Irenaeus (2): *Hic igitur a multis quasi Deus glorificatus est, & docuit semetipsum esse, qui inter Judaeos quidem quasi Filius apparuerit, in Samaria autem quasi Pater descenderit, in reliquis vero gentibus quasi Spiritus Sanctus adventaverit*. Quae paulo aliter ab Augustino referuntur ajente (3), Simonem dixisse, *se in Monte Sina legem Moysis in persona Patris dedisse Judaeis, tempore Tiberii in Filii persona putative apparuisse, postea*

(1) Catechesi VI.
(2) lib. I. cap. XX. edit. Oxon.
(3) De Haeres. cap. 1.

se, postea se in linguis igneis Spiritum Sanctum super Apostolos venisse; Christum autem nec venisse, nec a Judaeis quidquam pertulisse. Ex his praeter alia, de quibus post pauca dicemus, apparet hominem, qui Jesu simius videri volebat, sollicite historiam Evangelicam ad suos usus pertraxisse, atque ea praecipue, quae illius Auctores de personarum Trinitate, deque Christo Tiberii temporibus cruci affixo, ac denique de Divini Spiritus sacro Pentecostes die in Christi Discipulos effusione tradiderunt, ut eorum speciem servando, quae Christianis omnibus notissima erant, tutius securiusque incautos deciperet: adeo scilicet verum est, quod initio diximus, impiorum hominum traditionibus, quas Freretus jactitat exaggeratque, firmari potius quam everti enarrationes Evangelistarum, etsi ab iis misere distortas, atque luxatas. Confirmant haec omnia, quae idem Simon rursum effutiit, cum nimirum gloriatus est, se in hunc Mundum descendisse, ut perditam ovem liberaret, eumque ab Angelorum tyrannide vindicatum instauraret. In his etenim, scite admonente Massueto (1), inter ipsas nebulas commentorum Evangelica doctrina de vero Servatoris adventu relucet; quo scilicet vitiis antea oblitterata divini Numinis imago, in animis hominum veri Dei notitia innovata est, excusso tenebricosarum potestatum jugo iidem in libertatem asserti sunt, omnia denique sive quae in coelis, sive quae in terra instaurata fuere. Tanti beneficii memoriam

(1) Dissert. 1. in Irenaeum Art. II.

ſcilicet etiam homo impius ſervare debuerat, etſi ut id faceret exemplis uteretur, quae non dicam jam diſcipulum Apoſtolorum, ſed hominem de poteſtate mentis prorſus dejectum apertiſſime commonſtrarent. Nam ad Helenam a Tyro Civitate Phoeniciae queſtuariam meretricem, quam ſecum ducebat, quamque eamdem eſſe ac illam delirabat, propter quam bellum Trojanum exarſiſſe dicitur, haec Divi Pauli verba (1) referebat: *Induite loricam juſtitiae, ſumite ſcutum fidei, & galeam ſalutis aſſumite*, ut Epiphanius teſtatur (2); eidemque Servatoris de ove errante parabolam, quam Matthaeus (3) Lucaſque (4) narrant, tribuere non erubuit; quod Tertulliani verbis, hominis hac de re facinus curioſe lepideque perſtringentis (5), enarrare placet: *Simon Samarites*, inquit, *in actis Apoſtolorum redemtor Spiritus Sancti, poſteaquam damnatus ab ipſo cum pecunia ſua in interitum fruſtra flevit, converſus ad veritatis expugnationem, quaſi pro ſolatio ultionis, fultus etiam artis ſuae viribus, ad praeſtigias virtutis alicujus, Helenam quandam Tyriam de loco libidinis publicae, eadem pecunia redemit, dignam ſibi mercedem pro Spiritu Sancto, & ſe quidem finxit ſummum Patrem, illam vero injectionem ſuam primam, quae injecerat Angelos & Archangelos condere: hujus eam propoſiti compotem, exiliiſſe de Patre, & in inferiora deſultaſſe;*

(1) Ad Eph. VI. 14. 16. 17.
(2) Haereſi XXI.
(3) XII.
(4) XV.
(5) Lib. de Anima cap. 34.

atque illic, praevento Patris proposito, Angelicas Potestates genuisse ignaras Patris artificis Mundi hujus; ab his vero per invidiam retentam, ne digressa ea alterius genimina viderentur; & idcirco omni contumeliae addictam, ut nusquam discedere depreciatam liberet, humanae quoque formae succidisse, velut vinculis carnis coercendam: ita multis aevis per alios atque alios habitus faemineos volutatam, etiam illam Helenam fuisse exitiosissimam Priamo, & Stesichori postea oculis, quem & excaecasset ob convitium criminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis: proinde migrantem eam de corporibus in corpora, sub titulo prostitisse Helenam viliorem. Hanc igitur esse ovem perditam, ad quam descenderit Pater summus, Simon scilicet, & primum recuperata ea & revecta, nescio an humeris an femoribus, exinde ad hominum respexerit salutem, quasi per vindictam liberandorum ex illis Angelicis Potestatibus, quibus fallendis & ipse configuratus, atque & hominibus hominem ementitus, in Judaea quidem Filium, in Samaria vero ut Patrem gesserit. O Helenam inter poetas & haereticos laborantem, tunc adulterio nunc stupro infamem! nisi quod de Troja gloriosius eruitur, quam de lupanari, mille navibus de Troja, nec mille denariis forsitan de lupanari. Atqui is fuit, quo ad carnem Christi phantasticam attinet, & alia pleraque, quae commemorabimus, antesignanus Gnosticorum, in quorum tamen placitis plurimum se amavit Freretus, ut Christianos primitivos, inter quos & illos satis liberaliter at inscite censet, Evangelicae historiae repugnasse persuaderet. Qua in re acutum eruditumque ingenium, ne quid gravius molestiusque ejusdem admiratorum auribus dicam, hominem videtur deseruisse. Non res nimirum & veritas historiae, sed concepta dum animo philosophiae ratio omnino po-

stulabat, ut Simon Christo Domino primum, dein sibimetipsi cum eidem similis videri voluit, tum ceteri Gnostici omnem materiae concretionem verumque corpus eriperent. A verosimili haud abhorrere putat Massuetus (1), Simonem in liberalibus disciplinis, ac Platonica praesertim philosophia, quae tum apud Judaeos inoleverat, non levem operam posuisse. Quod suadere eo judice videntur tum auctoritas, ac dicendi fiducia, quibus ementitam potestatem venditans plebis animos ad se pellexerat, tum ea quae vulgavit dogmata, Platonicis haud dissimilia, tum denique magia ipsa Platonicis eo tempore familiaris, & in laude posita; adeo ut Platonismum cum Samaritanorum & Judaeorum religione homo impius miscere voluisse videatur. Contra sentit vir acutissimus Joannes Laurentius Moshemius, qui licet fateatur, Simonis & Gnosticorum dogmata aliquam cum Platonicis affinitatem praeseferre; universim tamen utriusque disciplinae habitum, docendi formam, nomina & finem a scitis Platonicis prorsus differre putat. Itaque ex adductis Patrum testimoniis, aliisqu emonumentis censet, Simonem Gnosticosque inter orientalis Philosophiae cultores esse referendos.

XII. Philosophiae porro hujus rationem exponens & indolem, animadvertit (2), sectatores ejus id egisse, ut rerum, quae in oculos incurrunt, origines Supremi majestati Numinis, summisque virtutibus convenienter explicarent. Quod ut facerent,

(1) Differt. I. in Iren. Art. II.
(2) Inst. Hist. Maj. Saecul. 1. P. II. cap. I. §. VII. & seqq.

ſeriem quamdam & catenam virtutum neſcio quarum ſibi animo confinxerant, quae ex ipſo Deo prodiret, & per varia membra ſibi ſuccedentia deſcenderet, ita ut in Orbis hujus, quem cernimus, ortu tandem deſineret. Hujus catenae ope Deum, quem optimum perfectiſſimumque eſſe tuebantur, ita Mundo huic ſociare nitebantur ac jungere, ut rerum omnium Auctor, Moderator, & Dominus, at vitiorum tamen, quae rerum univerſitatem deformant, expers prorſus & neſcius videretur. Statuebant nimirum Deum id, quod eſt optimum, primum ex ſe gignere; tum alia procreari, in quibus paulo minus bonitatis reperiretur; atque haec quo longius genus propagarent ſuum eo magis a natura primi fontis ita abſcedere ac degenerare, ut inde moles illa corporea & vitioſa, quam Mundum vocamus, naſceretur. Atque haec vel pauciſſima oſtendunt quodnam conſilii Philoſophiae hujus cultoribus ineſſet. Arduam ſcilicet quaeſtionem illam, quae acutiſſima quaeque excruciavit torſitque ingenia, enodare ſtudebant; unde nimirum fieret, ut tót malis haec rerum univerſitas abundaret, totque genus hominum miſeriis premeretur, quum ratio rerum omnium Parentem optimum eſſe manifeſtet. Quare non immerito Tertullianus affirmavit haereſes omnes ex Philoſophorum Sectis, cui earum auctores eſſent addicti, prodiiſſe, tum idem ſibi & Philoſophos, & Haereticos tractandum propoſuiſſe, ut quaenam malorum fons & origo eſſet, explicarent. *Ipſae haereſes*, ajebat (1), *a philoſophia ſubornantur. Inde Aeones & for-*

(1) *De Praeſcript.* cap. VII.

mae nescio quae & trinitas hominis apud Valentinum. Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate a Stoicis venerat. Et uti anima interire dicatur, ab Epicureis observatur. Et uti carnis restitutio negetur, de una omnium Philosophorum schola sumitur. Et ubi materia Deo adaequatur, Zenonis disciplina est. Et ubi aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Eaedem materiae apud haereticos & philosophos volutantur, iidem retractatus implicantur. Unde malum & quare? Et unde homo & quomodo? Et quod proxime Valentinus proposuit unde Deus? Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academiae & Ecclesiae? Quid haereticis & Christianis? Viderint qui stoicum & platonicum, & dialecticum Christianismum protulerunt. Itaque ut propositam quaestionem ii quos diximus exsolverent, longum rerum ordinem ex Deo manantium texebant, qui declararet fieri potuisse, ut sine ulla Dei culpa talis exoriretur Mundus corruptus, deformis, ac vitiosus, qualis hic noster est. Quae, ut probabilia redderent, nonnulla constituebant, in quibus excipiendis omnes consentire necesse esset; nimirum extitisse ex infinito tempore materiam rudem, crassam, lumine, ordine, omnique perfectione destitutam. Tum supremam rerum omnium Caussam ex se, nescio qua ratione, certas peperisse naturas, quae sensim a Deo recedendo vitii & labis aliquid contraxissent. Inde ex his naturis partim infirmis, partim depravatis aut unam aut plures ad Mundum humanumque genus ex materia conficiendum accessisse, at viribus caruisse ad tantum opus necessariis; indeque evenisse, ut Mundus nasceretur prorsus deformis, multisque malis refertus, hominesque invenirentur misero corpori juncti, vitiisque & pravis cupiditatibus inquinati. Tandem huic

miseriae & calamitatibus Deum supremum, misericordia Humani Generis, ductum mederi voluisse, verum ne quod cupiebat plane perficeret, cum multas alias caussas, tum ipsos Orbis conditores obstitisse. Quibus aliisque eo loci distinctius a Moshemio expositis, pervulgatas illas Gentium orientem solem spectantium sententias de Daemonibus adjungebant; nec quisquam eos inter aliquo numero extitit, quin se magiam callere, daemonibusque imperare posse gloriaretur. Hoc philosophiae genus cum apud Chaldaeos incepisset, a quibus nimirum inprimis de ortu mali deque caussis calamitatum, quibus Genus Humanum premitur, varie disputatum fuit, ad Syros inde, Aegyptios, aliosque Populos orientales delatum fuisse compertum est. Et quidem doctrina haec *Servatoris nostri tempore*, inquit Moshemius (1), *per multas fusa erat Provincias: at nusquam tamen plures babuisse videtur Sectatores, quam in Aegypto, quippe qua in regione plerique aut nati, aut instituti sunt, qui hac ex Secta rem Christianam conturbarunt. Ad Judaeos & Samaritanos quin ea transierit, Simon Magus, Cerinthus, Dositheus & alii nos dubitare non sinunt, quos vebementer ei deditos fuisse constat*. Neque hi solum, sed ceteri fere omnes, qui ex Gnosticis Sectas condidere, sese in Aegyptum contulerunt, ut scientiam illam doctrinamve plane singularem sibi compararent mortalium insanissimi, & doctrinis operam darent Hebraeorum, Gentilium, & Christianorum, ac Philosophorum praecipue, quorum audiendorum gratia longa illa itinera suscipiebant. Ita videtur

(1) l. cit. §. XIII.

hoc ſemper fuiſſe regionis illius fatum, & antiquam Aegyptum cum hodierna conferri poſſe, quam nunc Cophtae, unaque mixti incolunt Mauri, Arabes, Turcae, Graeci, Judaei, Armenii, Syri, Maronitae, Franci, Bedovini, Ruſtici, Felaces, exterique Muhamedani, atque alii qui ex omnibus oris maris interioris, atque ex finitimis ad Perſidem uſque regionibus ſpontaneo exilio extorres in illam ſeſe hominum colluviem projecerunt.

XIII. Et Simonem quidem philoſophiae illi, cujus lineamenta ex Moshemio diligenti cumprimis illius inveſtigatore exhibuimus, operam navaſſe, haec praeter alia oſtendunt, quae illum de ſe jactaſſe ſcribit Irenaeus (1), ſcilicet *cum male moderarentur Angeli Mundum, quoniam unuſquiſque eorum concupiſceret principatum, ad emendationem veniſſe rerum, & deſcendiſſe eum transfiguratum, & aſſimilatum Virtutibus, & Poteſtatibus, & Angelis, ut & in hominibus appareret ipſe cum non eſſet homo, & paſſum autem in Judaea putatum cum non eſſet paſſus. Prophetas autem a Mundi fabricatoribus inſpiratos dixiſſe prophetias: quapropter nec ulterius curarent eos hi, qui in eum & in Helenam ejus ſpem habeant, & ut liberos agere quae velint: ſecundum enim ipſius gratiam ſalvari homines, ſed non ſecundum operas juſtas. Nec enim eſſe naturaliter operas juſtas, ſed ex accidenti quemadmodum poſuerunt, qui Mundum fecerunt Angeli, per hujuſmodi praecepta in ſervitutem deducentes homines. Quapropter & ſolvi Mundum & liberari eos qui ſunt ejus, ab imperio eorum qui mundum*

(1) Lib. 1. ad. Haereſ. cap. XX. edit. Oxon.

Mundum fecerunt, *repromisit*. De corporibus ac materia quid idem sentiret sic exponit Auctor Recognitionum Clementi adscriptarum (1) Simonem ita loquentem inducens: *Magnus sane labor est agnoscere Deum in carne positum. Omnibus enim tenebris tetrius, & omni luto gravius est corpus hoc, quo circumdatur anima*. Quare corpora nec quum fuerint exanimata vitam receptura aut suscitari posse Simonem arbitratum esse Epiphanius (2), & Augustinus (3) litteris prodiderunt. Ex quorum Patrum aliorumque Scriptorum testimoniis Moshemius investigata primum lateque proposita & explicata Simonis doctrina, ita postea illius veluti synopsim summamque exhibet inquiens (4): *Nos eam dilatavimus, & nervis veluti, ac commissuris instruximus. Neque tamen frena nimis imaginationi laxavimus; sed speramus fore ut qui veteres cum cura quadam & attentione legerint, fateantur vix aliter hanc partem philosophiae Simonis concipi posse. Mundus igitur hic & homines maxime, ancipiti malo ex hac sententia premuntur. Nam & vitiosae materiae filii seu mali daemones vexant eos, & omnibus modis excruciant, & fabricatores qua possunt diligentia provident, ne cognitio quaedam supremi Numinis ad animas, quas captivas detinent, perveniat. Vicissim Deus quaecumque potest molitur, ut animas ex custodia sua extrahat, & ad sempiternae lucis domicilium, unde malo*

(1) Lib. II. §. LVIII.
(2) Haeresi XXI.
(3) De Haeres. cap. I.
(4) Inst. Hist. Maj. saecul. 1. P. II. c. V. §. XIV.

fato delapsae sunt, *deducat*. *Haec scilicet summa*, *hoc argumentum est totius fere sapientiae Gnosticae*: *animi optimi Numinis progenies*, *quos astutia*, *aut arrogantia aut malorum geniorum*, *aut Mundi Opificum in corpora detrusit*, *eo conniti debent*, *ut ad Patrem luminis revertantur*. *Quo facto Mundus hic & totum fabricatorum hujus Mundi imperium simul concidet*, *pristinaque tranquillitas*, *quae ante Mundum conditum fuit*, *restituetur*, *Dum vero id fiat*, *Deus pro summa bonitate sua*, *certos homines sibi prae ceteris caros arte instruxit divina morbos*, *quibus corpora materiae principes affligunt*, *animaeque terrores*, *turbationes*, *& commotiones*, *quas architecti Orbis*, *ad obtundendam ejus aciem concitant*, *sanandi & profligandi*. *Haec celebris illa est magia*, *quam se callere plerique Gnostici*, *& Simoniani sigillatim gloriabantur*. Quae cum philosophiam illam Orientalem sapiant, non videtur inde *Clementinarum* auctoris testimonium respuendum, Simonis in Aegyptum iter philosophiae caussa pernoscendae narrantis (1). Et certe cum Judaeorum & Samaritanorum multi hac aetate ejusdem rei caussa ad Aegyptios properarint, vix dubitari posse videtur quin hac in Provincia & ipse Simon commoratus sit, cum sapientiae non solum, sed & magiae genus, cui sese addixit, in Aegypto maxime excultum fuisse, compertum sit.

XIV. Vix aliter de Deo, de materia, de ortu & fonte malorum, de natura hominum & conditione, de Mundi hujus Architecto, & aliis quibus-

(1) Homil. II. P. I. PP. Apostol.

dem de rebus Gnostici senserunt; quorum principes & ipsi litteris in Aegypto operam dedere, ut jam monuimus. Quae similitudo doctrinarum effecit, ut apud nullos magis Simonis nomen ac memoria, quam apud Ecclesiae Patres, veteresque omnes ac recentes Ecclesiasticos Scriptores infamia flagraverit, a quibus concordi suffragio ille dux & praeformator Gnosticorum est habitus; eorum scilicet heterodoxorum, qui primo alteroque saeculo Ecclesiam adflixere, quique eo nomine plerumque gloriati sunt, quod homines perfectae sapientiae & divinarum rerum singulari cognitione praeditos significabat. Irenaeus certe omnium, qui de Sectis scripserunt, vetustissimus, Gnosticorum successionem a Simone ubique derivavit; nam Menandro, Saturnino, Basilide, Valentino, Cerdone, Marcione, aliisque commemoratis ejus generis hominum primipilis, ita demum ait (1): *Nunc autem necessario meminimus ejus, ut scires quoniam omnes, qui quoquo modo adulterant veritatem, & praeconium Ecclesiae laedunt, Simonis Magi discipuli ac successores sunt. Quamvis non confiteantur nomen magistri sui ad seductionem reliquorum, attamen illius sententiam docent, Christi quidem Jesu nomen tanquam irritamentum proferentes, Simonis autem impietatem varie introducentes mortificant multos, per nomen bonum sententiam suam male disperdentes, & per dulcedinem, & decorem nominis amarum & malignum principis Apostasiae serpentis venenum propinantes.* Quod deinde percensitis Simonianis de-

H 2

(1) Lib. 1. adv. Haeref. cap. XXVII. edit. Mass.

liriis, ita confirmat (1): *Habent quoque & vocabulum a principe impiissimae sententiae Simone dicti Simoniani, a quibus falsi nominis scientia accepit initia, sicut ex ipsis assertionibus eorum adest discere.* Ac denique percensitis hominum perversorum, quorum antea meminerat erroribus & sectis, sic concludit (2): *Progenitoris ipsorum doctrinam Simonis Magi Samaritani, & omnium eorum qui successerunt ei, manifestavimus. Diximus quoque multitudinem eorum qui sunt ab eo Gnostici, & differentias ipsorum, & doctrinas, & successiones annotavimus, quaeque ab eis haereses institutae sunt, omnes exposuimus & quoniam omnes a Simone initia sumentes impia & irreligiosa dogmata induxerunt in hanc vitam ostendimus.* Irenaeum omnes sequuntur quotquot argumentum idem ex veteribus tractandum suscepere, nec recentiores tam amice inter se concinentem gravissimorum hominum auctoritatem ausi sunt oppugnare; si unum aut alterum excipias, qui tamen non diffitentur philosophiam illam, quam Gnostici coluere, cognatam & affinem illi esse, quam Simon professus est. In his numerandus Moshemius, qui Gnosticos a Philosophis illis Orientalibus commenta sua accepisse, non a Simone arbitratur. Sed cum ea inter Gnosticorum, & Simonis dogmata affinitas, & concordia adpareat, non satis video, cur non sit veterum Scriptorum auctoritas, Gnosticorum successionem a Simone deducentium, excipienda. Ante hunc quidem philosophiae illud genus Gnosticorum apud Chaldaeos, Syros, & Aegyptios in

(1(Lib. I. cit. cap. XX. edit. Oxon.
(2) Praefat. ad lib. II.

honore fuit, sed id nihil impedit, quominus Simonem Magum Gnosticorum principem constituamus. Certe haud est vero absimile dum Patres id affirmavere, atque Gnosticae haereseos Simonem principem fecerunt, non aliud innuere voluisse, quam illum omnium primum ea commenta ad res Christianas traduxisse. Nullus sane Simone antiquior perhibetur, qui principium illud Gnosticorum de malis, vitiisque materiae ad historiam Evangelicam pervertendam adduxerit, eoque usus fuerit ad verum corpus Servatori eripiendum. Id Simonem praedicasse Patrum scripta testantur, id eumdem viventibus adhuc Apostolis impium hominem ausisse, haud obscure significavit Hieronymus, dum scripsit (1): *Apostolis adhuc in saeculo superstitibus, apud Judaeam Christi sanguine recenti phantasma Domini corpus asserebatur .... tunc Simon Magus & Menander Discipulus ejus Dei se asseruere virtutes.* Cum haec atque alia deliria post Simonem ii jactaverint, qui primo ex Gnosticis ad res Ecclesiae turbandas accesserunt, merito Patres Simonis discipulos eosdem fuisse pronunciarunt. Nisi autem ego fallor, non recte Moshemius eo quod Gnostici, Irenaeo teste, Simonis nomen repudiarint, dicique voluerint Christiani, deducit Simonis disciplinam, doctrinamque illos contemsisse. Nam praeterquamquod factis scriptisque satis monstravere, quantopere ea sibi cordi, atque in deliciis esset, nemo non videt Simonis nomen abiicere eosdem prorsus debuisse, unde facilius id molirentur quod aggressi fuerant, ut nimirum per-

(1) Dialog. adv. Luciferian.

verterent doctrinam recte sententium Christianorum; cum eaque philosophiae suae decreta conciliarent. Et quî enimvero id perficere potuissent, si se non Christianos, sed *Simonianos* appellassent, quum probi quique nossent Simonem a principe Apostolorum reprehensum, rejectumque fuisse tanquam sacrilegum donorum Spiritus Sancti nundinatorem? Etiam Valentiniani Simonis & Menandri nomina visi sunt rejecisse, magistrosque adeo probrosos repudiarunt. Sed Valentinum ejusque adseclas non alios quam illos habuisse duces & antesignanos, germanosque parentes, vellent nollent, demonstrabat cum dogmatum consensio, tum continua nec interrupta a Simone ad Valentinum scholarum haereticarum successio, a quibus & in quibus ille quidquid postmodum blateravit, mutuatus est. Quamquam satis indicavit Irenaeus Simonianos auctoris sui nomen occultasse *ad seductionem reliquorum*; ut propterea colligi non possit ex contemtu nominis disciplinam quoque illius doctrinamque repudiasse. Plus virium habet altera Moshemii animadversio, Gnosticos nempe omnes, gravissime licet errarent, Jesum tamen pro Dei filio, & generis humani Servatore habuisse; Simonem vero sibimet hanc dignitatem arrogasse, eumque discipulos ejus divinis honoribus affecisse. At ne haec quidem invicte probat, Gnosticos ab Irenaeo laudatos tanquam a Simone institutos, hujus non fuisse discipulos; probat solum hos magistri inverecundiam hac in re, extremamque dementiam damnavisse. Quod Simon Christum ut Deum non coluerit, nihil moror; aegre enim sceleratus homo, qui redemti Humani Generis gloriam sibi tribuebat, tantum a stultitia sua impetrare potuisset, ut Christi se faceret discipulum, ejusque

agnofceret Divinitatem; aegre idem faffus fuiffet Divinum virum eum fuiffe, cujus difcipulorum juftam iram indignationemve fuerat expertus. Quod Simoniani magiftro fuo divinos honores tribuerint non oftendit divinam Chrifti naturam inficiatos fuiffe; nam primorum temporum heterodoxi, & maxime Gnoftici cum Syncretifmi fpiritu agerentur, ut videbimus, & Simonem & Chriftum colere facile potuere. Simon ipfe ejufque adfeclae fraudibus & flagitiis fuis venerabile Chrifti nomen praetexuere, quo citius imperitos fallerent, Chriftianis aegre ferentibus, Epiphanio tefte, qui cum Simonis Magi fcelere haerefes in Ecclefiam primum irrupiffe dixiffet, haec poftea addidit (1): *Quae quidem Secta non recte, neque ex ordine Chriftianum nomen ufurpat, fed pro adulterina fua depravatione atrociffima quaeque committit*. Inde de Simone ita fcribit: καὶ προσχήματι ὀνόματος Χριςοῦ *Ac fub Chriftiani nominis fpecie, tanquam veratro mel admifcens, fic illius appellationis fplendori lethale venenum infudit, idque iis obtulit, quos fraudulenter captatos, & impium hunc in errorem pertractos in exitium adduxit*. Quod magifter igitur feciffe dicitur, idne difcipulos feciffe mirabimur? Dubitat quidem Moshemius vehementer an Epiphanii narratio ex toto vera fit, cum incredibile videatur, illum fefe Chrifti difcipulum finxiffe qui inter homines videri talis voluit, qualis revera J. C. fuit. At facile id quifque fibi in animum inducet fuum, qui fecum reputaverit, faepe fe Ecclefiae hoftes contradictionibus manifeftis in-

(1) Haerefi XX. num. XX. I. & II.

volvisse; tum vero id de Simone facilius credet; qui cum Christianismi pervertendi nefarium consilium inivisset, nullas artes nullasque machinas neglexisse par est credere, unde voti iniquissimi se compotem fieri posse arbitraretur. Fuit autem vel ab Ecclesiae incunabulis perversorum hominum artificium, de quo Christus & Apostoli mature discipulos suos monuere, ut Christianorum personam induerent, quo facilius versari inter eos possent, callidiusque venena propinare. Praeclare sane Theodoretus (1): *Sapientissimus universorum Deus paucis viris, iisque peccatoribus, & publicanis, & uni Tabernaculorum opifici Orbem terrae colendum commisit. Pessimus autem daemon hominum pernicies, hos videns multorum Deorum erroris spinas radicitus evellere, seque obedientium sibi numero destitui, ut machinarum & improbitatis est artifex, alias insidiandi rationes excogitavit. Cum enim homines operatione sua dignos elegisset, & Christianorum his nomen velut personam quamdam imposuisset, & tamquam melle quodam os poculi illivisset, exitiale mendacii venenum hominibus porrexit. Cumque hominum perniciem sitiret, non expectavit ut Apostolorum praedicatio invalesceret, & fraudem tunc inferret, sed cum primum illi terram colere, & pietatis semina spargere coeperunt, hic interim seminavit zizania.* Nihil igitur, quod non sit verisimile Patres de Gnosticorum origine, ducibusque scripserunt, cum eorum scilicet antesignanum Simonem Magum esse narravere.

XV.

(1) Proem. Haeret. Fabular. Tom. IV. Opp. pag. 190. & seq.

XV. Quamquam quoad rem attinet, de qua mihi cum Frereto lis eſt, perinde fuerit ſtatuere, quod Gnoſtici Simone Mago duce & magiſtro gloriari jure debeant, aut cum Moshemio velle totam eorum diſciplinam ab Orientalibus iis Philoſophis, qui de mali originibus multa diſſeruere, acceptam fuiſſe: utra enim opinio deligatur, illud ſemper erit exploratum, quos tanquam Chriſtianos celebravit Freretus, non Apoſtolos & Chriſti diſcipulos, ſed vel Simonem Magum, vel Orientales Philoſophos, vel Platonicos, vel alios denique inſtitutores & duces habuiſſe. Et philoſophiae quidem, cui ſeſe unuſquiſque illorum addixiſſet, ſtudioſi adeo erant, tantoque in illam amore capti, ut ad res Chriſtianas conſiderandas non alia ratione acceſſiſſe videantur, niſi ut ſeſe magis magiſque in Philoſophorum decretis confirmarent, quae animo penitus imbiberant, enitendumque ſibi omnino eſſe putarent, ut religionis, quae jam inter Ethnicos, Judaeoſque ingentes rumores excitaverat, magnumque ſibi pepererat nomen, ſtatuta & dogmata cum ſuſceptae philoſophiae ratione conciliarent, ne haec tanto praeſidio, tantaque confirmatione deſtitueretur. Quum res a Chriſto geſtae Orbem compleviſſent univerſum, & prodigia ac miracula omnium ſplendidiſſima, quae eiuſdem Apoſtoli, diſcipulique patrabant, Gentium omnium admirationem animumque ad eas paullulum conſiderandas excitaſſent, eius quoque generis ſectaeque Philoſophorum non pauci ad novam hanc religionem propius inſpiciendam acceſſerunt. Nam quum J. C. innumera edidiſſe miracula corporibus animiſque ſalutaria didiciſſent; tum viam hominibus oſtendiſſe non ignorarent divinam prorſus, nec hactenus auditam, cui inſiſtentes ex ſervitute libidi-

num & malorum geniorum sese feliciter eriperent, neque de rerum ab eo gestarum ulla ratione dubitari posse crederent, cum discipulos eius & amicos eadem facere intuerentur, in eam facile sententiam concesserunt, ut firmissime putarent ipsum a supremo Numine bonitatis omnis fonte in terram missum esse, ut tenebras miseris mentibus circumfusas dispelleret, hominesque doceret, quemadmodum anima ex corporeo veluti carcere extrahenda, & ad coeleste domicilium reducenda esset. Sapientia ipsa, cujus se studiosi venditabant, quamque unice se quaerere, atque in deliciis habere gloriabantur, ad suspiciendum Servatorem nostrum, atque ad illius gesta & dicta praeclara animo revolvenda concitabat. Missum is sese dixerat ad principis tenebrarum imperium evertendum, animos hominum ad eius iugum abiiciendum fuerat hortatus, rerum terrenarum & visibilium contemtum inculcaverat, immortalitatem denique animis, & ad Deum reversionem haec aliaque praecepta servantibus promiserat. Quae omnia cum praeceptis philosophiae suae convenire intelligerent, non poterant non esse certissimi de coelesti divinaque Servatoris origine, traditaeque ab eo Religionis veritate. Qua in sententia magis magisque firmabantur, quod persuasissimum haberent ex philosophiae illius decretis, quorum meminimus, mala omnia & incommoda, morbosque omnes tam corporis quam animi a materia, geniisque proficisci in terrarum Orbe dominantibus, & Humani Generis felicitati invidentibus, Jesum vero scirent, & Legatos ejus severe daemonibus imperasse, verbo abiecisse morbos, & calamitatibus denique quibusvis efficacissime subvenisse. Ex lege igitur institutisque disciplinae suae fateri Gnostici

compellebantur, a summo & optimo Numine tantorum effectorem operum dimissum esse. At quid in animum nostrum non possunt opiniones, quas semel pro certis, minimeque dubiis imbibimus? Haec ipsa doctrinae Christianae convenientia atque conformitas, quam reperire se putabant Gnostici cum sapientia illa quam profitebantur, quave ad Christum recipiendum suspiciendumque movebantur, haec eadem inquam ad ejusdem Religionis simplicitatem vitiandam, tum ad pervertendam historiae Christi veritatem incitabat, uti Moshemius animadvertit, qui etiam hosce homines ita secum disseruisse a vero non abhorrere arbitratur: Christus Dei Filius & Legatus fuerit necesse est, quia quaecumque ab ipso vel dicta vel facta accepimus, disciplinae confirmant veritatem, quam nostri Majores tradidere. At illi vero qui Christi sese discipulos esse dicunt, haud pauca docent, quae praeceptis sententiisque philosophiae nostrae contradicunt; materiam verbi gratia in se vitiosam, & omnium malorum scelerumque fontem esse negant: supremum Deum & Mundi hujus conditorem unum eumdemque esse, quemadmodum & Judaeis placet, opinantur: Christum vere ex Maria genitum, & idcirco praeditum corpore, incommodis naturae nostrae, miseriis, ipsi denique morti obnoxium fuisse volunt. Hi ergo, quoniam dogmata nostra verissima sunt, fueruntque praeceptis a Christo datis confirmata, necessario falluntur, & veram Religionis Christianae formam rationemque corrumpunt. Nos quidem ab his propterea recedere, talemque germanam Christi disciplinam esse credere oportet, qualem γνώσεως, seu cognitionis nostrae, cui & vetustas, & Jesus ipse favent, fundamenta & initia ferre possunt. Habes

his Moshemii animadversionibus totius Gnosticorum fabulae evolutam atque explicatam originem; juxta quam quaecumque in Evangelica historia de Christo referuntur, non vere sed apparenter tantum contigisse sibi persuaserunt. Corpus nimirum & materiam cum vitiosissimam esse vellent, & scelerato domino geniisque subiectam esse, necesse profecto erat, ut ex hominibus Dei optimi progeniem eximerent, & omni plane corpore spoliarent. Ex qua quidem positione illud consequebatur necessario, ut Christum umbra tantum humani corporis vestitum inter homines apparuisse tuerentur; tum illa supplicia & mortem, quam sustinuisse dicitur, non vere sustinuisse defenderent; ac denique redivivum e sepulcro surrexisse denegarent. Quod ut efficerent, Simonis Magi paradoxa ad usus suos transtulerunt; nam ille, ut diximus, Christum sola corporis specie illuxisse terris somniavit.

XVI. Tales fuere Gnostici, qui exeunte primo saeculo paulo numerosiores facti non paucis postea recte sentientibus exitio fuerunt. Quod cum ii animadvertissent, qui revera fuerant Servatoris discipuli, omni studio nisuque contenderunt, ut hos e Christianorum coetibus repellerent, eorumque deformitatem & opinionum portenta palam aperteque Ecclesiis significarent. Perstrinxit eos Joannes, dilectus Christi Discipulus, cum primo admonuit *pseudoprophetas* multos in mundum exivisse, tum eos quinam essent hisce verbis ostendit (1). *In hoc cognoscitur Spiritus Dei. Omnis Spiritus qui confitetur Jesum*

(1) Epist. I. 1. 2. 3.

Christum in carne venisse ex Deo est. Et omnis Spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus: & rursus (1) *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum venisse in carne: hic est seductor & Antichristus*. Vocat eos Joannes *Antichristos* non quidem qui Christo carnem nostrae similem auferrent, uti quidam interpretantur, sed eos qui nullam prorsus illi relinquebant nisi phantasticam, ut priores Gnostici. Non minus clare eamdem in sententiam loquitur ejusdem Christi Discipuli auditor Polycarpus, cujus quanta dignitas, & auctoritas sit nemo nisi plane Ecclesiasticae vetustatis rudis & imperitus nescit. *Polycarpus*, ajebat Irenaeus (2), *non solum ab Apostolis edoctus, & conversatus cum multis ex eis, qui Dominum nostrum viderunt, sed etiam ab Apostolis in Asia, in ea quae est Smyrnis Ecclesia constitutus Episcopus, quem & nos vidimus in prima nostra aetate (multum enim perseveravit, & valde senex gloriosissime & nobilissime martyrium faciens exivit de hac vita) haec docuit semper quae ab Apostolis didicerat, quae & Ecclesiae tradidit, & sola sunt vera. Et testimonium his perhibent quae sunt in Asia Ecclesiae omnes, & qui usque adhuc successerunt Polycarpo: qui vir multo majoris auctoritatis & fidelior testis veritatis est, quam Valentinus & Marcion, & reliqui qui sunt perversae sententiae. Is enim est qui sub Aniceto cum advenisset in Urbem, multos ex his quos diximus, haereticos convertit in Ecclesiam Dei, & unam & solam hanc veritatem annuncians ab Apo-*

(1) *E*pist. II. 7.
(2) Lib. III. 111. Edit. Oxon.

stolis percepisse, quam & Ecclesiae tradidit. At hic vir Apostolicus & eximius Philippenses confirmaturus adversus falsos fratres, qui in hypocrisi nomen Domini ferebant, exscripta primum magistri sui sententia illa *omnis qui non confessus fuerit Jesum Christum in carne venisse, Antichristus est* ita prosequitur, falsos illos fratres, Gnosticos nimirum, gravissime perstringens (1), *& qui non confessus fuerit martyrium Crucis ex Diabolo est: & qui eloquia Domini traduxerit ad desideria sua, dixeritque neque resurrectionem, neque judicium esse, hic primogenitus est Satanae .... Indesinenter ergo perseveremus in spe nostra, & pignore justitiae nostrae, quod est Christus Jesus*; qui pertulit peccata nostra in corpore suo super lignum, qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus (2); *sed & propter nos ut in ipso vivamus omnia sustinuit*. Joanni Christi Discipulo, tum alteri Apostolico viro Polycarpo Ignatius concinit aevi Apostolici martyr insignis, & Antiochenae Ecclesiae Antistes longe praestantissimus, qui Gnosticos praeclarissimis iis in Epistolis profligavit, quae summo Dei munere ad nos transmissae, cum a Calvinistis propter apertam optimorum dogmatum expositionem rejectae fuissent, tam accurate ab eruditis viris eidem vindicatae sunt, ut nihil hoc in genere certius, nihil illustrius requiri possit. Prostant autem Apostolici Scriptoris testimonia pro dogmate, quod Gnostici pervertebant, in ea praecipue quam ad Smirnaeos dedit Epistola, in qua Christi exposita Passione,

(1) Num. VII. & VIII. T. II. PP. Apostolic.
(2) I. Petri II. 24. 22.

plane ut ea ab auctoribus Evangeliorum litteris mandata est, ita inquit (1): Ταῦτα γὰρ πάντα ἔπαθεν δι' ἡμᾶς, ἵνα σωθῶμεν κ. τ. λ. *Omnia haec passus est propter nos, ut salutem consequamur, & vere passus est; sicut & vere se ipsum resuscitavit: non ut quidam infideles dicunt, secundum opinionem ipsum passum esse, ipsi secundum opinionem existentes: & quemadmodum sapiunt, sic & continget eis; qui phantastici sunt, ac daemoniaci.* Monet inde, ut istorum fugiant societatem, cum non Christiani sed ferae potius judicari debeant (2): *De his autem admoneo, Carissimi, sciens quod & vos ita habeatis, sed praemunio vos contra feras humanam formam praeseferentes; quos non solum oportet vos non recipere, sed si possibile est neque obviam eis fieri, solum vero pro ipsis orare, si quo modo poenitentiam agant, quod admodum difficile est. Hujus autem potestatem habet Jesus Christus, vera nostra vita. Si enim opinione sola haec a Domino nostro sunt peracta; & ego opinione sola vinctus sum. Quid vero & me ipsum morti dediticium tradidi, ad ignem, ad gladium, ad bestias?* Hinc eos Christum negare ait, qui veram carnem eidem auferunt: tantum abest ut ejusdem discipulos habeat. *Quid enim mihi prodest*, inquit (3), *si quis me laudet & Dominum meum blasphemet, non confitens ab ipso carnem gestari? Qui vero id non dicit, prorsus eum negavit, & ipse cadaver gestat. Nomina vero cum sint infidelia, non visum est mihi scribere; sed & absit a me, ut eorum mentionem faciam, donec resipiscant in passionem,*

(1) Num. II. T. II. PP. Apostolic.
(2) Num. 4.
(3) Num. 5.

quae est nostra resurrectio. Tandem cum docuisset, hosce haereticos ab Eucharistia se abstinere eo, quod Servatoris nostri esse carnem non faterentur, quae pro peccatis nostris passa est, quamque Pater sua benignitate a mortuis excitavit, ita concludit (1): *Decet itaque abstinere ab bujusmodi*; *& nec in privato, nec in communi colloquio de illis verba facere*. Alia praetereo Patrum Apostolicorum testimonia, quae non minus ostendunt primo exeunte, ineunteque secundo Ecclesiae saeculo, Gnosticos haereticosque violentiori impetu in Ecclesiam irruisse, quam summam execrationem manifestant qua a Viris Sanctissimis excepti fuere. Refellunt enim Gnosticos constantissime non minus quam Evangelista Joannes, demonstrantque, quam ii inaniter Divinitatis majestate perterriti carnis humilitatem a magno pietatis Mysterio removendam esse judicarent, unde sibi potius ac praeconceptis opinionibus absurdissimis indulgerent, quam eadem de re fidei ubique vulgatae, quam infinitis oculatis testibus, quam denique historiae fidem praestarent. Post haec audebit ne quispiam Gnosticos, hoc est eos, qui carnem phantasticam Christo adscripserunt, in Christianorum numerum censumque referre? Egregios enimvero Christianos & discipulos Christi, quos germani ejusdem Apostoli, aliique ab his instituti Antichristos, Primogenitos Satanae, Judaeos, Phantasticos, Daemoniacos, & Blasphemos appellavere!

XVII. Mirarer, Freretum ingeniosum hominem & eruditum

(1) Num. VII.

& eruditum fanaticorum hominum deliriis acceſſiſſe, niſi omnibus compertum eſſet & exploratum, tum ex eo libro, cujus aliquot ſingularia placita excutienda ſuſcepimus, tum ex aliis ejuſdem libellis, quam male in Chriſtianam Religionem animatus eſſet, quamque ſe torſerit, & fabulis commentiſque indûlſerit, unde eam labefactaret. Nihil certe abſurdius ea opinione Gnoſticorum, ſecundum quam verum Servatori adhaeſiſſe corpus negatur, cum ea & inconcuſſis monumentis, quorum aliquot jam adduximus, plane deſtruatur; & ipſi ejuſdem primi vindices ad eam defendendam infirmiſſimis ratiunculis uterentur; ſi eas tamen cavillationes ratiunculas appellare fas eſt, in quibus eſt perpetua cum recta ratione luctatio. *Jeſum*, ait Pearſonius (1), *quem credimus Chriſtum, paſſum eſſe, non neceſſe eſt ut multis probemus, cum ſponte id omnes inimici ejus fateantur: agnoſcebant hoc Gentiles, de hoc ſibi gratulabantur Judaei. Ac bene pro conceſſo id accipimus, quod tantum abeſt ut negetur, ut & nobis obiiciatur. Si fames ac ſitis, ſi ignominia & contemtus, dolores & luctus, plagae & verbera, ſi condemnatio, ac crucifixio paſſiones merito dicuntur, utique Jeſus paſſus eſt; ſi naturae noſtrae infirmitates, criminum noſtrorum pondus, hominum malitia, Satanae machinationes, ipſa denique Dei manus paſſionem ipſi inferre potuit, noſter Servator paſſus eſt. Si temporum Annales, Apoſtolorum ſcripta, Martyrum mortes, Gentilium confeſſio, Judaeorum ſcom-*

K

(1) In Expoſit Symboli ad IV. Art. pag. 328. latin. edit. 1691. Francofurti.

mata id abunde testentur, Jesus utique passus est. Neque ullus unquam extitit qui vere ac proprie passum negaret, nisi forte hi, qui prorsus absque ratione ipsum vere ac proprie hominem negabant. Et vero si tota Gnosticorum hac de re differendi affirmandique ratio inspiciatur, non alio momento ad tantae absurditatis defensionem adducti sunt, quam quia haud valerent ingenio suo adsequi, quomodo J. C. materiam sibi mali principis, & geniorum dominationi expositum opus adjunxisset; & quoniam tam multa fecisse Christum vulgatum erat, quae nullo ipsi concesso corpore evanescerent prorsus, inde ne insaniores viderentur, umbram, speciemve corporis eidem reliquerunt. Qua in re perversam philosophiae illius naturam juxta ac ingenii sui inopiam prodidere; nam si indigna erat caro ut a Christo sumeretur, negandumque id esse sibi ducebant, quod licet esset testatissimum, haud poterat tamen ab iis comprehendi, pari modo erat etiam habenda similitudo carnis, ut apposite contra Marcionem, ejusdem insaniae vindicem, argumentabatur Tertullianus inquiens (1): *Igitur non admissus ad consortium exemplorum Creatoris, ut alienorum, & suas habentium caussas, velim edas & ipse consilium Dei tui, quo Christum suum non in veritate carnis exhibuit. Si aspernatus est illam ut terrenam, &, ut dicitis, stercoribus infersam, cur non & simulacrum ejus proinde despexit? Nullius enim dedignandae rei imago dignanda est. Sequitur statum similitudo. Sed quomodo inter homines conversaretur, nisi per imaginem substantiae humanae? Cur*

(1) Lib. III. cap. X.

ergo non potius per veritatem, ut vere conversaretur, si necesse habebat conversari? Quando dignius necessitas fidem, quam stropham administrasset? Satis miserum Deum instituis, hoc ipso quod Christum suum non potuit exhibere, nisi in indignae rei effigie, & quidem alienae. Aliquantis enim indignis conveniet uti si nostris; sicut alienis non congruet uti licet dignis. Cur enim non in aliqua alia digniore substantia venit, & in primis sua, ne & indigna & aliena videretur eguisse? Si Creator meus per rubum quoque & ignem, idem postea per nubem & globum cum homine congressus est, & elementorum corporibus in repraesentationibus sui usus est, satis haec exempla divinae potestatis ostendunt, Deum non eguisse aut falsae aut etiam verae carnis paratura. Ceterum, si ad certum spectamus, nulla substantia digna est, quam Deus induat. Quodcumque induerit ipse dignum facit, absque mendacio tamen. Et ideo, quale est, ut dedecus existimarit veritatem potius, quam mendacium carnis? Atquin honoravit illam figendo. His similia plura cum in eodem Tertulliani libro, tum in Irenaeo reperies aptissima ad Gnosticorum opinionis inanitatem patefaciendam.

XVIII. Est autem animadversione dignum cumprimis, quod Irenaeus & alii Patres de carnis a Christo specie dumtaxat assumptae opinione disserentes, eamque exagitantes testimoniis utuntur ab Evangelica Historia depromtis; uti cum exempli gratia afferunt, nihil constantius nihil firmius aut frequentius sacra in Scriptura confirmari, quam Christum corpus suum pro nobis cruci affigendum tradidisse, sanguinem pro nobis fudisse suum, nosque eodem a daemonis servitute redemisse, ut inde concludant Christum verum corpus, veram carnem, verum sanguinem habuisse, & vere pro nobis paf-

sum esse; quum neminem dicere fas sit pretium pro nobis specie tenus esse solutum, nosque fuisse dumtaxat putative redemtos. Haec ostendunt, Gnosticos Evangelico usos fuisse instrumento, cum factis in eo contentis adversus eos pugnarit Irenaeus praesertim; minus utique prudenter id facturus, si Evangelia rejecissent. Sed & Epiphanius testatur, Gnosticos utrumque Testamentum adhibuisse, etsi Scripturas aut impudenter laniarent, aut ineptissime interpretarentur, inquiens (1): Χρῶνται δὲ καὶ παλαιᾷ καὶ καινῇ Διαθήκῃ κ. τ. λ. *Porro tam Veteri, quam N. T. utuntur, licet eum qui in Vetere locutus est, abdicent. Et quidem quoties vocem reperiunt, quae dogmati suo contrariam habere sententiam videatur, ab hujus mundi principe profectam illam esse praedicant. Sin aliquis ad illorum libidinem accommodari locus, & utcumque configurari possit, non ipsa quidem potestate verborum, sed pro depravati illorum ingenii captu, eo vero ad id quod cupiunt traducto, ab veritatis spiritu pronunciatum esse dictitant.* Quod deinde exemplis aliquot confirmat, ex quibus apparet, quam turpiter sacrarum exceperint oracula Scripturarum, eaque ad ineptias suas persuadendas pertraxerint. Non erit inutile interpretationum, quas ii adhibuere, specimen heic ex Epiphanio proferre. Itaque quod de Joanne ad Discipulos Servator dixerat (2) *Quid existis in desertum videre? Arundinem vento agitatam?* ita accipiebant ajente Epiphanio: *Quod, ut asserunt, nondum esset perfectus Joannes. Nam a pluribus ventis perflabatur arundinis mo-*

---

(1) Haeref. XXVI. num. VI.
(2) Matth. XI. 8.

re, quae ad unumquemque ventum agitatur. Itaque cum in eum principis Spiritus incumberet, Judaicum cultum praedicabat: cum vero Spiritus Sanctus adveniret, de Christo sermonem instituebat. Quo quidem haec verba pertinere putant: Qui minor est in regno coelorum major est illo (1)*: Quippe ad nos ista referuntur, ajunt, ut qui inter nos minor est, is Joanne sit praestantior.* Eamdem Gnosticorum licentiam sacris in litteris explicandis, sive verius perturbandis etiam ostendunt quae paullo post refert Epiphanius inquiens: *Addunt & perturbatam fuisse Mariam, atque humi cecidisse, eamque a Christo cum his verbis erectam.* Quare dubitasti modicae fidei? *Atque hoc ipsum esse volunt, quod in Evangelio dicitur* (2): Si terrena dixi vobis, & non credidistis, coelestia quomodo credetis? *Item illud*: cum videritis filium hominis illic ascendentem ubi erat prius, *hoc est, inquiunt, profluens semen exsorptum ut eo, unde exierat, revertatur. Item quod alibi scriptum est*: Nisi manducaveritis carnem meam & biberitis meum sanguinem. *Ad quae perturbatis Discipulis ac dicentibus*: Quis hoc potest audire? *de turpitudine sermonem eum institutum ferunt, ideoque turbatos retro pedem retulisse.* Aliorum Gnosticorum, & quidem omnium nequissimorum insanientis cerebri deliria in Christi parabolis interpretandis patientissime congerit Epiphanius ab iis adeundus qui luculentiora postulant illorum hominum cum temeritatis, tum inscitiae non vulgaris argumenta. Quamquam ad interprationes illas absurdissimas nulloque

(1) Matth. XI. 11.
(2) Joan. III. 12.

modo a sanis auribus ferendas adigebantur ea opinione, quam alte habebant infixam animis de corporis dumtaxat specie, atque figura a Christo Domino assumta; qua semel admissa necesse erat, ut Evangelicam historiam omnino depravarent. Legebant in hac Christum prodiisse e Virgine, sicut ceteros Hebraeorum pueros fuisse circumcisum, cum Patre & Matre in Aegyptum aufugisse; esuriisse saepius, frequentissime concionatum esse, non habuisse aliquando quo caput reclinaret, morbos plurimos ab hominum corporibus expulisse; denique opera Judaeorum comprehensum, flagellis caesum, aliisque adflictum tormentis ac ludibriis, in crucem actum, mortuum, ac demum vitae rursum restitutum fuisse. Quae omnia cum Christum verum habuisse corpus invictissime ostenderent, ipsique negare non possent ea contigisse, quum eadem infiniti testes confirmarent post Apostolos ac discipulos, a quibus in commentarios, eximium animi candorem praeseferentes, relata fuerant, hanc unicam evadendi viam quaesivere, ut affirmarent omnes eos testes ea omnia videre quidem sibi visos esse, sola tamen specie corporis & umbra a Servatore facta fuisse. Qui modus testatissimas historias, tot hominum suffragio robustas, explicandi confirmare magis, quam evertere videtur quae Apostoli memoriae tradiderunt. Si ii auctores non fuissent habiti Evangeliorum, quorum auctoritate, ut oculatorum testium nimirum, invicte premebantur, non erat cur sese depromtis ex iisdem testimoniis communirent, ut ineptias suas vix insanis probandas exponerent, aut in factis Christi ab iisdem enarratis explicandis tantopere insudarent, seque mirifice torquerent, ac demum ad apparentias confugerent inanes. Flagito autem a Frereto, num

iis teſtibus ſtandum ſit, qui rebus geſtis fuere proximiores, qui eas ſuiſmet oculis conſpexere, qui inſignia in ſcriptis ſuis candoris argumenta exhibent, an vero iis, qui oculatis illis teſtibus ferme omnibus extinctis hiſtoriam pervertendam ſuſceperunt non alio momento excitati, quam quod eam aegerrime, uti conſcripta fuerat, praeconceptis ſuis opinionibus aptare poſſent. At Chriſtum natum eſſe, inter mortales converſatum, tum mortuum, indeque redivivum e ſepulcro ſurrexiſſe eiuſdem diſcipuli cum Evangeliis tum in Epiſtolis, ab Gnoſticis plerumque admiſſis, tradiderunt, idemque Porphyrius, Celſus, Julianus, Svetonius, Tacitus, aliique gentium Scriptores retulerunt. Sed nativitas carnis, aiebant ii, erat Deo impoſſibilis, & inconveniens. Docti enimvero homines qui neſcirent, nihil Deo eſſe impoſſibile, niſi quod ipſe non vellet; acuti etiam, qui eamdem Dei ex Virgine nativitatem inconvenientem & inveriſimilem iudicarent, nec Deo dignam haberent; nam ſi noluiſſet naſci, nec homo videri voluiſſet: quia eum hominem qui videbant, in promtu erat ut natum reputarent; etſi naſci noluiſſet, nec voluiſſet exiſtimari natus, quia noluiſſet credi, quod vere non erat. Nec iure ab iiſdem dictum, quod Deo eſſet nativitas indigna, quia hominem amavit cum ipſum redemerit. Non potuit autem amare hominem, niſi amaret nativitatem, ſine qua non eſt homo. Si amavit nativitatem; non erat haec igitur indigna Deo, ut acute prorſus & vere ratiocinatur Tertullianus (1).

(1) Lib. II. *de Carne Chriſti* cap. III. & IV.

XIX. Revera opinio illa Gnosticorum, de qua hactenus verba fecimus, adeo cum historia & ratione pugnat, ut illorum plerique cum durum nec credibile putarent, Christum sine vero corpore tot ac tanta fecisse, non quidem fidem Apostolis, qui ea narraverunt, detraxerint, sed finxerint corpus eumdem habuisse, conflatum ex illa materia, qua domicilium Dei refertum esse putabant, & omnibus idcirco vitiis vacuum, quae caliginosis corporibus inesse solent: subtile hoc & aethereum corpus de coelo secum attulisse Servatorem; cumque coelestia huiusmodi corpora propter summam tenuitatem explicari vicissim & contrahi possint, idcirco illi licuisse per sanctae Virginis uterum instar aquae per tubum labentis transire. Levior quidem blasphemia quam illa Saturnini, Basilidis, & Marcionis, sed tamen blasphemia; nam ea pariter consequebatur, hominem a Christo nec salvatum nec redemtum fuisse. Sed neque tamen haec Christi nativitatis explicatio iis adridebat, in quibus plus erat verecundiae, quam ut sensuum testimonio adeo impudenter stulteque fidem omnem detrahere auderent. At hi leviora vitia gravioribus corrigebant; nam Jesum eo modo natum esse, quo mortales omnes nascuntur, perhibebant, sed animam corpus eius occupasse dictitabant valde sapientem & robustam, quae sese ab omni contagione corporis liberam & incontaminatam servavisset, tum omnes geniorum huic Orbi imperantium illecebras aspernata esset: adeo eos delirare oportebat, ut probatissimae historiae difficiles suas nugas accommodarent. Non defuere demum aliqui Gnosticorum, qui matre Virgine natum esse Jesum, & a mortuis surrexisse faterentur, quamquam haec fidei Catholicae dogmata sic traderent,

ut historiae

ut historiae quidem veritate se victos, philosophiae autem nescio cuius cum ea iungendae cupidissimos demonstrarent. Quod ostendere operae pretium fuerit, unde constet Freretum non incorrupta semper fide veterum Sectariorum opiniones edisseruisse. Certe duo illa fidei capita, quorum modo meminimus, duas sectas Gnosticorum, *Ophitarum* scilicet & *Sethianorum* professas fuisse ex Irenaeo constat aiente primum adseclas illarum affirmasse (1), *descendentem Christum in hunc mundum induisse primum sororem suam Sophiam, & exultasse utrosque refrigerantes super invicem. Et hoc esse Sponsum & Sponsam definiunt. Jesum autem, quippe ex Virgine per operationem Dei generatum, sapientiorem & mundiorem & iustiorem hominibus omnibus fuisse. Christum perplexum Sophiae descendisse & sic factum esse Jesum Christum*. Passionem autem ejus & resurrectionem agnovisse ex altero eruere licet Lugdunensis Antistitis testimonio, quod etsi prolixius, est heic tamen lectorum oculis subiiciendum, unde constet etiam modus ac ratio, qua historiam Evangelicam explicaverunt. Scribit igitur Irenaeus (2), Ophitas, Sethianosque dixisse: *multos ex discipulis eius* (Jesu) *non cognovisse Christi descensionem in eum: descendente autem Christo in Jesum, tunc coincepisse virtutes perficere, & curare, & annuntiare incognitum Patrem, & se manifeste filium primi hominis confiteri. In quibus irascentes principes, & patrem Je-*

(1) Lib. I. advers. Haeres. cap. XXX. num. 12. Edit. Mass.

(2) l. cit. num. 13.

su, operatos ad occidendum eum, & in eo quum adduceretur, ipsum Christum cum Sophia abstitisse in incorruptibilem Aeonem dicunt; Jesum autem crucifixum, non autem oblitum suum Christum, sed misisse desuper virtutem quandam in eum quae excitavit eum in corpore: quod & corpus animale & spirituale vocant; mundialia enim remisisse eum in mundo. Videntes autem discipuli resurrexisse eum, non eum cognoverunt, sed ne ipsum quidem Jesum cuius gratia a mortuis resurrexit. Et hunc maximum errorem inter discipulos eius fuisse dicunt, quoniam putarent eum in corpore mundiali resurrexisse, ignorantes quoniam caro & sanguis regnum Dei non apprehendunt (1) &c. Jesum denique inclaruisse prodigiis agnovisse videntur, dum distinctionem illam Jesu & Christi confirmaturi haec attulere (2): *Confirmare autem volunt descensionem Christi, & ascensionem ex eo quod neque ante baptismum, neque post resurrectionem a mortuis, aliquid magni fecisse Jesum dicunt discipuli, ignorantes adunitum esse Jesum Christo, & incorruptibilem Aeonem hebdomadali, & mundiale corpus animale dicunt. Remoratum autem eum post resurrectionem xviii. mensibus & sensibilitate in eum descendente didicisse quod liquidum est: & paucos ex discipulis eius, quos sciebat capaces tantorum mysteriorum, docuit haec, & sic receptus est in coelum, Christo sedente ad dexteram Patris Ialdabaoth: uti animas eorum qui cognoverunt eos* (Christum & Jesum) *post depositionem mundialis carnis recipiat in se, ditans semetipsum, Patre eius ignorante, sed ne vidente quidem*

---

(1) I. Cor. XV. 50.
(2) l. cit. num. 14.

eum: uti in quantum Jesus semetipsum ditat in sanctis animabus in tantum Pater eius in detrimentis factus deminoretur, evacuatus a virtute sua per animas. Clara sunt haec, atque perspicue docent, hosce Gnosticos dogmatis suis non declarasse quae Historia habet Evangelica, veritati adversari, ut nullo facto discrimine Freretus asseruit, sed contra illius praecipua quaedam capita professos fuisse, atque insuper affirmasse discipulos Christi illius historiam condidisse. Erant autem hi ab Ophianis illis longe diversi, qui ab Origene memorantur (1), quique in coetum suum admittebant neminem, nisi Christum prius exsecratus & detestatus fuisset. Sed non propterea ii, de quibus hactenus diximus, in censum sunt referendi Christianorum, ut ex adductis Irenaei testimoniis patet.

XX. Atque his universim de Gnosticorum dogmatis eorumque auctoritate, & historica fide animadversis, mea cum Frereto, quoad primi aevi Christiani Sectarios pertinet, absoluta videri disputatio posset, ac mihi propterea liceret praeterire, quae idem ad dubia sua adversus Apostolicam Originem Evangeliorum commendanda atque exornanda ex Cerintho, Basilide, Marcione, Valentino, Ebione, aliisque congessit. Sed quoniam ex horum cognitione, atque ex genuina dogmatum, quae iidem tutati sunt, expositione majorem veritas lucem perceptura est, singula propterea hoc loco proferre statui ac perpendere ut cujusmodi ea sint, & quo

L 2

(1) Lib. VI. c. Celsum num. 27.

loco habenda quae Freretus exaggeravit facile quisque decernere possit. Is itaque Gnosticis tanquam legitimis probatisque Apostolicae doctrinae & Evangelicae Historiae testibus, Cerinthum adjungit, quem eadem ac illos sensisse scribit. Cerinthus, inquit (1), eadem ferme tuebatur, Verbum nempe Dei carnem non esse factum; affirmabat enim impossibilem habendam esse J. C. ex Virgine nativitatem, Josephum verum ejusdem patrem fuisse, tum a mortuis non fuisse excitatum cum ea in opinione versaretur non esse nisi cum ceteris hominibus resurrecturum. Atqui nec fidelior est testis Historiae Christi Cerinthus ac Gnostici sint, a quibus pleraque accepit, nec ea omnia docuit, quae Freretus docuisse arbitratur. Et Jesum quidem Cerinthi sententia e sepulcro redivivum surrexisse idem Irenaeus est testis, quem tamen Freretus citat, ut probet hunc Haereticum Christi resurrectionem inficiatum esse: *Et Cerinthus autem quidam in Asia*, inquit (2), *non a primo Deo factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata, & distante ab ea principalitate, quae est super universa, & ignorante eum, qui est super omnia Deum. Jesum autem subjecit non ex Virgine natum* (*impossibile hoc enim ei visum est*)

---

(1) Pag. 6. Cérinthe étoit dans les mêmes idées; il soutenoit qu'il étoit impossible que J. C. fût né d'une Vierge, il ne doutoit pas que S. Joseph ne fût son Pere; il nioit la resurrection de J. C. qu'il pretendoit ne devoir ressusciter qu'avec les autres hommes. *S. Irenée l.* 1. *c.* 26. *n.* 1. *S. Epiphanes Hom.* 28. *p.* 110.

(2) Lib. I. cap. XXVI. num. I. edit. Mass.

fuisse autem eum Joseph & Mariae filium, similiter ut reliqui omnes homines, & plus potuisse prudentia & sapientia ab hominibus. Et post baptismum descendisse in eum ab ea principalitate, quae est super omnia, Christum figura columbae, & tunc annuntiasse incognitum Patrem & virtutes perfecisse; in fine autem revolasse iterum Christum de Jesu, & Jesum passum esse & resurrexisse, Christum autem impassibilem perseverasse. Haec Irenaeus, cui subscribere latius tutiusque fuerit, quam Epiphanio, aut iis qui eumdem exscripserunt, cum hic praesertim non satis cohaerenter hac de re disseruerit, & sit vero haud absimile magistro tribuisse, quae discipuli ab eo secedentes postea docuerunt, ut haud inepte coniicit Massuetus (1). Certe Epiphanius sententiam Irenaei perspicue antea firmaverat, asserens (2) πεπονθότα δὲ τὸν Ἰησοῦν καὶ πάλιν ἐγηγερμένον *Jesum obiisse mortem & ad vitam excitatum esse*; quamquam paullo post in aliam visus fuerit sententiam concessisse. Irenaeum igitur, cum quo & ipse primum consensit Epiphanius, magis audiendum esse arbitramur. Sed fac Cerinthum Jesu resurrectionem negavisse, ut videtur ejusdem divinam naturam negasse; num jure hominis auctoritas urgebitur, qui auditis Alexandriae Judaeis quibusdam hellenistis, & gentilibus, perlectisque etiam doctrinis Christianorum variegatum veluti systema conflavit ex Judaismo, Ethnicismo, & Christianismo coalescens, adeoque nec Judaeus fuit nec Christianus, ut hac etiam in re cum ce-

(1) Differt. I. in Iren. Art. II. num. 128.
(2) Haeresi XXVIII. num. 1.

teris conveniret illorum temporum heterodoxis, qui in religionis negotio non infrequenter eclectici, anonymi & acephali fuerunt? Neminem inveneris, Frerete, qui cum te adeo velit desipere, ut inter Christi discipulos illum censeat, quem Apostolici vere homines summa execratione detestati sunt, quique non alia de caussa Jesu ex Virgine nativitatem, illiusque divinam naturam inficiatus est, quam quod tantam rem ingenio suo adsequi non valeret. *Sunt*, aiebat Irenaeus (1), *qui audierunt eum* (Polycarpum Joannis Evangelistae Discipulum) *dicentem, quoniam Joannes Domini Discipulus in Epheso iens lavari, quum vidisset intus Cerinthum, exsilierit de balneo non lotus; dicens quod timeat, ne balneum concidat, quum intus esset Cerinthus inimicus veritatis.* Quam historiam exscripsit Eusebius (2), itemque Epiphanius (3), qui tamen Cerinthi loco Ebionem nominat. Eumdem porro Joannem Apostolum Evangelio conscribendo manus admovisse, ut Cerinthum & alios Christi divinitatis osores refelleret auctor est cumprimis gravissimus Irenaeus (4); idemque aliis etiam ecclesiasticis monumentis edoctus Hieronymus plenius scripsit inquiens (5): *Cum esset in Asia, & jam tunc haereticorum semina pullularent Cerinthi, Ebionis & ceterorum, qui negant Christum in carne venisse, quos & ipse in Epistola Antichristos*

(1) Lib. III. cap. III. edit. Mass.
(2) H. E. lib. III. cap. XXVIII.
(3) Haeresi XXX. num. 24.
(4) Lib. III. cap. XI.
(5) Praef. ad Com. in Matth.

vocat, & Apostolus frequenter percutit, coactus est ab omnibus pene tunc Asiae Episcopis & multarum Ecclesiarum legationibus de divinitate Servatoris altius scribere, & ad ipsum, ut ita dicam, Dei Verbum non tam audaci, quam felici temeritate prorumpere, unde ecclesiastica narrat Historia, cum a fratribus cogeretur, ut scriberet ita facturum se respondisse, si indicto jejunio in commune omnes deprecarentur. Quo expleto revelatione saturatus, illud prooemium e coelo veniens eructavit. In principio erat Verbum. Quod exordium erat aptissimum ad Cerinthi, aliorumque exitialem haeresim evertendam. Aliorum Patrum de Cerintho judicium alibi exponit idem Hieronymus, affirmans ab iis una cum Ebione anathematizatum fuisse (1). Tanta cum se detestatione exceptum vidisset Cerinthus nec diu, nec vero multum potuit conditam ab se sectam propagare; & licet in Asia primum sibi suisque adseclis scholam erexisset, tum eamdem ab omnibus rejectus in finitimam Galatiam transtulisset, secundo tamen saeculo desiisse fere illam, aut contabuisse apparet; quum Irenaeus sic de ea loquatur ac si aetate sua defecisset, aut saltem deficere inciperet, nec vero magnos tumultus excitaret. Egregia enim vero Cerinthi, Apostolici viri scilicet Frereti sententia, monumenta & traditiones, quae vix natae contabuerunt.

XXI. De Jesu Christi natalibus eiusque ex Virgine ortu testis est fide dignior Matthaeus, cuius Evangelium probasse Cerinthum paullo post dicemus; nec sane quidquam prohibet, ut id esse factum

(1) Epist. 80. ad August.

miraculo dicamus quod solitis naturae viribus fieri non potest, cum divina maxime sapientia dignum esset, ut unicus homo Servator singulari ratione nasceretur. *Nove nasci debebat*, aiebat Tertullianus (1), *novae nativitatis dedicator, de qua signum daturus Dominus ab Esaia praedicabatur*. At is maluit Servatorem contemnere, & divinam Omnipotentiam inficiari, quam eum e Virgine natum fuisse confiteri. Christi nomen alteri, quam Jesu Mariae filio convenire nonnisi vociferare ille poterat, qui Christum seu Messiam e sanguine Davidis oriri debuisse plane oblitus videri vellet, eiusque in locum commenticium nescio quem principem immani delirio supponere. Etiam in ceteris vanus atque inconstans homo fuit, ut is certe debuerat esse qui religionis dogmata, cui nomen dederat, ad acuminis sui aciem tantum expendere statuerat; eamque cum Judaica religione aliisque disciplinis quas in Ægypto didicerat ita consociare, ut novam ac plane singularem formam religionis comminisci se velle voluisse videretur. Mundi originem more Gnosticorum naturis supremo Numine inferioribus attribuit, ut ex Irenaei verbis supra exscriptis patet; ex quibus etiam discimus, & quam insanus ille fuerit, & quam vero creduli ac stulti illius discipuli qui putarent Cerintho Deum illum, qui Creatori mundi ignotus fuerat, ipsi eidem innotuisse, quasi ipse mundi Creatore potior esset. Sed demum id commodi ex hoc homine caussa accipit, quam tuemur, quod

(1) Lib. *de Carne Christi* cap. 17.

quod Matthaei Evangelii agnoverit authenticitatem, illiusque auctoritatem adhibuerit, ut suam impietatem obfirmaret. Ad hoc probandum Evangelium duabus potissimum de caussis adductum fuisse scribit Epiphanius (1); altera quidem dum asserit Carpocratem & Cerinthum Matthaei Evangelio fretos ex ejusdem initio, sive genealogia probandum suscepisse, Jesum ex Josephi & Mariae semine genitum fuisse, altera autem, quod eodem mosaicas ceremonias adhuc esse servandas custodiendasque constare arbitrarentur. Prima caussa, ait Epiphanius, erat *propter genealogiam, quae eius est carnis propria*; nam cum ipse Cerinthus & discipuli Jesum Mariae & Joseph filium, ex utriusque commercio generatum putarent, contextam a Matthaeo Josephi genealogiam Catholicis obtrudebant, frustra hanc fuisse positam dicentes, si utriusque filius Jesus non erat. Stolidos sane homines & improvidos! quorum dicta nullo pacto inter sese cohaerere posse videntur. Utebantur scilicet ut patet illa ipsa, quam Matthaeus contexuit, genealogia ad id probandum, quod Auctor non semel eo loci negat apertissime. Ita enim Matthaeus de generatione Jesu loquitur: (2) *Liber generationis J. C. filii David*. Et postea: *Christi autem generatio sic erat: cum esset desponsata mater eius Maria Joseph, antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Et paulo post: & *Ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei dicens: Jo-*

M

(1) Haeres. XXVII. num. 5. & XXX. num. 14.
(2) Matth. cap. I.

seph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est; ac rursus demum: *Vocabis nomen eius Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit & pariet filium... Et accepit conjugem suam, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum: & vocavit nomen eius Jesum*. Quibus oraculis disertissime etiam refellitur ineptissima illa Jesum inter & Christum a Cerintho inducta distinctio, & hunc non alium ab illo esse monstratur; nam ut animadvertit Irenaeus (1) *Poterat dicere Matthaeus: Jesu vero generatio sic erat. Sed praevidens Spiritus Sanctus depravatores, & praemuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthaeum ait: Christi autem generatio sic erat, & quoniam hic est Emmanuel, ne forte tantum eum hominem putaremus*. Aliis hunc errorem perstringit observationibus Irenaeus, & cum eo SS. Ignatius M. Polycarpus, & Justinus. Secunda caussa, quae eumdem haereticum impulit ad Matthaei Evangelium excipiendum, ea fuit, quod in eo legeretur (2) pronunciasse Christum *sufficit discipulo ut sit sicut magister eius*, ex quibus cum ille tum discipuli colligendum esse censebant, Christianos omnes circumcisioni, ceterisque Judaicae religionis ceremoniis & ritibus obnoxios esse: *Circumcisus est Christus*, inquiebant (3), *tu quoque circumci-*

(1) Lib. III. cap. 18. Edit. Oxon.
(2) Matth X. 25.
(3) Apud Epiph. Haere. XXVIII. n. 5.

dere : Christus ex legis praescripto vitam instituit, tu igitur eadem facito. Quae innuunt in ea Cerinthianos sententia sive errore fuisse, ut abusi verbis, quae longe aliud quam ceremoniarum custodiam usumque designarent, ritus omnes eos servandos vellent, quos Christus oeconomia quadam & sapientissimo consilio servavisset, adeoque Judaeos verius quam Christianos fuisse. Atque haec etiam ostendunt Cerinthum & eius adseclas Matthaei Evangelio usos fuisse. Sed non desunt, qui Epiphanio duce putent non integrum illud, sed nonnullis resectis capitibus suscepisse, cum ille ita scripserit: (1) Χρῶνται γὰρ τῷ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγελίῳ ἀπό μέρους καὶ ὀχὶ ὅλῳ κ. τ. λ. *Matthaei enim Evangelio non integro, sed ex parte dumtaxat utuntur, nimirum propter genealogiam &c.* Quod etiam Philastrius narrat. Sed iure veretur Massuetus (2), ut uterque Cerinthianos cum Ebionitis confuderit; nam soli ex veteribus id illis adscribunt, quod his alii constanter tribuunt, nec sit verisimile id ab Irenaeo Cerinthi errores & perversitates referente omissum fuisse, quod Ebionitarum dogma recensens admonere non neglexit. His accedit, quod secum ipse Epiphanius pugnare videatur; nam alibi, ut mox dicemus, Carpocratem & Cerinthum Matthaei probasse Evangelium conceptis verbis affirmavit, discrimine etiam inter Cerinthianos, & Ebionitas constituto, quod hi ex Evangelio ea resecarent, quae illi retinebant.

(1) Haeresi XXXVIII. num. 5.
(2) Differt. I. in Iren. num. 125.

Nihil igitur ineptius iactare Freretus potuit, quam Cerinthi auctoritatem, ut Christianos primitivos, & quidem e discipulis Christi vel Apostolorum, historiae Evangelicae illiusque origini repugnasse persuaderet.

XXII. Cerintho Ebionitas iungit Freretus. Communior, inquit (1), receptiorque inter eos fides, atque sententia fuit, Josephum verum J. C. patrem extitisse. Hinc Symmachus, quem illorum sectae nomen dedisse constat, adversus Genealogiam a Matthaeo contextam stylum acuit. Hi ergo Christiani primitivi, ut is iudicat, cum J. C. divinitatem, tum etiam eiusdem a mortuis resurrectionem inficiarentur, agnoscere non potuere Apostolicam originem Evangeliorum, in quibus illa dogmata praedicantur. Atqui non erit operosum ostendere, quam inconsiderate Freretus paucorum delirantium hominum auctoritatem iactitarit. Id vero ut intelligatur operae pretium erit animadvertere duorum praecipue errorum cum a vetustis, tum a recentibus rerum Christianarum melioris notae Scriptoribus plurimos Ebionitarum postulari; quorum alter negatio divinitatis J. C. fuit, alter erga mosaicam Legem immoderatum noxiumque studium & amor. Postremus hic error alterum pepererat quasi necessario; illum vero sibi in animum induxerant quod esse testatissimum putarent Legem illam tanta olim

---

(1) Pag. 6. La creance plus commune des Ebionites étoit que J. C. avoit Joseph pour vray pere. Symmaque qui embrassa cette secte ecrivoit contre la genealogie que S. Matthieu donne a J. C. &c.

ſolemnitate promulgatam, tot ſtupendis miraculis ac prodigiis comprobatam, tanta denique religione cultuque a Prophetis, Patriarchis, aliiſque Sanctiſſimis viris cuſtoditam, perpetuo eſſe duraturam, nec unquam abrogandam. Huiuſce eorumdem ſententiae luculentiſſima apparent teſtimonia in libris Irenaei, Tertulliani, Euſebii, Hieronymi, Auguſtini, Epiphanii, aliorumque Scriptorum, ex quibus laudaſſe ſatis erit unum Irenaeum de Ebionitis ita ſcribentem (1): *Circumciduntur ac perſeverant in his conſuetudinibus, quae ſunt ſecundum Legem, & Judaico charactere vitae, ut & Hieroſolymam adorent, quaſi domus ſit Dei*. Hanc vero eamdem de moſaicis legibus perpetuo duraturis ſententiam, indeque ipſarum cuſtodiam, perverſa etiam locorum quorumdam ſacrarum Litterarum interpretatio, tum neglectus auctoritatis Maiorum induxerant, a quibus niſi receſſiſſent facillimum ipſis fuiſſet intelligere tum ceſſaturam reſcindendamque legem a Moſe traditam, tum Meſſiae temporibus novam Hieroſolymis & e Monte Sion prodituram, quae non uni populo Judaico, ſed omnibus gentibus ac nationibus communis eſſet ſecundum vaticinia Prophetarum, atque hanc non aliam eſſe, quam legem Evangelicam, a Chriſto Domino vero Meſſia Hieroſolymis primum explicatam, tum deinde a Spiritu Sancto in Monte Sion ſuper Apoſtolos & diſcipulos Chriſti die Pentecoſtes effuſo confirmatam, atque non multo poſt ab iis in omnes terras & gentes potenti miraculorum virtute propagatam. Huius veritatis ſplendidiſſima

---

(1) Lib. I. cap. XXVI. edit. Maſs.

extabant in libris Esaiae, Amosi, aliorumque Sacrorum vatum testimonia, qui multo antea praedixerant Mosaicae legis praecepta, ceremonias, ritusque, tum sabbata, solemnitates, sacrosque apparatus tandem aliquando abrogatum iri. Et quî potuissent enimvero ritus ii esse perpetui, cum ipsemet Deus eorumdem Prophetarum ore denunciasset, Hierosolymitanum Templum, in quo solo Judaeis sacrificia offerre, sacrosque solemnes ritus peragere concessum erat, destructum iri demum, nec unquam amplius instaurandum? Quod revera paulo post mortem Christo inlatam contigit; nam Templum Salomonicum seu Hierosolymitanum ab Imperatoribus Romanis Vespasiano, & Tito eversum penitus & solo aequatum fuit. A quo tempore Judaei nullos amplius Sacerdotes habuere, qui leviticum sacrificium offerrent; quo semel sublato, necesse item erat, ut Mosaica cessaret & abrogaretur lex, cuius pars maxima in levitici Sacerdotii cultu ac religione versabatur. Hinc iure Apostolus Paulus Judaeos redarguebat hoc inconcusso & lumine naturali noto principio (1): *translato Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat*, quia sine sacerdotio, sine sacrificio nulla lex, nulla vera religio stare potest. Urgebat idem quoque, & cum eo ceteri divinae praecones veritatis, mandatos a Mose ritus ideo esse abrogandos, quod futurorum beneficiorum, & perpessionum Messiae signa tantum essent, & imagines, quae Messia ipso exhibito, & vice hominum in crucem acto vitaeque reddito, nulli am-

(1) Ad Hebr. VII. 12.

plius usui deservirent. Quae cum ii eludere atque explicare non possent, quorum animis falsa illa de Mosaicae legis aeternitate haeserat opinio, satius duxerunt de Servatoris persona vitiosissime sentire, quam ab ea semel suscepta sententia discedere. Et vero si concessissent J. C. esse filium Dei, Messiam Patribus promissum, humani generis Redemtorem, qui divinae Justitiae semetipsum pro hominum peccatis obtulisset, concedendum quoque illis erat ceremoniis & ritibus legis antiquae valedicendum esse. Satis ex his apparet quanti Ebionitarum facienda auctoritas sit, qui hac praecipue de caussa J. C. divinitatem agnoscere renuerunt, ne hac nimirum admissa abrogatos esse mosaicos ritus fateri compellerentur.

XXIII. Eamdem ob caussam multo minus Freretus Symmachi auctoritatem urgere debuerat, qui Samaritanus primum secta, tum Judaeus, ac denique Ebionitarum erroribus implicitus saeculo secundo exeunte vel ineunte tertio adversus J. C. Genealogiam a Matthaeo ex publicis Hebraeorum tabulariis exhibitam, furere cepit; eo tempore nimirum, quo vel ipso Frereto non dissentiente, Evangelium Matthaei compertum omnibus erat, atque a Patribus celebratum. De hac Symmachi impudentia Eusebius disserens haec habet (1): καὶ ὑπομνήματα δὲ τῦ Συμμάχυ εἰσέτι νῦν φέρεται ἐν οἷς δοκεῖ πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον ἀποτεινόμενος Εὐαγγέλιον τὴν δεδηλωμένην αἵρεσιν κρατύνειν, quae ita vertit Valesius: *extant certe etiam num Commentarii Symmachi, in quibus adversus*

(1) H. E. lib. VI. cap. XVII.

Evangelium Matthaei acriter disputans, supradictam haeresim adstruere videtur, scilicet Ebionitarum, qui Christum ex Josepho & Maria genitum nudumque hominem esse dicebant, & legem more Judaico servandam esse contendebant, ut idem Eusebius antea declaraverat. Hanc autem interpretationem Eusebii verborum vindicaturus nobilissimus interpres, ad ea πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον ἀποτεινόμενος εὐαγγέλιον haec adnotavit. *Pessime Rufinus, & Christophorsonus hunc locum verterunt, quasi Symmachus auctoritate Evangelii secundum Matthaeum usus fuerit, ut haeresim suam confirmaret. Nec melius Nicephorus hunc locum accepit, qui scribit Symmachum Commentarios in Matthaeum edidisse. Scio quidem, Ebionaeos solum Matthaei Evangelium admisisse. Verum illud Ebionaeorum Evangelium non ipsum Matthaei erat, cuiusmodi nos habemus, sed prorsus adulteratum, & capite ipso, idest Christi genealogia mutilatum, ut docet Epiphanius in eorum haeresi. Quippe Evangelium secundum Hebraeos, quo ipsi utebantur, ut docet Eusebius in libro tertio, authenticum Matthaei Evangelium esse dicebant, teste Hieronymo in Commentariis in Matthaeum. Ἀποτεινόμενος igitur hoc loco recte vertimus*, disputans adversus Evangelium Matthaei, *verum scilicet & nostrum. Musculus vertit* invehendo, *non male. Porro ab hoc Symmacho Ebionaei postea dicti sunt Symmachiani; eo quod Symmachus dogma illorum validissime asseruisset*. Sed Valesio ipsi ab aliis dissentienti non acquiescit Fabricius, cui inverisimile videtur Symmachum studiosum Ebionitarum Matthaei Evangelium perstrinxisse, quod hi tamen recipiebant. Itaque putat (1) ea Eusebii verba πρὸς τὸ κατὰ Ματθαῖον

(1) Biblioth. Graec. lib. IV. cap. IV. pag. 129.

ἀποτεινόμενος εὐαγγέλιον non aliud significare quam *prolixius insistens Evangelio*, ita ut eo Ebionitarum errorem stabilire niteretur. Quod ut probabile reddat, animadvertit in binis locis Basilii, & Chrysostomi, quae H. Stephanus in Thesauro adduxit, & quae Valesio ansam interpretationi suae dedisse videntur, ἀποτείνεσθαι πρός τινα commode exponi posse *diutius alicui inhaerere*, non ut interpretatur Stephanus *in aliquem invehi*. Tam inconstans ac varium Ebionitarum in suscipiendis Evangelicis commentariis mihi videtur ingenium fuisse, ut quid hac de re certi statuendum sit, vix definiri posse putem. Ebionitarum parentem Matthaei, Marci, & Lucae Evangelia suscepisse Marius Mercator scribit, dum Pauli Samosateni impietatis originem perquirens ait (1): *Totum impietatis Pauli malum ab Ebione magis stoico philosopho tractum est. Hic tempore adhuc Joannis Apostoli iuxta Asiam extitit, & Christum hominem communem ex Joseph & Maria natum, & eum vitae merito omne humanum genus praeivisse, proque hoc in Dei filium adoptatum, ausus est praedicare, asserens se Matthaei, Marci, & Lucae Evangelistarum auctoritatem secutum.* Quae non solum id quod diximus ostendunt, sed etiam monstrant hominem quemdam, cui *Ebion* nomen esset, revera extitisse, atque adeo eorum opinionem firmant qui tuentur ab eo Ebionitas nomen accepisse suum, non a paupertate tantum, quam profiterentur, aut ab ingenii fideique inopia, secundum quam πτωχῶς καὶ ταπεινῶς abiecte & humi-

N

(1) In Append. ad XII. Anath. Nestor.

liter de Christi persona sentirent. Sunt quidem in laudato Mercatoris testimonio non pauca quae partim consonant aliorum scriptis, partim nova videri possunt, sed haec omnia & alia erudite a Garnerio illustrata reperies ac ea praesertim, quae ad illius elevandam fidem ex Auctore *Praedestinati* petuntur, qui narrat (1) Ebionitas a Luca Antiochiae repertos damnatos fuisse, tum ex Hieronymo & Theodoreto scribentibus Ebionitas solum Evangelium *secundum Hebraeos* dictum admisisse: *Facili negotio*, inquit Garnerius (2), *lis dirimetur*; *si vel de Ebione Mercator, de Ebionitis alii intelligantur: vel Ebion ipse dicatur auctoritatem trium Evangelistarum secutus non tamen ἁπλῶς, quasi auctoritatem vereretur, sed ut aiunt ad hominem: quia receptam ab adversariis adhiberet*. Quae prior Garnerii responsio confirmari potest, imo etiam extendi ad nonnullos Ebionis discipulos, qui magistri sui vestigiis pressius inhaerentes plura Evangelia videntur admisisse. Certe Epiphanius in indiculo Haereseon, de Elcesaeis ita scribit (3): Ἰουδαῖοι δὲ ὄντες εὐαγγελίοις κέχρηνται; quae Petavius ita convertit: *ac licet Judaei sint, Evangelium nihilominus adhibent*, cum tamen sic etiam reddi percommode potuissent *Evangeliis nihilominus utuntur*: at Ebionitae cum Elcesaeis in non paucis convenere. Sed iam invaluit, & quidem magnis auctoribus opinio Ebionitas unicum Evangelium, quod secundum Matthaeum est, suscepisse. *Solo autem eo*,

(1) T. II. Lib. I. Haeresi 10.
(2) Differt. I. §. II. pag. 307. P. II.
(3) Tom. I. pag. 52.

inquit Irenaeus (1), *quod est ſecundum Matthaeum Evangelio utuntur, & Apoſtolum Paulum recuſant, apoſtatam eum Legis dicentes*. Idem teſtatur Epiphanius inquiens (2): καὶ δέχονται μὲν καὶ αὐτοὶ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον κ. τ. λ. *Atque Evangelium illi quidem ſecundum Matthaeum admittunt, quo ſolo Cerinthianorum vel Merinthianorum inſtar utuntur, idque ipſum ſecundum Hebraeos appellant. Etenim vere illud affirmare poſſumus unum ex N. T. Teſtamenti Scriptoribus Matthaeum hebraice ac litteris hebraicis Evangelicam hiſtoriam texuiſſe*. His declaravit Epiphanius unicum poſtea, more Cerinthianorum, fuiſſe ab iis exceptum Evangelium ſecundum Matthaeum, quod quia Hebraice eſſet conſcriptum ſecundum Hebraeos appellabant, in hoc tamen ab illis deinde diſcedentes quod Genealogia aliiſque mutilarent. *Vide* aiebat Epiphanius (3) *quam ſit eorum undequaque depravata doctrina, quam claudicantia diſtortaque ſint omnia, nec recti quidquam contineant. Cerinthus enim & Carpocrates eodem Matthaei, ut quidem volunt, Evangelio freti, ex eius initio Chriſtique Genealogia probare nituntur, Chriſtum e Joſephi & Mariae ſemine eſſe procreatum. Illi* (Ebionitae) *contra aliud omnino ſtatuunt. Nam omni illa genealogia amputata, inde unde diximus initium deducunt:* Factum eſt in diebus Herodis Regis &c. ita ſcilicet, ut in eo a praedicatione Joannis, & Baptiſmo Chriſti exordium ſumeretur. Jure hanc varietatem mi-

N 2

(1) Lib. I. cap. XXVI. edit. Oxon.
(2) Haereſi XXX. num. III.
(3) l. c. num. 14.

ratus est Epiphanius. Et sane si a Cerinthianis petiisses, quo argumento demum freti probare se posse confiderent *Christum Dominum non esse incarnatum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, sed e Josephi & Mariae semine procreatum, nulla mora protulissent ii genealogiam, quam eorum iudicio frustra Matthaeus prodidisset, si Josephus putatus quidem fuisset a Judaeis Christi pater, revera non fuisset. Deinde vero si sermonem ad eos Ebionitas, quorum modo neminimus, convertisses, ab iisque poposcisses, an aliquod huius impii dogmatis in primo Evangelii Matthaei capite reperirent vestigium, negassent utique. Et vero & hoc & sequens caput non aliam ob caussam amputasse videntur, atque reiecisse, quam quod videbant prava sua dogmata manifeste proscribi, atque damnari: usque adeo certum est, haeresim non cohaerere sibi, eiusque adseclas & antistites suis sese invicem armis iugulare. Respondissent nempe, ut argumentatur Germonius (1), iis duobus capitibus resectis, nullum ex Matthaei Evangelio peti momentum posse, quo ex Virgine matre Christi nativitas probaretur; se vero id negare, quod fieri non posset, ut divinae ille originis esset atque naturae, qui legem voluisset destruere, quam sibi probe notum erat, atque compertum nunquam desituram. Hac in classe Ebionitarum si censebatur Symmachus ita non inepte Eusebii verba, de quorum sensu nominati interpretes dissentiunt, accipi poterunt, ut non aliud significent quam a Symmacho genealogiam ut non authenticam, nec a Mat-

(1) De Vet. Haeret. Eccles. Codd. Corrupt. pag. 18.

thaeo mandatam litteris, oppugnatam fuisse. Irenaeus tamen loco supra laudato unicum penes Ebionitas Evangelium fuisse secundum Matthaeum memorat, nulla genealogiae exceptione facta, quam ii solerent reiicere. Ex quo suspicari possis priores Ebionitas more Cerinthianorum illa excepisse Evangelii capita quae solum posterioribus fortasse displicuerunt. Atqui illorum si vestigia pressit Symmachus, Ebionita satis antiquus, non potuit profecto adversus laudatam genealogiam illam acriter disputare. Certe cum Ebionitae eadem qua Cerinthiani insania laborarent, idem initio Evangelium Matthaei integrum excepisse credibile est. At displicuit postmodum iisdem genealogia, ut haereticis vetera frequenter fastidio sunt, & nova semper placent, atque idcirco repudiarunt, maxime cum ea urgeri possent non secus ac Cerinthiani. Denique cum Ebionitae plerumque furerent, more haereticorum scilicet, atque ad arbitrium Scripturas vel reciperent, vel repudiarent, facile potuere etiam aliis non canonicis uti Evangeliis, quemadmodum eadem licentia sub venerandis hominum Apostolicorum nominibus plerosque libros obtruserunt, ut admonitum Epiphanio (1). Revera Hieronymus Ebionitas Evangelium *secundum Hebraeos* ad usus suos transtulisse refert dum ait (2): *In Evangelio, quo utuntur Nazareni & Ebionitae, quod nuper in graecum de hebraico sermone transtulimus, & quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum*. Quod Evangelium a genuino Mat-

(1) Haeresi XXX. num. 15.
(2) Comment. in cap. XII. Matthaei.

thaei diversum fuisse ex fragmentis ab eodem Hieronymo allatis (1) perspicue adeo patet, ut eorum sententiam probare nullo modo possim, qui unum idemque fuisse arbitrantur. Sed & Theodoretus duplex Ebionitarum genus discernens, ut modo dicemus, quorum alterum Christi divinitatem inficiabatur, alterum eiusdem ex Virgine nativitatem agnoscebat, illud Evangelio *secundum Hebraeos* usum fuisse, hoc genuinum & authenticum Matthaei Evangelium adhibuisse testatur. Si ex illorum Ebionitarum numero, qui non alio, quam Evangelio iuxta Hebraeos utebantur, Symmachus fuit facile intelligetur, cur totum potuerit Matthaei Evangelium repudiare, ut Valesius contendit. Sed ut ut haec se habeant, illud certum est neque Ebionitarum, neque Symmachi, qui in eorum castra concessit, rationem aliquam habendam esse, dum aut Matthaei Evangelium prorsus, aut J. C. genealogiam tantum, quod videtur receptissimum, aspernati sunt, cum satis nota sit caussa, propter quam tantum facinus audere non dubitarunt, tot testibus, tot Ecclesiis repugnantibus, a quibus ea uti authentica & genuina Evangelii Matthaei pars semper fuit habita, non secus ac illa, quam descripsit Lucas, licet nonnulla in his occurrant pluribus difficultatibus implexa, & multa specie tenus pugnantia, in quibus tamen dispellendis & conciliandis cum Veteres tum Recentiores satis utiliter calamum exercuerunt. Si quas adhuc difficultates & tenebras reperiri in iis

(1) Dialog. III. c. Pelagian. num. 2. Vid. etiam Catalog. Script. Eccles. cap. II. *in Jacobo.*

increduli velint, meminisse debent, has uni ignorantiae nostrae esse deputandas, qui ut monet Iacquelotius nimis ab ea aetate distamus, qua res huiusmodi erat clarissima post Augusti Edictum praesertim, quo census gratia singuli iussi fuerant suarum proferre genealogias familiarum. Nec vero possunt laudati Evangelistae obscuritatis & implexionis incusari, nisi antiquis quibuscumque genealogiis Hebraeorum idem crimen inferatur; constat enim illas involutas esse, & ferme inextricabiles, quod obtinente apud illos leviratus lege, & frequentissimo adoptionis usu, duo persaepe unius eiusdemque patres occurrant, unus natura, alter lege, vel electione, diversis quoque nominibus unus idemque notetur, & frequenter e Maiorum suorum serie consueverint Hebraei illos abradere de quibus ob crimina publica vindicta sumta fuisset. Ut ergo hae tenebrae Hebraeorum genealogiis offusae earum certitudinem non imminuunt, ita quidquid in genealogia Christi hunc ob finem contexta, ut illum Davide satum esse constaret, nunc videtur obscurum, infirmare nequit quod eo tempore, quo illa vulgata fuit, perspectum erat, certum, clarum & exploratum.

XXIV. Novum porro non est, nec infrequens a magistris discipulos descifcere, & hos iterum inter se discrepare, & contraria statuere, ut praesertim tota docet Haereseon historia, in qua tanta occurrunt inconstantiae, varietatis ac licentiae argumenta, ut luculentiora mobilitatis animorum monumenta alibi requiri frustra posse videantur. Declararunt id, ut modo vidimus, exemplis satis manifestis Ebionitae, dum modo plura Evangelia modo unum, modo huius dumtaxat partem receperunt,

Neque in hoc tantum diversa a se invicem sensere, sed eorum plerique, Christum Servatorem nostrum e Virgine natum fuisse, tum resurrexisse a mortuis fassi sunt cum orthodoxis. Quod adversus Freretum ostendendum est, qui callide ingenuam horumce Christianorum Judaizantium confessionem dissimulavit, dixisse contentus eam communiorem receptioremque inter Ebionitas viguisse sententiam, qua Josephum verum Christi patrem extitisse statuitur. Testatur id cumprimis inter Scriptores veteres Origenes, duplex Ebionitarum genus discernens apertissime, cuius alterum J. C. virtute Spiritus Sancti ex Virgine procreatum asserebat. En eius verba (1): οὗτοι δ' εἰσὶν οἱ Εβιωναῖοι, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντες ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ιησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγεννῆσθαι, ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους, *tales sunt Ebionaei, cum ii qui Jesum e Virgine natum esse nobiscum confitentur, tum ii, qui istud reiiciunt, contenduntque natum esse ut ceteros homines.* Quam in sententiam distinctius loquitur Eusebius, cuius hoc de duplici Ebionitarum genere iudicium fuit (2): *Hi ab antiquis cognominati sunt Ebionaei, quippe qui humiliter admodum atque abiecte de Christo sentirent. Eum enim simplicem ac vulgarem, nec aliud quam hominem esse censebant, qui profectu virtutis iustus factus fuisset; ceterum ex viri cum Maria concubitu procreatum. Porro Legis observationem sibi omnino necessariam esse ducebant; quasi per solam in Christum fidem, vitamque ex ea fide traductam salutem consequi non*

(1) Lib. V. c. Celsum num. 61.
(2) H. E. lib. III. cap. XXVII.

non valerent. Haec Eusebius de primo genere Ebionitarum. Nunc de altero quid senserit videamus. *Alii ab his*, inquit, *eodem nomine nuncupati, absurdam priorum sententiam refugientes, Christum quidem ex Virgine, & ex Spiritu Sancto genitum esse non negant, sed iidem nihilominus, cum Christum utpote Deum Verbum, ac sapientiam Patris ante omnia minime substitisse fateantur, in eamdem cum prioribus impietatem delapsi sunt: cum praesertim corporales Legis mosaicae ceremonias, perinde ac alii accurate custodiant*. Huiusce inde Ebioniticae Sectae instituta describens, & quibus uterentur libris enarrans eodem loco ait: *Hi Epistolas Pauli prorsus reiiciendas esse censebant, desertorem illum Legis vocantes: solum autem Evangelium illud, quod secundum Hebraeos dicitur, amplexi, reliqua parvi faciebant. Et Sabbatum quidem aliosque Judaicos ritus non secus ac Judaei observabant: diebus vero Dominicis eadem quae nos in memoriam resurrectionis Domini peragebant. Cuius rei caussa Ebionaeorum nomen sortiti sunt, quo intelligentiae illorum inopia satis indicatur. Sic enim mendici apud eos vocantur*. Ex qua Eusebii de Ebionitis sententia maximi momenti consectarium fluit; patet nimirum alterum hoc ab eo commemoratum Ebionitarum genus duo illa christianae doctrinae capita, quae increduli obstinate negant, Christi videlicet ex matre Virgine nativitatem, eiusque a mortuis resurrectionem, professum fuisse, ad huiusque recolendam memoriam diem Dominicum, cum Orthodoxis sacrum habuisse. Quae luculenter etiam enarravit Theodoretus, cum de Ebione sectisque ex eo prognatis inquit (1);

O

(1) Haereticar. Fab. lib. II. cap. I.

Huius autem catervae princeps fuit Ebion, Hebraei vero mendicum ita vocant. Hic quidem unum, sicut & nos Ingenitum dixit, eumque mundi opificem esse docuit: Dominum autem J. C. ex Joseph & Maria natum esse, qui homo quidem erat, sed virtute & innocentia omnibus antecellebat, ex lege autem Mosaica vitam instituebat. Solum hi Evangelium secundum Hebraeos recipiunt, Apostolum vero apostatam vocant. Ex his erat Symmachus, qui Vetus Testamentum ex Hebraica in Graecam linguam transtulit. Alia praeter hanc classis fuit nominis eiusdem: nam & Ebionaei quoque vocantur. Qui in ceteris quidem omnibus cum prioribus conveniunt, τὸν δὲ Σωτῆρα καὶ κύριον ἐκ παρθένου γεγεννῆσθαι φησὶν *Servatorem vero & Dominum ex Virgine natum dicunt, Evangelio autem secundum Matthaeum solo utuntur, sabbatumque secundum legem Judaicam observant, & Dominicam more nostro sanctificant*. Sic ii Ebionitae, quibus Christi ex Virgine nativitas odiosa non erat, Evangelio secundum Matthaeum uti non dubitabant.

XXV. In ea autem doctissimi viri sententia versantur, ut velint Origenem & Eusebium Ebionitarum nomini latiorem potestatem subiecisse, omnesque Judaeos Christum ita professos, ut Maiorum tamen ritibus nuntium mittere recusarent, hoc vocabulo comprehendisse; ex quo deinde conficiant meliores Ebionitas nullos esse alios praeter illos, qui *Nazareni* appellati fuere. Quam sententiam tantam veritatis speciem praeseferre Moshemius arbitratur, atque ex alio Origenis loco, in quo notionem nominis Ebionitarum determinat, ita confirmari iudicat, vix ut everti posse videatur (1). Sunt autem

(1) Inst. Hist. Maj. saecul. I. P. II. c. V. §. XX.

haec Origenis verba (1) Εβιωναῖοι χρηματίζουσιν οἱ ἀπὸ Ἰουδαίων τὸν Ἰησοῦν ὡς Χριστὸν παραδεξάμενοι *Ebionaei illi vocantur, qui ex Judaeis Jesum pro Christo receperunt*. Quod si tam late, inquit Moshemius, nominis huiusce significatio patet, nullum fere dubium est, quin ad Nazarenos etiam extendi queat, hique alteram constituant Sectam Ebionitarum, quae Christi ex Virgine nativitatem fateretur. At longe aliter de Nazarenis aliis cum doctissimis viris pronunciandum esse censeo, nec ita facile cum alterius generis Ebionitis confundi debere puto. Plurimi ex circumcisione Episcopi Hierosolymitanam Ecclesiam ad Hadrianum usque, Eusebio teste (2), rexerunt, sub quo Imperatore Judaei patriis finibus eiecti sunt. Ex hac calamitate Judaeorum id Ecclesia commodi percepit, ut Christiani qui Legem hactenus Hierosolymis retinuerant, tandem cum Judaeis eiecti missam illam facerent, ut Sulpitius Severus testatur (3). Ex his tamen nonnulli Legis observationem obstinate retinuerunt. Quae pertinacia cum veniam habuisset aliquando, saltem apud eos, qui in summam lenitatem inclinabant, tandem ad haeresim & perpetuam ab Ecclesia secessionem perducta est, illiusque vindices *Nazarenorum* nomine notati; quo primum prisci e Judaea Christiani, qui Apostolis praedicantibus secundas aures praebuere,

O 2

(1) Lib. III. c. Celsum n. I.
(2) H. E. lib. IV. cap. V.
(3) Lib. II. Hist. Eccles. cap. XLV.

a contribulibus suis appellati fuerant (1), quia Dominus Jesus in oppido Nazareth fuerat enutritus, magnamque vitae partem transegerat, unde & *Nazarenus* cognominatus fuit. Ii vero Nazareni uti circumcisionem aliosque gentis suae mores retinuere, ita quoque rectam Domino Jesu fidem servaverunt: quod paucis placet ostendere; nam ex hac secta eiusque dogmatis validissimum adversus Frereti argutationes, tum contra Socinianos argumentum eruitur, quo palam fit eos etiam, qui ab Ecclesia catholica secesserunt, in agnoscenda praesertim J. C. divinitate cum ea consensisse, nullamque inde etiam habendam esse rationem paucorum insanientium Ebionitarum. Certe nihil illustrius afferri potest ad plenam defensionem veritatis, quam Sectarum cum Ecclesiis Christianis consensus. Frigent cavillationes, ubi ad haec argumenta ventum est; non enim verendum ne errorem ab haereticis Catholici, aut a Catholicis acceperint haeretici, aut utrique in suscipienda novitate conspirarint. Frustra metaphoras, & allegorias in Scripturae testimoniis quaerunt cum Arianis Sociniani, si nec haeretici nec Catholici primis saeculis quaesivere: frustra Filium Dei hominem de Spiritu Sancto conceptum interpretantur, si haeretici & Catholici aeternum & aequalem Patri interpretati sunt: frustra Verbum, per quod omnia creata sunt, Verbum carnem factum eludere conantur, si de his testimoniis Catholicos inter & haereticos primo ac secundo Ecclesiae saeculo convenie-

(1) Vide Mamachium lib. I. Orig. & Antiquit. Christ. §. XXV.

bat. Elucent haec in secta Nazarenorum, quorum fidem prae aliis exponit Justinus in Dialogo cum Tryphone. Cum hic ab illo quaesivisset, an salutem esset consecuturus, qui Legis observationem cum fide in Christum vellet coniungere, hoc responsum a S. Martyre accepit (1): Ὡ'ς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ ὦ Τρύφων λέγω ὅτι σωθήσεται ὁ τοιοῦτος κ. τ. λ. *Ut mihi quidem videtur, Trypho, talem dico salvum futurum, modo ne ceteris hominibus, id est eis, qui ex Gentibus per Christum ab errore circumcisi sunt, omnino persuadere conetur, ut eadem ac ipse observet, salutem adepturos negans, nisi haec custodiant*. Nam Hebraeorum, qui Mosaicam legem cum professione Christiana iungendam esse putabant, duplex erat sententia. Qui a Jacobo fuerant eruditi, Mosis legi sic esse parendum rebantur, ut tamen neque cogi debere ad colendam eam Ethnicos, qui Christo nomen dedissent, neque ea praetermissa quidquam inde Judaeum Christianum detrimenti capere posse vellent. Contra qui extiterant in Syria auctores turbarum, quorum iam fuerant impetus ab Apostolis in Concilio Hierosolymitano repressi, non solum se, sed etiam ceteros, qui Graeci fuissent origine, sine cultu illius Legis beatos esse posse in gloria sempiterna denegabant. Atque hos salutem consecuturos ad aliorum discrimen negat Justinus, qui Tryphoni petenti an non ideo dixisset Ὡ'ς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, quod essent qui aliter sentirent, ita respondet (2): *Sunt quidem qui secus sentiant, & cum talibus nec colloquii nec hospitii com-*

(1) Num. 47.
(2) Num. 47.

munione coniungi audeant οἷς ἐγὼ ϗ συγκαινὸς εἰμι *quibus ego non assentior*. Ex his, atque reliqua tota disputationis serie haud obscurum est hos Mosaicae, & Christianae legis cultores, nimirum Nazarenos, cum quibus nonnulli severius, Justinus autem lenius & liberalius, agendum esse contendebant, ab Ebionitis generis utriusque discrepasse, eo quod dogmata omnia, in primisque Christi divinitatem, de qua Justinus pluribus antea disseruerat & hoc ipso in loco disserit, custodirent. Nam, uti rectissime animadversum Marano (1), Justinus primo ea conditione homines huiusmodi communione donat, ut ne Legem necessariam existiment, & aliis imponant. Sed qui eis communionem ob hunc errorem denegasset, is profecto divinitatem Christi negantibus (qui error multo gravior est, & deterior) veniam dare non potuit, cum praesertim tam multis hoc dogma ut necessarium ad salutem tueatur. Secundo qui severius cum eis agendum esse ducebant, hac una re tenebantur, quominus cum eis communionem inirent, quod Legem observarent. Erat ergo tota difficultas hac in re posita, nec quidquam a ceteris Christianis, si Legis excipias observationem, discrepabant. Tertio ipse Trypho sic Justinum interrogat, ut de sola Legis observatione sermonem habeat; neque enim duplicem quaestionem ponit, an salvi scilicet esse possint & qui Jesum tantummodo Christum non vero Deum existiment, & qui cum hac fide Legem retineant: ne verbo quidem primam attingit quaestio-

(1) *Divinitas J. C. manifesta in Script. & Tradit.* lib. II. cap. VII. num. II.

nem, quae tamen diserte exponenda fuerat, si ut de legis abrogatione, ita etiam de huius mysterii fide aliquid remitti a Iustino postulasset. Quare cum quaerit an salvi esse possint, si qui cum fide in J. C. Mosaicam legem coniungant, non alium Christum intelligere potuit, quam quem Iustinus praedicaverat ante saecula existentem, & ex Virgine genitum, eosque salvaturum, qui ipsum agnoverint. Hieronymus quoque, cui hebraicarum studia litterarum & Iudaeorum consuetudo magnum rerum huiusmodi usum attulerant, Nazarenos ab Ebionitis distinguit, neque ullum alium ipsis naevum impingit, nisi quod cum in Christum crederent, simul tamen Legis ceremonias observarent. *Usque hodie*, inquit (1) *per totas Orientis Synagogas haeresis est Minaeorum, & a Pharisaeis nunc usque damnatur, quos vulgo Nazaraeos appellant, qui credunt in Christum Filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt esse, qui sub Pontio Pilato passus est, & resurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Judaei esse & Christiani, nec Judaei sunt nec Christiani*; propter circumcisionem scilicet, & quosdam alios Iudaicos ritus, quibus plus aequo adhaerebant. Porro secundum simpliciorem Christianorum veterum fidei professionem, quam Nazareni, cum ab aliis Christianis tum moribus tum regione segregarentur, ab Apostolis acceptam apud se servaverant, & qualem exhibet Symbolum Apostolicum, credere in Christum Dei Filium, idem prorsus erat ac credere Christum vere ac proprie Deum esse ex Deo Patre

(1) Epist. 80. quae est ad August.

genitum, ut animadvertit Lequienius (1). Unde adiecit Hieronymus *in quem & nos credimus*, ut eamdem esse Nazarenorum ac nostrorum Catholicorum fidem indicaret; eo vel maxime quod iidem Nazareni fidem gentium, a quibus Christus uti verus Deus colitur & adoratur, dignis laudibus prosequerentur, tanquam ab idololatriae crimine immunem, quemadmodum quarumdam Esaiae sententiarum interpretationes ab iisdem factae declarant (2). Sic ex productis Justini & Hieronymi testimoniis colligitur mirifice inter utrumque convenire. Quos enim describit Justinus, hi de Filio Dei idem quod ipse Justinus sentiebant. Similiter Nazareni idem quod Hieronymus; ut propterea istos ex primis ortos iure affirmari possit. His momentis alia bene multa Lequienius & Maranus addiderunt. Ipse paucis iam recitatis contentus, illud solum satis luculentum adiiciam ex eorumdem Nazarenorum Evangelio petitum, atque ex fragmento deprompum, quod Hieronymus affert (3), qui Evangelium illud ex hebraico, seu syriaco idiomate in latinum transtulit. Ita autem habet: *factum est cum ascendisset Dominus de aqua, descendens fons omnis Spiritus Sancti, requievit super eum & dixit illi: Fili mi in omnibus prophetis exspectabam te, ut venires, & requiescerem in te. Tu es enim requies mea. Tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum.* Secundum autem tritam in Scri-

(1) Differt. VII. Damascen. num. XVI.
(2) Apud Hieronym. Comm. in Cap. VIII. Esaiae.
(3) Apud eumd. Comm. in cap. XI. Esaiae.

in Scripturis, & apud Judaeos loquendi normam huiusmodi formulae *qui regnas in sempiternum*, *qui est benedictus in saecula*, soli Deo vero, nec ulli creatae substantiae conveniunt. Quae est altera praeclara Lequienii animadversio. Unde in eodem Evangelio, ut ab Ebionitis legebatur, nihil tale eo loci inerat, quemadmodum excerptum docet ab Epiphanio relatum (1).

XXVI. Post haec aperta Nazarenorum fidei documenta vix opus esse videtur ut in infringendis quibusdam Moshemii argutiolis immoremur, quibus infirmare conatus est, quae erudite prorsus & docte Lequienius disputavit. Originem cuius ille testimonio exsultat, & quasi ovans sibi triumphum decernit, duplex tantum Ebionitarum genus agnovisse, ita uti ipsius verbis, tum Eusebii ac Theodoreti testimoniis exposuimus, atque eo non comprehendisse Nazarenos, ex ipso eodem Origene esse manifestum reor, qui contra impurum sophistam Celsum differens (2) haec habet: *Quoniam vero ait Christianos etsi tantopere diffideant, dicere tamen omnes* mihi mundus crucifixus est & ego mundo, *& hoc ipsum falsum esse demonstrabimus. Sunt enim sectae, quae Pauli Epistolas non admittunt ut utrique Ebionaei*. Quibus nil clarius adduci potest ad ostendendum duplex tantum Ebionitarum genus, quale supra descripsimus, Origenem agnovisse, in cuius neutro Nazareni censeri queant. Nam cum hoc loci Adaman-

P

(1) Haeresi XXX num. 13.
(2) Lib. III. num. 1.

tius Ebionitas Pauli omnes epistolas abiecisse dicat; non potuit profecto cum his Nazarenos confundere, quos erga Gentium Apostolum optime affectos fuisse constat ex eorumdem enarrationibus in priores versus capitis IX. Esaiae praesertim ab Hieronymo recitatis, quo nemo melius fidem Nazarenorum ac mores exploratos habuit, ceu qui familiarissime iisdem usus sit, atque ipsos de Scripturarum sensu aliquando consuluerit. Hanc igitur ille Nazarenorum in Esaiae priores versus capitis noni interpretationem affert: *Nazaraei quorum opinionem supra posui, hunc locum ita explanare conantur. Adveniente Christo, & praedicatione illius coruscante, prima terra Zabulon & terra Nephtali Scribarum & Pharisaeorum est erroribus liberata, & gravissimum Traditionum Judaicarum iugum excussit de cervicibus suis. Postea autem per Evangelium Apostoli Pauli, qui novissimus Apostolorum fuit, ingravata est, id est multiplicata praedicatio & ad terminos gentium & viam universi maris, Christi Evangelium splenduit. Denique omnis orbis, qui ante ambulabat, vel sedebat in tenebris, & idololatriae & mortis vinculis tenebatur, clarum Evangeliorum lumen aspexit*. Hac expositione, notat Lequienius, qua Apostoli Pauli praedicatio, a qua Ebionitae & Cerinthiani, perinde abhorrebant ac Judaei, unaque gentium fides mirifice extolluntur, procul dubio significabant Nazareni, se totius Ecclesiae, quae diffusa erat per Orbem universum, doctrinam adprobare, nec ad instar Ebionitarum & perfidorum Contribulium suorum, Christianos ex gentibus, a quibus Christus uti verus Deus Patri consubstantialis (extinctis Samosateni & Photini haeresibus, suppressaque nuper Ariana) secundum traditam ab Apostolis ac praesertim a Paulo fidem

colebatur, tanquam idololatras aut anthropolatras taxare, nec proinde ipsum Deitate sua spoliare. Id quod etiam manifestius deducitur ex ipsorum expositione altera, quam Hieronymus in Commentario suo in Caput VIII. Esaiae inserendam censuit, quamque Lequienius recitat. Immanem hanc ab Ebionitis discrepantiam notam haud fuisse Origeni, ut potuerit inde Nazarenos cum Ebionitis confundere, vero proximum haud crediderim. Nec contra sentientibus laudata eiusdem verba suffragari possunt, quibus eos omnes Ebionaeos vocat, qui *Jesum pro Christo receperunt*. Praemiserat antea Ebionem *pauperem* significare; quod nomen utraque certe Ebionitarum secta merebatur; nam licet altera Jesum divini Spiritus opera in Virginis utero conceptum fuisse fateretur, cum tamen hoc solo Verbum aeternum non esse crederet, ac praeterea una cum generis alterius Ebionitis Judaicae legis observationem sibi aliisque esse necessariam putaret, hoc palam ingenii fideique suae inopiam ostendebat. At erat longe alia Nazarenorum mens, longe diversa sententia, qui Christum Deum Patris Verbum aeternum, & sapientiam esse fatebantur, colebantque tantae doctrinae praeconem S. Paulum, etsi nemo fortius eo ac vehementius restiterit iis, qui & Mosaicarum ceremoniarum perpetuitatem defendere, & Christianos omnes, iisdem subiicere studuerunt. Iam si ea, quae de Nazarenorum fide cum Justinus & Hieronymus tradidere, tum ea, quae ipsimet suis in Esaiam enarrationibus prodiderunt paullo attentius considerentur, prorsus evanescet Moshemii animadversio, quam ex fragmento Evangelii *secundum Hebraeos* supra exscripto conficit, atque his verbis

proponit (1): *Hoc tantum animadverti velim evidenter Spiritum Sanctum dici tum demum in J. C. descendisse, quum in Jordane baptismum Joannis susciperet. Quod si ante hoc tempus Spiritu Sancto caruit, certe nec Deus fuit, sed homo tantum mirifica Dei virtute procreatus.* Neque enim tantum eo in fragmento dicitur Spiritum Sanctum in Christum baptisma suscipientem descendisse, sed insuper auditam vocem, quae de eo haec magnifice praedicaret *Tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum*. Huic quidem formulae quaenam vis subiecta sit licet neminem constituere posse Moshemius putet nisi qui totam disciplinam Nazarenorum perspectam habeat, recte tamen est a Lequienio animadversum, uti iam innuimus, secundum tritam in Scripturis regulam & loquendi normam Judaeorum soli Deo vero, nec ulli creatae substantiae convenire. Profecto quaenam ea de formula Synagogae veterumque Magistrorum sententia esset optime noverunt ex Hebraeis orti Ebionitae, qui cum sibi proposuissent divinam Christi naturam inficiari, verba illa, quae eamdem innuebant, ex eo Evangelio eraserunt, atque ita locum illum ad sententiam sui accommodari posse crediderunt: *Cumque ascendisset ex aqua, aperti sunt coeli, & vidit Spiritum Dei Sanctum columbae specie descendentis, & intrantis in sese. Et vox reddita de coelo dicens: Tu es filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: ego hodie genui te, statimque eo in loco lux ingens affulsit* (2). Ex quo fragmento apparet

(1) Inst. Eccles. Hist. Maj. saeculo I. P. II. c. V. §. XIX.
(2) Apud Epiph. Haeresi XXX. num. 13.

etiam Ebionitas Evangelio quod secundum Hebraeos dicebatur, quodque Nazararenis in usu erat, quaedam ex authenticis Evangeliis suo more miscuisse, quae si integra, & incorrupta retulissent, suo semetipsos gladio interemissent. Revera Patres, ac Theologi quique peritiores hactenus crediderunt descriptum a Luca, tum etiam a Matthaeo, & Marco aeterni Patris de Christo testimonium sufficere ad illius divinitatem adstruendam contra Arianos in Socinianis aetatis nostrae redivivos, & ad ostendendum Christum esse filium Dei naturalem non adoptivum, quemadmodum in Concilio Francofordiensi adversus Felicem Vrgelitanum, & Elipandum Toletanum definitum fuit. Denique Moshemius Nazarenos de J. C. persona non recte sensisse ex eo probari posse contendit, quod Legis veteris tuerentur servarentque ceremonias quarum studiosi, ut nos etiam diximus, aegerrime adduci poterant ad agnoscendam, profitendamque Servatoris divinitatem. *At vero*, inquit Lequienius (1), *alia mente Ebionitae Mosaicae legis ceremonias sectabantur, alia Nazareni. Illi siquidem earum observationem necessariam omnibus ad salutem adipiscendam censebant, ita ut Apostolum, qui Gentiles Christianos ab hoc iugo eximendos docuerat, velut ἀποςάτην & perduellem exsecrarentur: Nazareni vero cum eumdem Paulum magni faciebant, & commendabant, tum Gentiles, qui nomen Christo dederant, sincero amore complectebantur, tametsi circumcisionem carnis aliaque Legis praecepta non admitterent. Quamobrem nequaquam eorum observantes erant Nazareni ceu sine illis obtineri sa-*

(1) Cit. Dissert. num. XXI.

lus non posset; *sed quibus profiterentur se esse de Abraham progenie*, *adeoque Domini Jesu fratres & cognatos secundum carnem*. Omnia haec igitur persuadent, nequaquam a Nazarenis in dubium vocatam fuisse catholicae Ecclesiae doctrinam de vera substantialique Domini nostri J. C. divinitate. Atque ita apparet Sectam, quae ex Christianis primi coetus Hierosolymitani coaluit dogmata omnia, atque historiae capita complexam fuisse, quae ad J. C. divinam naturam, ortum ex Virgine, passionem, mortem atque ex mortuis resurrectionem, ac cetera pertinent, cum hac una in re a Catholicis discreparet quod christianae institutioni ceremonias Legis vellet admiscere. Docebantur ergo dogmata illa vel ab initio in Ecclesia christiana, a qua Nazareni secesserant, sive potius fuerant eiecti propter iam mortiferas legis ceremonias. Nullam Sectam, quae ex Christianis vere coaluerit, illa Nazarenorum vetustiorem reperiet Freretus: atqui tamen illa dogmata omnia de Christo Deo & homine professa est, quae Historia tradit Evangelica, quaeque diverso modo, atque pro ingenio a J. C. discipulis varias in sectas distractis propugnata fuisse Freretus effutiit impudentia tanta, nihil ut ad eam addi posse videatur. Quare dum Sociniani aetatis nostrae atque Antetrinitarii tanquam parentes, & Patriarchas suos venerantur habentque Ebionitas, quorum praecipuum doctrinae seu impietatis caput fuit, Dominum Jesum ante Mariam non extitisse, nec proinde verum esse Deum, sed hominem dumtaxat eximium, iure id agere videntur, sed iniuria prorsus dum iis etiam Nazarenos adiungere non verentur.

XXVII. Quamquam nemo satis videat, quomodo Ebionitarum deliria vel Frereti paradoxum

tueri vel Socinianorum deploratam caussam iuvare possint. Qui primo secundoque Ecclesiae saeculo J. C. divinitatem eripere tentarunt, paucissimi fuerunt, erroremque suum in Asia fere sparserunt, ut Georgius Bullus apposite animadvertit (1). Hinc Martyr Ignatius in Epistolis ad Asiaticas Ecclesias conscriptis passim istos haereticos perstringit; idem vero ad Romanos scribens nullam inter illius Ecclesiae celeberrimae Christianos haeresin serpere significat; imo ipsa salutatione Romanos diserte laudat ob eximiam fidei puritatem, atque hac praecipue de caussa a Tertulliano *statu feliciorem* appellatam (2) fuisse a vero non abhorret. Idem Bullus de haereticis agens iisdem, qui divinitatem Christi negabant, & quos Martyr Justinus in Dialogo cum Tryphone damnat, ita scribit (3): *Satis aperte dixit Justinus, ipsos non modo a se diversum sensisse, verum etiam a fide τῶν πλειςῶν multitudinis Christianorum abiisse. Ac sane qui Justini aetate Dominum nostrum hominem tantum ex hominibus genitum esse docuerunt, vel Carpocratiani vel Cerinthiani, vel denique Ebionaei erant, qui in unum quasi corpus collecti, paucissimi erant ad reliquos Christianos comparati, omnesque ab Ecclesiarum Apostolicarum communione segregati fuerunt.* Igitur laudari verius possunt tanquam testes summi inter omnes Christianos hac de re consensus, tum quia illorum haeresis obscura admodum, & ad paucissimos redacta fuit, tum quia haec ab Ecclesiis Apostoli-

---

(1) In *Judicio Ecclesiae Cath. adv. Sim. Episcopium* cap. V.
(2) *De Praescript.* cap. XXXVI.
(3) l. cit.

cis omnibus proscripta est atque damnata, tum denique quia illius vindices ob rationes dumtaxat inanes a vulgata exceptaque ubique fide arroganter secesserunt. Si allegoriis, & metaphoris continebantur, quae de Christi divinitate dicebantur, non erat cur huiusmodi homines in re perfacili aut sacras Litteras contemnerent, aut tanquam in magno aliquo mysterio materiam instituendae haeresis, & caussam ab Ecclesia discedendi quaererent. Atqui aperta adeo erant testimonia Scripturarum, adeo certum & exploratum omnibus non posse sine summa veritatis iniuria Christo divinitatem denegari, ut cum haud arrideret Cerinthianorum & primi generis Ebionitarum absurditas, alii inde statim sint exorti, qui ut errorem minuerent, Christum de Spiritu Sancto conceptum fuisse faterentur. Hos sibi Sociniani, ut admonui, patronos quaesivere, ac primi generis Ebionitas in hoc tantum a Catholicis dissensisse volunt, quod mirabilem illam de Spiritu Sancto conceptionem non admitterent. At vero Joannes Christi discipulus, cui erat propositum huiusce haereseos progressum supprimere, nusquam nec in Evangelio nec in Epistolis mirabilis illius conceptionis meminit, sed ad Christi divinitatis defensionem omnes animi vires nervosque collegit, atque eadem firmitate & constantia, quam eidem divinus Spiritus afflabat, defendit, qua habuisse Christum verum corpus veramque carnem asseruerat. Idem alii Apostoli praestiterunt, idem eorumdem discipuli Ignatius, Polycarpus, Clemens, atque alii, adeo ut in primaevis Ecclesiae monumentis tam multa reperiantur huiusce dogmatis testimonia, ut mirum videri possit a Socinianis paucorum haberi rationem, qui illud evertere frustra tentarunt, eorumque auctoritatem

tanto

tanto veterum consensui fideique comparare. Docent illi testes longe praestantissimi Filium Dei aeternum esse, ac semper extitisse, Deum esse & mensuram Patris, & Creatorem coeli & terrae, ac hominem fieri, nasci, & mori non esse dedignatum. Haec Apostoli, haec eorum discipuli cum viva voce praedicarunt tum libris etiam ad defensionem Religionis aut morum informationem editis tradiderunt; & qui ingenii sui commenta Patriarchis, Sybillis, Apostolis supposuere, ii ut convenientia fingere viderentur, fabulis suis multa de hoc dogmate ut de re omnium firmata consensu differuerunt. Ex his autem quae Apostolorum discipuli testati sunt, certum & exploratum est, quid ipsi Apostoli docuerint. Quod enim praedicarunt discipuli, id ex magistris audierant, id sub ipsis magistris Christianis insinuaverant; nam quum Apostoli & per se ipsi docerent, & vicariam etiam adhiberent operam discipulorum, non est verendum ne Clemens, Ignatius, Polycarpus, & alii aliud viventibus magistris, aliud mortuis praedicarint. Ex quo liquet eorum doctrinam, cum sub ipsis Apostolis praedicata fuerit, non aliis quam Apostolis acceptam referri posse. Haereticorum arrogantiae summaeque temeritati reservatum erat, ut Apostolos aliud publice, aliud privatim docuisse garrirent, aut demum eo fuisse munere functos, antequam plenam absolutamque assecuti fuissent notitiam dogmatum Christianorum. *Non enim* (1), aiebat Irenaeus ab Apostolorum

(1) Lib. III. cap. I. Edit. Oxon.

discipulis institutus, *per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc praeconiaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei nostrae futurum. Nec enim fas est dicere, quoniam ante praedicaverunt, quam perfectam haberent agnitionem, sicut quidam audent dicere, gloriantes emendatores se esse Apostolorum. Postea enim quam surrexit Dominus a mortuis, & induti sunt supervenientis Spiritus Sancti virtutem ex alto, de omnibus adimpleti sunt, & habuerunt perfectam agnitionem; exierunt in fines terrae, ea quae a Deo nobis bona sunt Evangelizantes, & coelestem pacem hominibus annunciantes, qui quidem & omnes pariter & singuli eorum habentes Evangelium Dei*. Quae Apostolorum documenta, in re maxime de qua differimus, cuiusvis generis sexusque hominibus Christianis cognita & explorata fuisse ad miraculum Acta Martyrum declarant, inter quos non solum Episcopi, & Presbyteri, sed etiam pueri, adolescentes, milites, ac mulierculae enituerunt. Quibus testimoniis eo maior inest vis ac sententia, quod omni prorsus metaphorae suspicione careant quibus tantopere Sociniani delectantur. Quis enim vitae suae tam stulte prodigus, ut eam in verbi controversia profundat, & quem nomine tenus Deum putet, sui asseverationem sanguine confirmet & tueatur? Nemo sane est, inquit piissimus doctissimusque Maranus, cuius animadversiones egregias hoc loci libet expromere, qui acta Martyrum legens, etiamsi iniquissimis praeiudiciis occupatus sit, non dico metaphoras in illorum testimoniis deprehendat, sed tenere se possit quominus fervidam Sanctorum MM. in Deum incarnatum fidem suspiciat, & admiretur. Quid enim

de Deo dici magnifice, aut cogitari poteſt, quod non de Chriſto clara voce praedicent? Hunc omnis aetas, & conditio Deum ſuum, Deum vivum, & verum vocat, Deum omnipotentem, Deum altiſſimum, Deum potentiſſimum, cuius virtus conſtat in ſaecula, Creatorem coeli & terrae. Huic ſoli ſacrificandum, hunc ſolum adorandum, & colendum eſſe declarant, & quo magis excandeſcunt furiaſque concipiunt Judices, eo conſtantius ipſum illum, qui crucifixus eſt, coelum feciſſe & ſyderibus ornaſſe confitentur. Quin etiam Chriſtum praedicare non dubitant, ſolum verum Deum eſſe, unum Deum qui venturus eſt, qui ſolus in coelo habitat, & humilia reſpicit in magna virtute, unum cum Patre & Spiritu Sancto Deum. Ex quibus patet unam illam & ſingularem in tribus Perſonis ſubſtantiam, quam ne Nicaenis quidem Patribus temere quidam cognitam fuiſſe dixerunt, omnibus Chriſtianis longe ante hoc Concilium probe exploratam, atque perſpectam fuiſſe. Nemo inde non ſtultiſſimus dubitare poſſit an Sacerdotes in omnibus Eccleſiis divinitatem Chriſti docuerint, cum tot MM. qui ſaepe e vulgo & e multis erant, acceptam a Sacerdotibus ea de re doctrinam tam dilucide tamque conſtanter expoſuerint, ac propugnarint. Atque haec teſtimonia pleraque aut ſcripta Eccleſiarum nomine aut certe in Eccleſiis legi ſolita cum nulla re inter ſe diſcrepent, diſcrepantiam in Eccleſia Catholica ſuſpicari non ſinunt, ut dici cum Frereto queat ex Chriſtianis primitivis alia alios pro arbitrio ingenioque ſenſiſſe. Nullo etiam artificio hanc doctrinam, qui ſub Apoſtolis vixerunt, ceterique inde Patres priorum ſaeculorum edocuere, ut in novi-

tate fieri solet, sed ut fixam ac fundatam constanter defenderunt. Et cur sane nova in Ecclesia commoverent, aut ab Apostolis diversa sentirent? An quod totam Religionem flocci facerent? At id de hominibus pro eadem Religione ac fide mori paratissimis suspicari nefas est. An quod Apostolis sese vellent adaequare, ut Valentiniani, aut ut Marcionitae Ecclesiam iam tum ab Apostolica doctrina deflexisse crederent? Sed utrumque commentum vere Christianis omnibus nimium detestatum fuit, ut Sanctis Patribus, qui facem ceteris ad odium haeresis praetulerunt, affingi possit. Hanc omnium Christianorum in Christi divinitate profitenda consensionem ipsae etiam haereses affirmarunt, uti vidimus. Nulla enim alia de caussa nefarii quidam homines adducti sunt, ut negarent veram carnem a Christo assumtam fuisse, quam quod eam indignam Filio Dei iudicarent, cui propterea insaniae magnifica quaedam inerat de eius divinitate praedicatio. Quum non soli Christiani propterea, sed & ipsi haeretici in agnoscenda Christi divinitate consenserint, nemo non videt, quam inepte Freretus paucorum hominum Judaizantium, Ebionitarum scilicet, testimonium laudarit, ut assereret Christianos primitivos traditiones nobis reliquisse iis prorsus contrarias, quas Evangelia exhibent sub Apostolicorum Scriptorum nominibus evulgata, adeoque illa eorum haud esse opus posse, quorum titulis fulgent.

XXVIII. Profecto Freretus tota hac in disputatione, in qua paucorum commenta eorum dogmatis ac fidei opponit, qui vere fuerunt ab Apostolis eruditi, ea se ratione gessit, eaque est usus differendi ratione, quam si in dissertationibus iis

Academicis, quas complures edidit, adhibuisset, vel a studiosis suis insani Scriptoris notam vix effugisset. Stultorum numerum magnum ac pene infinitum esse in genere quocumque ignorat nemo, sed non propterea viri prudentes & docti fas esse sibi ducunt eorum auctoritatem ad res certissimas, omniumque sani capitis hominum consensu firmatas reiiciendas, aut in dubium revocandas adhibere. Ut e multis rebus unius exemplum afferamus, hominis animam immortalem esse, seu aliam vitam superesse, Gentium omnium, omniumque Nationum persuasio fuit. At labefactabitur ista consensio firmissima, si placeat adhibitam a Frereto disputandi methodum complecti, cum inter Sinas, Graecos, & Hebraeos, atque inter Christianos ipsos sectae exstiterint, quae animorum aeternitatem negaverunt. Atqui recte sapientes viri tantae universalitati, tantoque consensui adversas sectas, quae identidem prodierunt, non officere arbitrantur, nec paucorum commenta multorum placitis esse praeferenda contendunt, a quibus ii levibus ineptisque de caussis recesserunt. Apud Sinas sectam *Litteratorum* existere, quae animae inficiatur immortalitatem, plerique scribunt; at Sinas vetustissimos eam tenuisse libri eorum classici testantur. Inter Graecos Epicurei eumdem errorem erraverunt; at Epicurum a communi sententia recessisse, eiusdem prodit Historia. Inter Hebraeos fuere Saducaei, quibus animi immortalitas etiam displicuit; sed Pharisaei, & qui ab illis stabant ceteri priscam primitivamque traditionem esse retinendam pugnaverunt. Et vero probare haud possim, quae imprudenter, ne inerudite dicam, scripsit Calmetus; cum de Saducaeis animae perennitatem negantibus

differens aiebat (1): *Reputandum est autem in religione Judaeorum post captivitatem, dogmata de immortalitate animae, & existentia spirituum, minoris momenti, nec, ut vocant, fundamentalia habita fuisse; quum Saducaei inter medios Judaeos, nec ab eorum communione avulsi sententias illas profiterentur, & viros haberent summae Sacerdotii dignitati pares, quamquam alioquin errores illos invicem tuerentur. Haec igitur in gente illa problematice disputabantur*. Miror hercle quî factum, ut affirmate adeo id protulerit vir doctus, neque animadverterit nullum esse nexum inter tolerantiam, ut aiunt, sectarum & ἀδιαφορίαν dogmatum; potuisseque Synagogam paucos tolerare sine censura Saducaeos, quin tamen eorum errores aut levioris, aut minoris esse momenti iudicaret. Oppositam sane consecutionem in Josepho Flavio legere debuisset, qui percensito Saducaeorum errore de animae interitu, ita narrationem prosequitur suam (2): *Eorum opinioni suffragantur pauci, sed dignitate primi; atque ab his nihil fere agitur; nam si quando Magistratus gerunt inviti & necessitate coacti, Pharisaeorum opinioni assentiuntur, quod eos alioquin non ferret populus*. Tantum igitur abest, ut quaestio illa problematice tractaretur, ut absque illius dogmatis ut ita dicam professione, civitate veluti privati, nullum in Republica gerere magistratum Saducaei possent. Ex quo palam eruitur quantas egisset in Hebraeo populo radices doctrina illa de animi per-

---

(1) Dissert. de Sectis Judaeorum, praemissa Comment. in Evang. Marci.
(2) Lib. XVIII. Antiq. cap. I.

petuitate, & quantae ſemper utilitatis ac neceſſitatis fuerit habita alterius vitae opinio. Denique non pauci inter Chriſtianos nunc temporis verſantur, qui huiuſce impietatis rei ſunt, ſed quid inde? quum eos ceteri deteſtentur; ac ne ipſi quidem nec Litterati Sinenſes, nec Epicurei, nec Saducaei unquam negarint, ante ſua tempora de animae immortalitate traditionem, ſententiamque viguiſſe. Nimirum cur Epicurus ab ea receſſerit, notum eſt omnibus, ut videlicet ſeſe ſuoſque diſcipulos futurae retributionis timore levaret. Eadem quoque ratio permovere potuit tum Litteratos Sinenſes, tum Saducaeos, ut certe permovet noſtri temporis impios. Non aliter videtur iudicandum de iis omnibus Chriſtianae certe doctrinae corruptoribus, quos ceu eiuſdem legitimos teſtes Freretus advocavit, ut e Chriſtianis primitivis plurimos Evangelicae hiſtoriae contradixiſſe monſtraret. Nemo ſane ſatis videat quaenam exempli gratia Ebionitarum ratio habenda ſit, qui Chriſti divinitatem ab Apoſtolis iam ubique vulgatam, ab Eccleſiis omnibus, quas ii eorumque diſcipuli condiderant, exceptam, ab innumeris Chriſtianis proprio cruore ſancitam & confirmatam, ab ipſis denique nominis Chriſtiani hoſtibus agnitam, inanibus ducti rationibus & praeiudiciis negandam ſuſceperunt. Nimirum iam vidimus eos, qui tantae Chriſtianorum multitudini, tantaeque fidei univerſalitati repugnare auſi ſunt, in eam opinionem conceſſiſſe, quod vererentur ne Chriſti divinitate admiſſa moſaicis ceremoniis ritibuſque, in quos nimio amore ferebantur, & quos duraturos perpetuo credebant, nuntium mittere deberent. Adde his Ebionitas, Judaei cum fuerint, quando a primitiva Eccleſiae Hieroſolymitanae de Domino noſtro fide ac

sententia desciverunt, vulgari Judaeorum de Messia opinione imbutos fuisse, ut Bullus monet (1). Putabant scilicet Judaei Messiam sibi promissum, virum manu fortem ac bellicosissimum futurum, qui stricto gladio populares suos in libertatem esset adserturus, inlataque exteris Gentibus perampla clade, tantam Orbi terrarum pacem esset allaturus, quae nullo non solum bello, nullo Gentium inter se dissidio deinceps turbanda esset, sed quae feroces ipsas belluas mansuefaceret, redderetque hominibus familiares. Quae falsa ac perversa idea, quam sibi de promisso Christo finxerat Synagoga vecors & stupida, & praepostera intelligentia Scripturarum, in caussa fuit, cur in Jesu humilitate ac paupertate scandalum passa sit, & Messiam ante oculos suos positum non agnoverit, imo reiecerit. Ita cum vanissimis religionibus, & multiplici idolorum cultu Gentes tenerentur implicitae, Judaei vero clarissima divinae & salubris doctrinae luce fruerentur, hi tamen ad praesentis & inter ipsos versantis Messiae splendorem caligarunt, illae sanctis eius ultro paruerunt praeceptis, & in ipsius obsequium concesserunt, arcano videlicet & mirabili Dei consilio, cuius gratiam satius est nos memori mente recolere, quam caussam anxie perscrutari. Alias praeterea animo Judaei opiniones eo tempore imbiberant non rectas, ex quibus fiebat, ut non ita facile ad agnoscendam J. C. divinitatem, eiusque probandam Religionem adduci possent, ut Mamachius vir doctissimus & eruditissimus

mus

(1) Lib. citat. cap. VII.

mus monet (1). Cum animo haud essent assequuti, quae Prophetae tradiderant, ut Theologi & cumprimis magnus Petavius ostendunt, ponebant unum non natura modo, sed etiam persona Deum, cumque noscerent Christianos sic esse institutos ut naturam Dei in Personis tribus consistere pugnarent, eos omnes impietatis damnari oportere, atheosque esse appellandos constituebant, quemadmodum quae initio adduximus Justini testimonia manifestant. Accedebat his de Christo Deo atque homine doctrina, quam magistri Judaeorum contendebant nullo modo tolerari posse. Habebant enim summi sceleris loco divinos honores illi adhibere, quem ipsorum Sacerdotes ac Principes in crucem agi curavissent. Denique aversabantur quod nostri de sublato veteris, introductoque novi foederis Testamento praedicabant; hoc enim decreto constituto, cadere in Deum aiebant inconstantiae vitium, atque immutationem posse, si Legem nimirum sustulisset, quam aliquando futuram esse sempiternam dixisset. Quae res etsi erat falsa, propterea quod Deus promisisset fore ut antiquum Foedus in novum, & longe praestantius Messiae temporibus commutaretur, impedimento tamen etiam erat, ne plures Apostolicae imo Christi ipsius praedicationi consentirent, neve ii, qui assentiebantur omnes prorsus praeiudiciis exuti Christianae Religionis castra sequerentur. Ex hominibus sic fere institutis, cum Ebionitae ut admonui prodiis-

R

(1) *Orig. & Antiquit. Christ.* lib. I. cap. III. §. II.

fent, facile intelligitur cur orthodoxam de Christi divinitate doctrinam ad animum admittere recusarent, eosque Judaeos non sequerentur, qui certe numero non pauci, repugnante licet Synagoga, Christum ut verum Messiam, Deique propterea naturalem Filium exceperunt. Sed inepte ex paucis hisce Ebionitis, qui ab Ecclesiae Hierosolymitanae aliorumque Apostolicorum coetuum, inter quos nulla unquam eo de dogmate dissensio fuit, ut luculentius adhuc infra probabitur, fide defecerunt, quique tot gentium sunt aspernati consensum, quispiam colligendum esse putaret, diversa inter se pro ingenio atque arbitrio Christianos credidisse, aut vero vellet paucorum dissensum tantam infirmare testium consensionem posse vere a viris Apostolicis institutorum. Idem iudicandum de ceteris a Frereto celebratis heterodoxis tanquam legitimis testibus, qui singuli non ratione aut veritate ducti, sed propter ineptas absurdasque caussas recepta inter vere Christianos dogmata deseruerunt, & quorum propterea temeritas atque dementia nullo modo aut Christianam doctrinam, aut Evangelicam historiam labefactat, ut demonstrare pergimus, ita postulante ordine Freretianae disputationis.

XXIX. Is enim posteaquam Cerinthianos & Ebionitas tamquam legitimos integrosque testes Apostolicae doctrinae, atque Historiae Christi laudasset ad maiorum gentium Gnosticos se recipiens Basilidis meminit, qui tamen post Apostolorum omnium ex hac vita discessum secta condita, pestifera lue Aegyptum inficere conatus est, quemadmodum exponit Eusebius satis aperte declarans quonam in statu Ecclesiae res essent quum ille insanire coepit: *Porro*

Ecclesiis, inquit (1), *iam per universum Orbem instar clarissimorum Syderum fulgentibus, & vigente per omnes Nationes fide in Dominum, ac Servatorem nostrum J. C. malignus ille Daemon utpote veritatis inimicus & humanae salutis hostis semper infensissimus, omnes machinas adversus Ecclesiam movens, prius quidem externis eam persecutionibus oppugnaverat, tum vero hac via ipsi praeclusa, improbis quibusdam ac maleficis hominibus tanquam instrumentis & ministris utens ad exitium ac perniciem animarum comparatis, alias belli artes tentavit; nihil non comminiscens ut praestigiatores ac subdoli homines Religionis nostrae vocabulum sibi assumentes tum eos ex fidelibus, quos forte deceperant, in profundum exitii gurgitem adducerent, tum fidei nostrae ignaros vitae ipsorum exemplo perterritos, ab via quae ad salutare Dei verbum ducit, procul averterent. Igitur ex Menandro illo, quem Simonis successorem fuisse retulimus, exorta venenata quaedam bestia bilinguis ac biceps, duarum haereseon inter se discrepantium duces constituit; Saturninum domo Antiochenum & Basilidem Alexandrinum; quorum ille in Syria, hic vero apud Aegyptum impiae doctrinae scholas condidit.* Docuit porro Basilides, Christum in phantasmate venisse, ut post Tillemontium & Patres Epiphanium ac Theodoretum, Freretus narrat (2), propterea vere non esse

R 2

(1) H. E. lib. III. cap. VII.
(2) *Pag.* 7. Basilide disoit que Jésus ne s'étoit point incarné, qu'il s'étoit seulement couvert de l'apparence d'un homme: que dans le tems de la passion il avoit pris la figure de Simon le Cerenéen, & lui avoit donné la sienne; qu'ainsi les Juifs n'avoient crucifié que

passum, sed eius loco Simonem Cyrenaeum crucis fuisse affectum supplicio, putantibus Judaeis hunc Simonem esse Jesum, qui tamen interim assumta Simonis figura Judaeos irridens adstiterit, & ad eum postea a quo fuerat missus ascenderit, atque ita evaserit irritosque prorsus reddiderit conatus omnes Judaeorum quin id aut Angeli aut homines exploratum haberent. Haec autem & alia dira, ac pestifera dogmata Basilides non per sese ac suopte ingenio primus excogitavit *sed a Saturnino*, inquit Epiphanius (1), *ac Simone Mago, quem supra refutavimus, erroris argumenta mutuatus est, quae alia ratione tractare & maiore cum pompa enarrare instituit*. Quod antea Irenaeus admonuerat dum Basilidem & Saturninum a Simone huiusque discipulo Menandro occasionem condendae haereseos accepisse sic memorabat (2): *ex iis Saturninus, qui fuit ab Antiochia ea, quae est apud Daphnem, & Basilides occasiones accipientes, distantes doctrinas ostenderunt, alter quidem in Syria, alter vero in Alexandria*. Non Christianus nimirum, nec doctrinae testis Apostolicae Basilides fuit, sed somniator & impostor putidissimus, qui portenta nominum ad imperitorum & mulierculalarum

Simon; que le Christ qui les regardoit, se moquoit d'eux sans qu'ils le vissent, & qu'il étoit ensuite remonté dans le ciel vers son pere, sans avoir été connu ni des Anges, ni des hommes. *Tillemont* Tom. II. p. 211. *Epiphanes* Hom. 24. pp. 70. 71. *Theodoret.* Haeret. Fabul. lib. I. pag. 195.

(1) Haeresi XXIV. num. I.

(2) lib. I. cap. XXII. Edit. Oxon.

animos concitandos primum excogitavit, unde simplices quosque barbaro sono terreret, ut plus mirarentur quod non intelligerent: tum docuit ab ingenito Patre prognatam Mentem, seu Νῦν, a mente Λόγον seu Verbum, a Verbo Φρόνησιν seu Prudentiam, ab hac Σοφίαν καὶ Δύναμιν, ab his Virtutes principes, & Angelos primos, a primis Angelis coelum supremum, & alios Angelos, ab his secundum coelum iterumque alios Angelos, & sic deinceps, donec per continuas Angelorum propagines CCCLXV. coeli, quorum numerum nomen ἀβράξας, seu Ἀβράσαξ in se contineret, formati fuerint, ut testatur Irenaeus (1). Qui deinde refert statuisse Basilidem ultimi coeli Angelos haec inferiora creasse, & terrarum Orbem inter se distribuisse; principemque istorum Angelorum Deum esse Judaeorum dixisse; qui cum Gentes ceteras Judaeis subiicere satageret, reliquos obstitisse, & suas quemque Gentes adversus Judaeos impulisse, Patrem vero ingenitum primogenitam suam Mentem, quae Christus appellatur, in mundum dimisisse, ut credentes ab Angelorum potestate liberaret. Tantas absurditates & naenias cum impense excoleret & adamaret Basilides fieri certe non poterat quin Christi historiam atque passionem explicare aggressus in alios aeque absurdos, & ineptos errores praeceps rueret, qui ab Irenaeo sic memorantur, nimirum *innatum, & innominatum Patrem, videntem perditionem ipsorum misisse primogenitum Nun suum (& hunc esse qui dicitur Christus) in liber-*

(1) Lib. I. cap. XXXIII. Edit. Oxon. Epiph. Haeresi XXIV. Theodoret. *Haeret. Fabul.* lib. I. cap. IV.

tatem credentium ei a potestate eorum qui mundum fabricaverunt. In gentibus autem ipsorum apparuisse eum in terra hominem, & virtutes perfecisse. Quapropter neque passum eum, sed Simonem quemdam Cyrenaeum angariatum portasse crucem pro eo: & hunc secundum ignorantiam & errorem crucifixum, transfiguratum ab eo, uti putaretur ipse esse Jesus, & ipsum autem Jesum Simonis accepisse formam, & stantem irrisisse eos. Quoniam enim virtus incorporalis erat, & Nus innati Patris, transfiguratum quemadmodum vellet, & sic ascendisse ad eum qui miserat eum, deridentem eos, cum teneri non posset, & invisibilis esset omnibus. Et liberatos igitur eos qui haec sciant a Mundi fabricatoribus principibus, & non oportere confiteri eum qui sit crucifixus, sed eum, qui in hominis forma venerit, & putatus sit crucifixus & vocatus sit Jesus, & missus a Patre, uti per dispositionem hanc opera Mundi fabricatorum dissolveret. Non indigent haec enarratione, neque opus est ut multis ostendatur ad illius philosophiae statuta atque decreta accedere, quam cum primum Chaldaei aliive populi tradidissent, Aegyptus tota postmodum excoluit, quamque Simon Magus ceterique principes Gnosticorum complexi in Christianorum castra transferre novis additis somniis irrito conatu studuerunt. Non est etiam opus, ut fabulae originem longius depromamus, atque explicemus, iuxta quam Basilides Christum apparentem tantum hominis figuram ac speciem induisse commentus est, cum in Irenaei verbis manifestissime eluceat. Non decebat sane secundum Basilidis somnia, ut corpus, materiam scilicet mundi conditorum inter se certantium imperio obnoxium opus ille vere assumeret, qui ad eosdem debellandos coercendosque e coelo descendisset. Mala, quae premebant homines, tot

ſubiectos mundi conditoribus in cauſſa fuerunt Chriſti ad eoſdem deſcenſus. Haec cum Baſilides extricare vellet, atque explicare, tot illas ineptias evulgavit. Ita verum eſſe magis magiſque dignoſcitur quod ſupra cum Tertulliano diximus, Gnoſticos nempe cum averent arduam illam de malorum origine quaeſtionem enodare in eam, quam commemoravimus, de carne Chriſti phantaſtica abſurditatem incidiſſe. Quod de Baſilide eiuſque ſecta Epiphanius etiam admonuit hiſce verbis (1): *Huius vero peſſimae ſectae occaſionem initiumque dedit illa quaeſtio, ac diſputatio: unde nam malum originem habuerit.* Sed viderit Freretus, num Baſilidis, hominis ſcilicet adeo delirantis tanta eſſe poſſit auctoritas, ut propter eius ſomnia de magno Verbi Dei incarnati myſterio, eademque de re perſcripta a viris Apoſtolicis hiſtoria dubitari propterea aut liceat, aut vero poſſit. Ego certe traditionibus vetuſtiſſimi Haeretici, qui Pearſonio iudice (2), ſub Domitiano haereſim concepit ſuam, ſub Traiano prodidit, ac ſub Hadriano denique ſectam condidit, quae Evangeliorum auctores prodiderunt non everti, ſed verius confirmari poſſe reor; quemadmodum eſt ſupra animadverſum, cum Simonis Magi abſurditatem Baſilidianae parem memoravi. Procul dubio quod de Simone illo, vice Chriſti in crucem acto, ſomniavit Baſilides ex Evangeliſtis ad fabulam ſuam tranſtulit, a quibus memoriae mandatum eſt Judaeos poſteaquam Chriſtum Dominum ſummis maximiſque

(1) Haereſi XXIV. num. VI.
(2) Vindic. Epiſt. S. Ignatii P. II. cap. VII.

contumeliis atque tormentis affecissent, duxisse tandem eum extra Hierosolymam, ut crucifigerent, atque exeuntes invenisse *hominem Cyrenaeum*, *nomine Simonem*, huncque angariavisse *ut tolleret crucem eius* (1). Suffragantur etiam Evangelicae Historiae veritati Basilidis sectatores quibus Christi baptismi diem sacrum ac solemnem fuisse Clemens Alexandrinus his verbis enarrat (2): οἱ δὲ ἀπὸ βασιλείδου καὶ τῦ βαπτίσματος ἀυτῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερεύοντες ἀναγνώσεσι κ. τ. λ. *Basilidis autem Sectatores eius quoque Baptismi diem celebrant*, *totam praecedentem noctem in lectionibus transigentes*. *Dicunt autem eum esse quintum decimum annum Tiberii*, *quintum decimum mensis Tubi: aliqui eum esse undecimum eiusdem mensis*. Faciunt etiam ad Christi baptismatis historiam, quae iidem homines de columba in eum descendente conscripserunt eodem Clemente ita narrante (3): *Quin etiam Columba corporea visa est*, *quam nonnulli spiritum dicunt* οἱ δὲ ἀπὸ βασιλείδυ τὸν διάκονον *Basilidis vero sequaces ministrum*. Quae omnia non ostendunt Basilidem eiusque discipulos fidem haud habuisse historiae Evangelicae, sed hanc pro more Gnosticorum explicare curavisse, unde praeiactis responderet principiis, illique praesertim, cui innixi veram carnem verumque corpus Christo eripiendum esse constituebant. Quo praesertim nomine Gnostici Christiani non erant, ceu qui magnum Redemtionis myste-

rium

(1) Matth. XXVII. 32.
(2) Lib. I. Stromat. num. XXI.
(3) In Excerptis Theodot. num. XVI. Tom. II. opp. pag. 970. Edit. Ven.

rium hoc modo labefactarent. *Si in crucem Simon ille Cyrenaeus est sublatus*, recte arguebat Epiphanius (1), *non igitur per Christum parta nobis est salus, sed per Simonem; nec iam per Christum mundus salvum fore se sperare debeat, utpote qui minime sit passus. Neque enim salutis esse caussa Simon potest, purus utique ac putus homo, neque quicquam amplius.* Inde Christianorum in Basilidem detestatio consecuta est, atque eiusdem impietatum refutatio, ut adnotavit Eusebius (2), a quo discimus etiam Agrippam Castorem, Scriptorem ea aetate nobilissimum, validissimam adversus Basilidem pro Ecclesiastica Apostolicaque doctrina Apologiam conscripsisse, in qua hominis praestigias ac fraudes detexit, & plenissime refutavit.

XXX. Quamquam vero is fuerit Basilides, qualem scilicet & vetera monumenta & ipsa eius somnia repraesentant, contendit tamen Freretus (3) magnam dictorum eiusdem rationem esse habendam, cum a Glaucia, S. Petri interprete, fuerit institutus; quam in rem Clementem laudat auctorem. Atqui si Alexandrini Presbyteri verba paullo attentius

(1) Haeresi XXIV. num. VIII.
(2) H. E. lib. III. cap. VII.
(3) *Pag.* 8. Il faut remarquer que ces temoins qui déposent contre la créance reçue presentement avoient été ou contemporains des Apôtres comme les Gnostiques, les Ebionites, & Cerinthe, ou pretendoient tenir l'histoire de J. C. de ceux qui avoient été a portée d'en être parfaitement instruits. Basilide avoit eu pour maître Glaucia disciple & interprete de S. Pierre, Valentin avoit été elevé par Theodat, disciple de S. Paul. *Clement d'Alexandrie liv. VII. pag.* 764.

confideres, quid Basilides eiusque adseclae iactarent potius, quam quod sic ille persuasus esset, suamque opinionem expromeret, iisdem indicari cognosces. En Clementis testimonium: *Inferius autem circa tempora Hadriani Imperatoris fuerunt, qui haereses excogitarunt, & pervenerunt usque ad aetatem Antonini natu majoris*; Καθάπερ ὁ Βασιλείδης κἂν Γλαυκίαν ἐπιγράφηται διδάσκαλον, ὡς αὐχοῦσιν αὐτοί, τὸν Πέτρου ἑρμηνέα *etiamsi Basilides Glauciam sibi adscribat magistrum, ut ipsi gloriantur, qui fuit Petri interpres*. Aegre hominibus porro tantam Magistro laudem tribuentibus, imo ipsi eidem eadem de se jactanti, quis fidem praestabit. Fabularum ferax ingenium ac promptissimum ad quaevis deliria confingenda, & homines excogitandos qui nunquam vixissent, Basilidem habuisse tum commentorum eius specimen, quod exhibuimus docet, tum Agrippa Castor agnovit, qui hominis libros evolvit & refutavit. De quo Apologetico Opere Eusebius disserens ajebat (1): *Dum cuncta eius arcana profert in lucem, quatuor & viginti libros in Evangelium ab illo conscriptos esse memorat, ipsumque sibi Prophetas confinxisse Barcabam & Barcoph, aliosque nonnullos, qui nunquam extitissent, iisque barbara quaedam nomina imposuisse, ad percellendos eorum animos, qui ejusmodi rerum admiratione capiuntur*. Nemo haec mirabitur, qui adverterit Basilidem Pythagoricam etiam attigisse disciplinam, cuius studiosos ad libros alienis nominibus inscribendos & ad omne mendaciorum genus cudendum proclives fuisse non paucis ad-

(1) H. E. lib. III. cap. VII.

ductis exemplis ostendit Huetius (1). Quare Basilides cum eadem fingendi licentia immaniter ageretur necesse omnino habuit quinquennale silentium indicere; ut testantur veteres, sive ut impune discipulorum depravare animos posset, sive ut eorum stultitiae grande & insigne caperet experimentum. Et certe bona fide eos insanire oportebat, qui planum tot docentem absurda consectari non dubitabant. Paternae impietatis haeres ac filius Isidorus eadem fingendi libidine laboravit, Prophetasque confinxit, quos nemo unquam agnovisset extitisse: *Isidorus quoque*, inquit Clemens (2), *Basilidis simul filius & discipulus, in primo libro expositionum* Προφήτα Παρχώρ *Prophetae Parchor, ipse quoque scribit ad verbum &c.* Hinc quae fides suspectorum hominum narrationibus debeatur nemo non facile definiet, eosdemque sane mirabitur, qui ea dogmata Apostolicae originis esse voluerunt, quorum ipsimet soli & auctores, & vindices extitissent. Num sanis hominibus persuadere Basilides potuisset non Jesum Christum, sed eius loco Simonem Cyrenaeum crucis fuisse patibulo affixum, idque illum, quo institutore gloriabatur, S. Petri interpretem Glauciam tradidisse? At si ita sese res habebat, immane mendacium cum ipsius Petri tum ceterorum Christi discipulorum Epistolae palam aperteque prodidissent; cum horum doctrina Basilidianae comparata errorem illico monstraret, doceretque diversa iactantibus

(1) Dem. Evang. Pron. IX. num. VII.
(2) Lib. VI. Strom. num. VI. & Theodoret. l. cit.

nullam fidem haberi oportere: *Ex haeresibus*, ait idem Alexandrinus Presbyter, (1) *aliae quidem appellantur ex nomine, ut quae appellatae sunt a Valentino & Marcione & Basilide, etiamsi glorientur se Matthiae opinionem adducere*; μία γὰρ ἡ πάντων γέγονε τῶν Ἀποςόλων ὥσπερ διδασκαλία, οὕτως δὲ καὶ ἡ παράδοσις *fuit enim una omnium Apostolorum sicut doctrina ita etiam traditio*. Sed liberaliter Basilidianis, atque etiam Frereto largiamur, Basilidem revera Glauciam S. Petri quondam interpretem audivisse. Num eadem propterea ac Basilidem Apostolorum principem, ceterosque Apostolicos viros docuisse commenta inde constabit? Cum prorsus diversa Apostoli Ecclesiis tradidisse compertum sit, non aliud ex Glauciae illius magisterio poterit extundi, quam aut Basilidem acceptas ab eo doctrinas corrupisse, aut eumdem Glauciam a Petri doctrina descivisse. Quorum neutrum Frereti caussae subsidio esse potest. Si Basilidem illi absolvere libeat, quod non ita facile ab aliis impetrarit, Glauciam necessario damnabit, cuius tamen traditiones vere singulares Basilidi communicatae Apostolicas certe non evertent. Ad rem egregie Tertullianus (2) *Avolent*, inquit, *quantum volent paleae levis fidei quocumque afflatu tentationum eo purior massa frumenti in horrea Domini reponetur. Nonne ab ipso Domino quidam discentium scandalizati diverterunt? Nec tamen propterea ceteri quoque discedendum ab ejusdem vestigiis putaverunt. Sed qui scierunt illum vitae esse Verbum, & a Deo venisse perseveraverunt in comitatu*

(1) Lib. VII. Strom. num. XVII.
(2) De Praescript. cap. III.

ibus usque ad finem: cum illis, si vellent & ipsi discedere, placide obtulisset. Minus est si & Apostolum eius aliqui Phygellus & Hermogenes & Philetus & Hymenaeus reliquerunt: ipse traditor Christi de Apostolis fuit. Miramur de Ecclesiis eius (Marcionis) *si a quibusdam deseruntur, cum ea nos ostendant Christianos, quae patimur ad exemplum ipsius Christi: ex nobis, inquit, prodierunt, sed non fuerunt ex nobis. Si fuissent ex nobis permansissent utique nobiscum. Quin potius memores simus tam Dominicarum praenuntiationum, quam Apostolicarum litterarum, quae nobis & futuras haereses praenuntiarunt, & fugiendas praefinierunt.* Non alia certe via veteres Patres dogmata quae a perfidis nonnullis Ecclesiae castrorum desertoribus tanquam ab Apostolis accepta confidentissime proponebantur, expenderunt, quam horum comparatione instituta cum genuinis Apostolorum scriptis, & fide Ecclesiarum; probe conscii has ab iis fundatas in unam eandemque fidem iugiter conspirasse, quemadmodum scripta illorum unam eamdemque doctrinam complectuntur a quibus illam receperunt. Quae Tertullianus edisserens inquiebat (1): *Statim igitur Apostoli (quos haec appellatio Missos interpretatur) assumto per sortem duodecimo Matthia in locum Judae, ex auctoritate prophetiae, quae est in psalmo David, consecuti promissam vim Spiritus Sancti ad virtutes & eloquium, primo per Judaeam contestata fide in Christum Jesum & Ecclesiis institutis; dehinc in Orbem profecti eamdem doctrinam eiusdem fidei Nationibus promulgaverunt; & proinde Ecclesias apud unamquamque Civita-*

(1) **Lib. cit. cap. XX.**

tem condiderunt, a quibus traducem fidei & semina doctrinae, ceterae inde Ecclesiae mutuatae sunt, & quotidie mutuantur ut Ecclesiae fiant. Ac per hoc & ipsae Apostolicae deputantur, ut soboles Apostolicarum Ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae Ecclesiae una est illis ab Apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae & Apostolicae dum una omnes probant unitatem: dum est illis communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & contesseratio hospitalitatis. Quae iura non alia ratio regit, quam eiusdem Sacramenti una traditio. Canones inde regulasque percenset Septimius, quibus possint dogmata Catholica agnosci, ostenditque illa solum hoc nomine digna esse, quae cum fide conveniant Ecclesiarum Apostolicarum: *Hinc igitur*, inquit (1), *dirigimus praescriptionem, si Dominus Jesus Christus Apostolos misit ad praedicandum, alios non esse recipiendos praedicatores, quam Christus instituit; quia nec alius patrem novit nisi filius, & cui filius revelavit, nec aliis videtur revelasse filius, quam Apostolis quos misit ad praedicandum utique quod illis revelavit. Quid autem praedicaverint, id est quid illis Christus revelaverit, & hic praescribam non aliter probari debere, nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis praedicando tam viva, quod aiunt, voce, quam per Epistolas postea. Si haec ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei conspiret, veritati deputandam; sine dubio tenentem, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem ve-*

(1) L. cit. cap. XXI.

ro doctrinam de mendacio praeiudicandam, quae sapiat contra veritatem Ecclesiarum & Apostolorum, & Christi & Dei. Tandem ut dogmata quae tuebatur, Apostolica esse significaret ita concludebat: *Communicamus cum Ecclesiis Apostolicis, quod nulli doctrina diversa. Hoc est testimonium veritatis*. Qui firmissimi tutissimique canones a Tertulliano expositi pro cognoscendis doctrinis Apostolicis evidentissime manifestant quanto fuerit ductus errore Freretus, dum ex una iactata a Basilide vetustate, confictoque fortasse viri illius Apostolici magisterio, conclusit magnam delirantis hominis adfirmationum habendam rationem esse, atque sibi persuasit illius dicta fidei innuere novitatem posse, quam Catholici nunc temporis profitentur. Cum dogmata, quae nunc custodit Ecclesia Christi, semper, ubique, & ab omnibus credita fuerint; Basilidis vero portenta non probarint Ecclesiae ab Apostolis conditae ceteraeque ex iisdem propagatae; non episcopi exceperint, qui in iis post Apostolos sibi invicem ordinatione legitima successerunt, imo repudiarint prorsus atque eos ab Ecclesiis eiecerint suis, quibus eadem placerent, plane constat illa unius Basilidis foecundissimo somniorum cerebro esse adscribenda, non alicui Apostolico viro, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, accepta referri posse. Constat etiam contemnendam esse auctoritatem Gnosticorum, Cerinthi, Ebionis, Valentini, atque aliorum, quidquid de istorum vetustate garrire libuerit Frereto, quum ii omnes dogmata cuderint, quae neque Christus consignavit Apostolis, neque isti Ecclesiis tradiderunt, atque adeo eos immaniter aberrare, qui sectarios huiusmodi in numerum coniiciunt Christianorum.

XXXI. Quam Frereti impudentiam magis etiam magisque miraberis, si noveris ab eo post Basilidianos, Carpocratianos quoque fuisse numeratos in censu Christianorum, & illorum quidem qui divinam sanctissimamque a J. C. fundatam Religionem amplificare studuerunt. Quo nihil magis a veritate abhorrens aut obtrudi ab eo potuit, aut a perversis iis hominibus iactitari. Parens eorum Carpocrates fuit genere Alexandrinus, superstitione magus, moribus impurus, qui si forte Simonem, Menandrum, Saturninum, Basilidem ceterosque haeresiarchas, ex quorum erroribus sectam conflavit suam, scientiae laude, omnes certe morum pravitate superavit, habuitque discipulos, quos rectius feras, quam homines dixeris: adeo vitae dissolutioris infamia, nefandis turpitudinibus, omnique scelerum, & flagitiorum genere flagraverunt. Quid autem docuerint, & quae sectati principia fuerint, unde ad tantam impietatem perducerentur, ex Patribus Irenaeo praesertim Massuetus exponit (1): Nimirum supremum quidem unum principium, atque etiam parentem omnium, & incognitum nec ullo nomine significatum perinde ac ceteri Gnostici esse affirmabant; at mundum vero & quae in mundo continentur ab Angelis esse facta, qui incognito illo parente longe inferiorem dignitatis gradum tenerent, & ab eo defecissent. Jesum porro Dominum nostrum e Joseph & Mariae consortio genitum, similem quidem natura reliquis hominibus extitisse aiebant; at vitae instituto, temperantia,

(1) Dissert. I. in Iren. Art. II. num. 119. & seqq.

perantia, virtute ac iustitia praestitisse. Nempe quum firmiorem vegetioremque quam alii animam fortitus esset, tenacius ei adhaerente cum ingenito Deo περιφορᾷ *circumlatione*, immissa in eam fuit ab eodem supremo Parente virtus, quae memoriam ante visorum refricaret; ut sic supernorum recordatione corroborata, conditores Orbis Angelos effugeret, immissaeque virtutis beneficio actionibus omnibus, quae ab hominibus suscipi possunt, turpissimis etiam quibuscumque (horrendum) ac sceleitissimis defuncta, iam libera solutis omnibus naturae debitis, ad supernum Patrem evolaret. Hinc non animam Jesu dumtaxat, sed & aliam quamcumque, quae tantum valeat, ut mundi fabricatores Angelos contemnere possit, vires desuper accipere dictitabant, ut per easdem actiones progressione facta functionibusque omnibus obitis, quas Jesus obierit, & ipsa super opifices Angelos efferri queat, & ab universis expedita, sursum ad incognitum Patrem pervenire. Imo ea hominum impudentissimorum iactatio fuit, ut gloriarentur quidam non modo Apostolis Petro & Paulo & reliquis, sed & ipsi Jesu praecellere se tum excellentia cognitionis, tum quod progressiones varias ac decursus cumulatius obiissent. Animas quippe omnes ex eadem περιφορᾷ esse, & ideo eumdem, quem Jesus contemtum Angelorum suscipientes, eadem vi ac virtute instrui, qua per actionum omnium genera traducantur. Quod si reperiri aliqua possit, quae maiorem quam Jesus contemtum suscipiat, ea ipsi demum antecellet. Ex his facile intelliguntur caussae, propter quas eo arrogantiae, atque impietatis Carpocratiani devenere, ut Jesum Christum purum nudumque hominem &

Josephi filium habuerint (1), tum inter eos aliqui se non eidem tantum pares, sed longe praestantiores dixerint, ac denique futuram carnis resurrectionem denegarint. Et quî sane non facillime quisque hominibus talia iactantibus fidem habuisset quos adeo constabat insanire, ut animorum dignitatem atque praestantiam in eo sitam esse defenderent, ut ille praestantior nobiliorque crederetur, qui citius horribiliora, & quibusvis maiora scelera, debita scilicet naturae, & Angelis mundi conditoribus munera, perpetrasset? Si res ita se habebat procul dubio nullus erat inter Carpocratianos, quos dum nomino non homines mehercle, sed *thesauros nescio quos mali* memorare mihi videor, qui se excellentiorem J. C. praedicare non posset, cuius innocentiam, vitamque sanctissime actam vel Oracula Deorum, sive Sacerdotes per responsiones e tripode prolatas misero populo illudentes, laudaverunt? Utinam illi Daemonum, magistrorum scilicet suorum, modestiam imitati fuissent, nec tot blasphemiarum, conviciorum, calumniarum & mendaciorum plaustra in J. C. eiusque discipulos, homines effraenis linguae & impotentis animi effudissent! rectius sane si non saluti, saltem famae ac nomini suo consuluissent. Sed ea iecerant complexique fuerant iam

---

(1) *Pag.* 7. Les Carpocratiens croyoient que J. C. étoit né de Joseph, & qu'il étoit semblable aux autrés hommes; quelques-uns même d'entr'eux ne craignoient point de dire qu'ils l'egaloient; & même qu'ils le surpassoient: ils n'admettoient point la resurrection de la chaire. *Tillemont Tom. II. Irenée liv. I. cap.* 25.

pridem a magistris suis excogitata principia; ex quibus nonnisi scelera & omnium absurdissima consectaria fluere necesse esset. Nam sensisse eos Irenaeus scribit (1): *Per fidem & charitatem salvari: reliqua enim indifferentia cum sint, secundum opinionem hominum quaedam quidem bona, quaedam autem mala vocari, cum nihil natura malum sit*. Hinc *docebant*, inquit Eusebius (2), *quicumque ad perfectam cognitionem mysteriorum suorum seu potius flagitiorum, quae apud suos agebantur, pervenire vellent, eos turpissima quaeque perpetrare oportere: quippe qui mundi huius principes ac rectores, ut ipsi vocant, aliter evitare non possent, nisi unicuique eorum debita munera per obscoenissimam libidinem persolvissent*. Abominandis hisce principiis cum imbuti essent, coniicere pronum est quot in praecipitia, & ruerent ipsi, & quam facile scelera quaevis a viris vel sanctissimis patrari posse ac deberi arbitrarentur, tum eosdem se non aequare solum, sed superare etiam haud desperarent. Erat nempe hoc hominum, dicam verius ferarum, principium, animas corporibus praeexistentes perfectionis culmen attingere non posse, nisi dissolutiori vita Orbis conditores, audacius conculcatis eorum legibus, praeceptis & operibus, sprevissent: quo excusso iugo coelestem libertatem obtinerent, & sursum adspirare, & evolare possent. Quare de eorum parente aiebat Tertullianus (3): *Sed non tibi soli Simon metempsychosis hanc*

(1) Lib. I. cap. XXIV. Edit. Oxon.
(2) H. E. lib. IV. cap. VII.
(3) Lib. *de Anima* cap. XXV.

fabulam instruxit. Inde etiam Carpocrates utitur pariter magus, pariter fornicarius, etsi Helena minus. Nihil propterea eorum sententia natura bonum aut malum erat, sed sola opinione hominum, qui ea esse bona aut mala putant, quae Legi vel repugnent, vel consentiant: sublata proinde Lege ab Angelis inique lata, omnia suapte natura promiscua haberi: solam vero fidem & caritatem ad salutem esse necessaria, reliqua omnia nihil conferre: eaque esse, quae Jesus Apostolos suos & discipulos clam docuerit, mandavitque ut iis crederent, qui digni essent, quemadmodum Irenaeus narrat (1); apud quem etiam quasdam eorumdem J. C. parabolarum interpretationes legas, quas ex Evangeliis depromtas perversissime ad usus transtulerant suos, & absurdissime explicarant. Facile autem Carpocratianos Gnosticorum doctrinas, & decreta consectatos fuisse cognoscitur ex iis, quae de persona J. C. atque carnis haud futura resurrectione constituerunt. Et quo ad divinam Servatoris naturam pertinet, quam sunt inficiati, hunc in errorem perducti sunt tum iis, quae hactenus enarravimus, tum Gnosticórum vulgato illo compertissimoque principio, secundum quod corpus sive materia vitiosissima, Angelorum mundi rerumque omnium quae in eo visuntur, conditorum dominationi; & imperio obnoxia statuebatur. Hoc constituto, quum Christum Servatorem nostrum veram carnem verumque habuisse corpus

(1) Lib. I. cap. XXIV. edit. Oxon. Vid. etiam Epiphanium Haeresi XXVII.

inficiari renuerent, nec auderent homines quamvis mortalium impudentissimi tot testium affirmationibus fidem detrahere, unum illud superesse videbatur, ut eidem eriperent divinitatem, ne hanc vitiosae materiae dominis, invidisque inter sese geniis subiectam redderent. Sic videmus eos Gnosticos, qui J. C. divinitatis persuasi fuisse videntur, eodem ductos principio verum corpus veramque carnem Servatori denegasse, cum haud decere putarent, ut divinae vir originis corpus sibi adiunxisse crederetur. Unus iis omnibus erat error, qui tamen variis partibus iisdem illudebat. Denique quid mirum si homines enarratis hactenus principiis ad insaniam dediti carnis futurae resurrectionis dogma respuerunt? Cum illa & vitiosa esset, & mundi conditorum non Dei opus, salvari non debuit, nec proinde reviviscere. Inde ea in opinione versati sunt, ut docuerint Christum nulla corporum habita ratione, animarum dumtaxat salutem tentasse. Quod innuit Auctor Appendicis ad Tertulliani librum *de Praescriptionibus* scribens ex Carpocratis sententia (1) Christum *apud Judaeos passum, solam animam ipsius coelo receptam, eo quod & firmior, & robustior ceteris fuerit: ex quo colligeret tentata animorum sola salute, nullas corporum resurrectiones.* Sed nemo non contemnat, ac detestetur homines, qui enarratis hactenus de caussis cum Servatoris divinitatem tum futuram aliquando corporum resurrectionem audacter negavere.

(1) Cap. XLVIII.

XXXII. Cum pecudum more Carpocratiani vitam agitarent, ut certe sic eos oportebat vivere, qui abominandis principiis imbuti erant, cumque nulla alia re Christianis similes essent, quam quod ut ait Epiphanius (1) nomine tantum gloriarentur, *ut ementiti huius vocabuli specie improbitatem suam exercerent*, hac scelestissimae vitae infamia cum Christianis non paucis exitio fuerunt tum caussam ethnicis Christianorum mores criminandi praebuerunt, effeceruntque ut Christianismus grandi apud eos dedecore laboraret, qui sanctissimorum illius dogmatum erant ignari, quique mores ceterorum Christianorum ex personatis hisce Christianis metiebantur; quod ex veterum monumentis ita enarrat Eusebius (2): *His ministris usus malignus ille Daemon primum effecit, ut ex fidelibus, quicumque ab illis decepti essent, ad miserabile exitium tamquam captivi adducerentur. Deinde gentibus a fide nostra alienis amplam obtrectandi & calumniandi materiam subministravit; dum ab illis primum orta infamia ad totius Christiani nominis opprobrium diffunderetur. Atque hinc factum est, ut absurda quaedam & impia de nobis opinio apud infideles tunc temporis spargeretur, quasi nefario concubitu cum sororibus & matribus misceri, & execrandis dapibus vesci soleremus*. Haec atque alia de Carpocratianorum moribus & disciplina a Veteribus commemorata consideranti, ea arrisit opinio, ut ostendi posse crediderim eos homines praesertim una cum Basilidianis nonnullisque aliis famosioribus Gnosticis caussam illi

(1) Haeresi XXVII. num. 4.
(2) H. E. lib. IV. cap. VII.

accusationi praebuisse, qua Christianis Ethnici crimini verterunt, quod Serapidem Alexandrinorum numen adorarent. Hanc illis accusationem intentavit Hadrianus si illius genuina ea est epistola quam ad Servianum Consulem dedit, quamque ex libris Phlegontis, eiusdem Hadriani Liberti in hunc modum exscripsit Flavius Vopiscus (1): *Hadrianus Augustus Serviano Cos. salutem. Aegyptum quam mihi laudabas, Serviane carissime, totam didici levem, pendulam, & ad omnia famae momenta volitantem. Illi qui Serapin colunt Christiani sunt, & devoti sunt Serapi, qui se Christi Episcopos dicunt. Nemo illic Archisynagogus Judaeorum, nemo Samarites, nemo Christianorum Presbyter non Mathematicus non Aruspex non Aliptes. Ipse ille Patriarcha cum Aegyptum venerit, ab aliis Serapin adorare, ab aliis cogitur Christum.* Quae de Carpocratianis & Basilidianis esse excipienda Baronius censuit (2). Et vero plurima sunt, quae hanc opinionem cum verisimilem reddant, tum vero longe plura quae persuadeant tantam accusationem tantumque facinus ab Aegyptiis Christianis removeri debere. Quae duo antequam exemplis veteri ex historia depromtis comprobemus, quaedam de Gnosticis praemittenda sunt, quae dicenda cum clariora facient, tum verisimiliora; hos nimirum in rebus religionis eclecticos, anomalos, & prope dixerim acephalos fuisse, ut supra iam indicavimus. In Aegypto fere omnes instituti fuerant, qui ex iis ad Ecclesiae doctrinam perperam infuscandam postea accesserunt, & cum ea

(1) In Saturnino. T. II. Hist. Aug. Script.
(2) Ad A. C. CXXXII.

in regione ex multiplicium Philosophorum accessu vigere coepisset Eclecticismus, atque Syncretismus opinionum philosophicarum, sic apud Haereticos frequens cum Eclecticismus, tum Syncretismus fuit errorum & rituum, adeo ut haeresis eiusdem homines aut opposita inciderint in somnia, aut diversis moribus cum essent, diversa usi fuerint disciplina, & cum purissimis Religionis Christianae ritibus, atque doctrinis impurissimos coire fecerint errores & ritus Ethnicorum. Hinc repetenda videtur adparens illa Patrum varietas in historia enarranda Haereticorum. Hanc philosophandi differendique non de humanis solum, sed divinis etiam rebus rationem ac methodum fovebat maxime augebatque illius aetatis ingenium, eratque is error saeculi, quaedam nimirum sacrorum & profanorum dogmatum commixtio, qua primorum Sectae temporum laboravere ut a diligentioribus earum enarratoribus ostensum fuit. Hinc primi haeretici, qui nomine Gnosticorum universim sibi maxime plaudebant, ex Eclectica ille, quae apud Aegyptios obtinere coeperat, philosophia egressi, errores suos inde varios hauserunt, & vanas huiusmodi doctrinas Christianis institutis aptare, atque iungere voluerunt. Hac de caussa saepe numero Patres Philosophos haereticorum patriarchas & condimenta appellaverunt. Ut autem Haeretici Apostolicorum praesertim temporum contemplativos errores suos ex Philosophis hauserunt cumque Christi doctrina studuerunt inepte componere, ita ex Ethnicis etiam sacerdotibus ceremonias & gentiles ritus derivarunt; eaque omnia cum Judaicis, Christianisque rebus male componentes in unum veluti monstrum compegere. Fabulas revera & genealogias Hesiodi, Orphaei, Antiphanis,

tiphanis, aliorumque Poetarum, qui generationes scripsere Deorum, haereticos aevi Apostolici suas in haereses transtulisse Isaacus Vossius admonebat (1). Quae si probentur, non invitus etiam quisque concedet quomodo Carpocratiani, Basilidiani, aliique Gnosticorum, qui Christiani videri volebant, profanorum etiam Numinum & quidem variarum Gentium potuerint admittere, cum varias etiam harum doctrinas, & ritus adamarent. Nam ii licet quibusdam in rebus explanandis certae cuiusdam philosophiae decretis insisterent, uti exempli gratia cum orientalium Philosophorum opiniones de ortu caussisque malorum excepere, easque adhibuerunt ad humanae Redemtionis oeconomiam explicandam, in ceteris tamen quaecumque alia arripiebant pro libidine cum religionem nullam profiterentur, sed quascumque simul commiscerent, ut Ethnicis ipsis viderentur deteriores. Hos autem homines atque ita institutos, cum nomen Christianum sibi temere ad simplicium deceptionem indidissent, profana Numina una cum J. C. colere & venerari suo modo potuisse tum cetera perficere quae Hadrianus de Mathesi, & Aruspicina praesertim dicit, nemo inficias ibit, maxime si vel leviter veteres consulat Scripores, & principia paullulum consideret, quae iis agendi vivendique turpissimam normam instruxerant. Atque ut de Carpocratianis primum dicam, quae de Magia, quam Hadrianus a Christianis exculta ea in Epistola perscripsit, quam bene in eosdem

(1) Epist. I. de S. Ignat. M. ad Rivet.

aliosque item Gnosticos quadrant? Non dissimiles hi a magistris suis Simonianis esse debuerunt, de quorum mysticis sacerdotibus haec memoriae Irenaeus commendavit (1): *Libidinose quidem vivunt; magias autem perficiunt & quemadmodum potest unusquisque ipsorum, exorcismis, & incantationibus utuntur: amatoria quoque & Agogima, & qui dicuntur Paredri, & Oniropompi & quaecumque sunt alia perierga apud eos studiose exercentur. Imaginem quoque Simonis habent factam ad figuram Jovis, & Helenae in figuram Minervae, & has adorant.* Quare de Carpocratianis nominatim ajebat Eusebius (2): *Sed & Carpocratem quemdam iisdem vixisse temporibus scribit Irenaeus, alterius sectae, quae Gnosticorum dicitur, conditorem. Hi magicas Simonis praestigias, non clam ut ille, sed palam & publice tradendas esse censebant, & philtris arte magica curiose elaboratis, Paredris quoque & somniorum immissoribus, aliisque huiusmodi maleficiis, tanquam maximis, & pulcherrimis rebus gloriabantur.* Epiphanius quoque detestanda eorum facinora, & maleficas artes enarrans, haec habet (3): *Ceterum detestandae huius disciplinae alumni horribilium, ac teterrimorum facinorum varia genera moliuntur. Nam & maleficas artes exercent, & ad machinanda quaelibet veneficia & cantiones excogitarunt, velut ad philtra & amoris illecebras: imo etiam familiares sibi quosdam Daemones alliciunt, ut multiplicibus iis praestigiis summam sibi, ut aiunt, in omnia potestatem vindicent, ac quod*

(1) Lib. I. cap. XX. edit. Oxon.
(2) H. E. lib. IV. cap. VII.
(3) Haeresi XXVII. num. 3.

cuique libuerit, & quodcumque agere in animum induxerit, idipsum audeat suscipere. Ait inde eos ad Ecclesiae detrimentum, & probrum exortos esse. *Quod hominum genus ad Ecclesiae Dei probrum & offendiculum adornasse ac submisisse Satanas videtur: quippe qui Christianorum sibi nomen indiderint, ut propter illos offensae Nationes ab sanctae Dei Ecclesiae utilitate abhorreant, nunciatamque veritatem ob immania illorum facinora, & incredibilem nequitiam repudient, ut, inquam, frequentibus illorum sceleribus animadversis, eos quoque qui e Sancta Dei Ecclesia sunt tales esse sibi persuadeant, atque ita ab verissima Dei, ut diximus, doctrina aures avertant, aut certe paucorum improbitate conspecta in universos eadem maledicta coniiciant. Atque ea demum caussa est, cur plerique Gentilium, ubicumque istius sectae homines deprehenderint, nullam nobiscum velint neque dati acceptique, neque audiendi divini verbi societatem coniungere, ac ne aures quidem praebere sustineant; usque adeo nefariis illorum flagitiis consternati, ac deterriti sunt.* Atqui tamen hosce homines Freretus iis accensuit, qui Christi Religionis amantes eius fines amplificare atque extendere studuerunt. Refert postremo Epiphanius magicas artes, veneficia & idolorum cultum idem hominum genus impense coluisse. Erant certe hi Carpocratianorum mores & instituta ad homines e societate Christiana arcendos peridonea, cum optimis quibusque Ethnicorum non invisi Christiani esse non possent, qui rei tantorum flagitiorum habebantur, quorum caussa olim vel Romanus Senatus de iis, qui bacchanalia Romam introduxerant, gravissimas poenas non immerito sumserat (1). Sed quod propius ad rem nostram ac-

(1) Livius lib. XXXIX. cap. XVIII.

cedit Patrum recitata testimonia quantopere magiam excoluerint Carpocratiani satis luculenter declarant. Est igitur vero proximum, Hadrianum homines, qui Christiana appellatione pro re nata gloriabantur, quique in Egypto grassabantur praecipue, pro Christianis revera habuisse, germanisque Christianae disciplinae cultoribus tribuisse, quod vaferrimorum hominum, & impostorum illorum proprium dumtaxat, & peculiare erat. Sed & cetera ab eodem Imperatore de Christianis universim dicta Carpocratianis egregie conveniunt; qui nimirum aut necessitate ita postulante, aut eo quo diximus Syncretismi spiritu acti Aegyptiorum Numina facillime colere potuere, aliosque ad idem faciendum excitare, uti certe aliorum virorum & nomina & imagines adoravere. De Gnosticis, inprimisque de Carpocrate eiusque discipulis haec scribit Irenaeus (1): *Etiam imagines quasdam quidem depictas, quasdam autem & de reliqua materia fabricatas habent, dicentes formam Christi factam a Pilato illo in tempore, quo fuit Jesus cum hominibus. Et has coronant, & proponunt eas cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagorae, & Platonis, & Aristotelis, & reliquorum, & reliquam observationem similiter ut Gentes faciunt*. Quae ab Epiphanio confirmantur paullo distinctius his verbis (2): *Habent porro Carpocratiani depictas coloribus imagines, quidam etiam aureas aut argenteas, vel ex alia materia factas, quas esse Jesu effigies affirmant: easdemque a Pontio Pilato ad Christi*

(1) Lib. I. cap. XXIV. edit. Oxon.
(2) loc. cit. num. VI.

ſimilitudinem effictas, quo tempore inter homines degebat. Sed eiuſmodi imagines occultas habent; nec non & Philoſophorum quorumdam ut Pythagorae, Platonis, Ariſtotelis, aliorumque quibus eas quas dixi Chriſti effigies miſcent, & erectas omnes ſimul adorant, ad eaſque Gentilium ritus inſtituunt. Collocatis enim ſimulacris iſtis, quae a Gentilibus fieri ſolent deinceps perficiunt. Quinam vero ſunt gentiles ii ritus alii quam ſacrificia ceteraque generis eiuſdem? Denique de Secta eadem Carpocratis aiebat Auguſtinus (1): *Sectae ipſius fuiſſe traditur ſocia quaedam Marcellina, quae colebat imagines Jeſu & Pauli, & Homeri & Pythagorae.* Quae Patrum teſtimonia contorſit plane Dallaeus (2), dum iis ſe confeciſſe credidit, uſum imaginum a Patribus reprobatum contemtumque fuiſſe. Nam hi ſapientes Viri non ea de cauſſa Carpocratianos reprehenderunt, quod Chriſti imagines haberent, eaſque venerarentur, id enim eos licere crediſſe, imo uti rem utilem habuiſſe dubitandum non eſt, ſed quod Carpocratiani eas colerent ritu Gentilium, eoſdemque huiuſmodi imaginibus honores deferrent, quos Idolis ſuis Pagani deferebant, ac praeterea Chriſtum inſigni contumelia afficerent, dum eius imaginem eodem loco habebant ac illas Philoſophorum, aliorumque quamvis illuſtrium Virorum, quos Ethnici utpote veteris ſapientiae magiſtros divino veluti numine adflatos habebant, ut diſcimus ex Juliano Caeſare ita ſcribente (3): *Homerus, Heſiodus, Demoſthenes,*

(1) Lib. de Haereſ. cap. VIII.
(2) Lib. I. de Imag. cap. VII.
(3) Epiſt. XLII.

Herodotus, *Thucydides*, *Isocrates*, *Lysias Deos habent doctrinae suae duces*. Hactenus dictis si adiicias Carpocratianos ea in sententia fuisse, ut nihil natura bonum aut malum esse vellent, sed omnia haec pro hominum opinione discerni, non invitus fateberis eosdem ea omnia superstitionis & idololatriae argumenta facile exhibere potuisse, quorum meminit Hadrianus, cui scelesti ii homines in caussa fuerunt, ut vere Christianos infamaret. *Sed hae Daemonis artes*, praeclare Eusebius (1), *nequaquam in diuturnum tempus ei processere, quippe cum veritas se ipsam adstrueret, & commendaret, progressuque temporis clarius in dies elucesceret. Et adversariorum quidem inventa a semetipsis confutata, confestim extincta sunt: aliis super alias exorientibus sectis, cum priores assidue diffluerent & in multiplices ac multiformes errorum species vario quaeque modo evanescerent. Catholica autem Ecclesia, quae sola vera est, semperque sui similis & constans novis quotidie incrementis augebatur: gravitate sinceritate ac libertate, modestia denique, & sanctitate vitae cuiusdam philosophiae divinae, omnium oculos non Graecorum modo, verum etiam Barbarorum perstringens*. Ita ex comparatione improborum hominum cum vere Christianis Evangelii praestantia enitere debuerat, cum homines qui sese eruditos iactitabant, & imperitiam Apostolorum, quibus proinde longe se praestare aiebant, impudenter aspernabantur, usque adeo a communi sensu ac probitate vel humanae tuendae Societati necessaria aberrarent, illi autem indocti J. C. Discipuli de Deo deque moribus sapientissime, ac

(1) H. E. lib. IV. cap. VII.

castissime disputarent; ostenderentque hoc modo divinam omnino, atque a Deo esse Religionem, cuius praecones ac magistri delecti fuissent. Nec certe ab eo tempore ad haec nostra novarum Sectarum conditores, & ignotarum antea revelationum iactatores quidquam simile Apostolicae Religioni sapientia sanctitate & pietate excogitare potuerunt, imo ne latum quidem unguem a Religione Christiana sine lapsu, qui rectam Rationem offenderet, recedere valuerunt.

XXXIII. Carpocratianis magicis in artibus, Idololatria, aliisque deliriis, quorum Christianos reos facit Hadrianus, haud inferiores fuere Basilidiani, nisi etiam velis superiores fuisse. Facilius isti Serapidem aliaque Numina gentium colere potuere quam Christum, cum eorum Coriphaeus non Jesum, sed eius loco Simonem Cyrenaeum crucis supplicio affectum fuisse affirmaret, uti iam exposuimus. Inde ut consentanea sibi quodammodo tradere videretur, quemquam in Crucifixum credere prohibuit, & Martyras inde non pro Christo sed pro Simone statuit occumbere, eoque nomine damnavit martyrium, ut fidem Irenaeus facit, scribens asseruisse Basilidem, quod (1) *si quis confitetur Crucifixum, adhuc servus hic est, & sub potestate eorum qui corpora fecerunt: qui autem negaverit, liberatus est quidem ab iis, cognoscit autem dispositionem innati Patris*. Inde quam parvi, imo nihil idololatriae crimen facerent, & quanto magicarum artium amore capti essent cum Basilides tum eius discipuli, enarrans inquit: *Contemnere autem*

(1) Lib. I. cap. XXIII. edit. Oxon.

praecepit & idolothyta, & nihil arbitrari, sed sine aliqua trepidatione uti eis: habere autem & reliquarum operationum usum indifferentem, & universae libidinis. Utuntur autem & hi magia, & incantationibus, & invocationibus & reliqua universa periergia: nomina quoque affingentes quasi Angelorum, annuntiant hos quidem esse in primo coelo, hos autem in secundo, & deinceps nituntur CCCLXV. *ementitorum coelorum & nomina & principia & Angelos & virtutes exponere*. Ex quibus plura consequebantur, quae docerent Basilidianos ad Numina quaecumque colenda abnegandumque Christum paratissimos fuisse. *Et sicut Filium*, inquiebant apud eumdem Irenaeum, *incognitum omnibus esse, sic & ipsos a nemine oportere cognosci, sed cum sciant ipsi omnes, & per omnes transeant, ipsos omnibus invisibiles & incognitos esse. Tu enim* (*aiunt*) *omnes cognosce, te autem nemo cognoscat. Quapropter*, inquit Irenaeus, *& parati sunt ad negationem qui sunt tales, imo & magis ne pati quidem propter nomen possunt, cum sint omnibus similes. Non autem multos scire posse haec, sed unum e mille, & duo e myriadibus. Et Judaeos quidem iam non esse dicunt, Christianos autem nondum fuisse*. Denique ut aliorum veterum Patrum testimonia praetermittam, qui eadem crimina Basilidianis exprobraverunt, Auctor Appendicis ad librum Tertulliani de *Praescriptionibus* de eodem Basilide affirmavit (1) *Martyria negat esse facienda*. Scimus hinc quod si cui martyrium obire contigisset, tantum abfuisse, ut id singulari beneficio Basilides

(1) Cap. XLVII.

silides deputarit, ut potius poenam esse contenderit, quam lueret eius anima ob scelera alia in vita admissa, honorificentiorem quidem iis, quas aliae pendunt animae; at poenam tamen. Nam ideo animas hanc in vitam detrudi censebat, quod in altera peccassent, imo belluarum aut avium corporis prius interdum eas illigari, quam humanis commentus est. Qua in re nemo rursum non agnoscit Basilidem ceu Simonis discipulum & sectatorem; notum est enim huius adseclas Gentium Idolis, quotiescumque sese offerret occasio, thus adolere non dubitasse, ut poenas declinarent negantibus inferendas, nec supremum cultum iis adhibere renuisse: haec enim inter adiaphora numerabant. Inde Theodoretus de Basilide scribebat (1): *Immolatis secure vesci praecepit, vetitasque actiones nullo discrimine peragere*. Tum de eodem & adseclis: *iidem sicut Menandri, & Simonis discipuli, incantationibus & praestigiis, omnisque generis imposturis utuntur.* Quae dudum iam prodiderat Agrippa Castor, qui apud Eusebium (2) affirmavit docuisse Basilidem, *quod indifferens sit victimas Diis immolatas degustare & persecutionum tempore licenter fidem abrogare*. Tandem Martyria a Gnosticis generatim improbata fuisse, testis est Tertullianus, qui integrum librum *Scorpiaci* titulo insignitum iisdem opposuit. Homines igitur, qui Martyrium pro Christo non esse subeundum dictitarunt, qui ingruentibus persecutionibus fidem abiiciendam docuere, qui

X

(1) *Haeret. Fabular*. Lib. I. cap. IV.
(2) H. E. lib. III. cap. VII.

Christianam professionem esse abscondendam praeceperunt, qui denique magiam, aliasque teterrimas exercuere artes, & Diis sacrificari posse, iisque consecrata manducari professi sunt, & pro re nata sacrificarunt, omnia ea praestare nullo negotio potuere, quae Hadrianus a Christianis Aegyptiis actitata fuisse testabatur. Erant in Aegypto multiplicia hominum illorum examina, qui nomen sibi indiderant Christianum, quod tamdiu ferebant, quamdiu rebus non noceret suis; ad illud repudiandum ceteroquin paratissimi, atque ad Numinum quorumcumque cultum suscipiendum si aut ingrueret in Christianos Ethnicorum persecutio, aut suaderet aliter. Syncretismus quem induerant, ut infra declarabimus.

XXXIV. At erant longe alii eorum mores, qui vere in numero censebantur Christianorum, longe alia illorum disciplina, quos Apostoli horumque discipuli instituerant, quam ut se pro more institutoque ita se se magicis artibus, & Serapidis cultu inquinasse turpiter adeo suspicari vel leviter possit, quemadmodum in ea videtur Hadrianus Epistola credidisse. Non dissimulaverim quosdam eorum aut imminente, aut vigente persecutione occultos remansisse, & quaesivisse latebras; nam etsi probe nossent nullo unquam casu, vitandaeque etiam mortis caussa fas esse sibi corde retentam fidem dicto vel facto inficiari, aut falsam simulare Religionem atque hinc horrerent helceseiticam perfidiam, intelligerentque teneri se secundum Christi praecepta fidem etiam exterius profiteri, quod utique coram fratribus & Antistibus praestabant suis; iidem tamen simul noverant adactos esse se ad publice contestandum Christianum nomen coram Gentilibus solummodo aliquo in loco, aut aliquo etiam tempo-

re, quando scilicet per omissionem Christianae professionis necessarius ac eximius honor Deo debitus subtraheretur, aut Proximus ita fuisset spirituali comodo privatus, ut nullo alio tempore, nullo alio in loco potuisset ipsi provideri. Docebantur propterea Christiani interrogatos quidem se a publica Potestate, & a Judice suam protestari fidem debere, non autem semper, ubi scilicet de Religione a privatis interrogarentur: neque enim erubescit Christum, nisi qui ipsum non confitetur, quando tenetur eum confiteri. Iubebantur praeterea Fideles ab iis se abstinere, quae protestativa erant cultus Idolorum, non autem ab adiaphoris nisi scandalum immineret, quemadmodum de Idolothytis Paulus docuerat. Licere hinc sibi putabant, imo aequum esse ducebant fidem suam aliquando occultare, ne hostibus suis occasio de Religione inquirendi praeberetur. Quod vel ipse probaverat Tertullianus antequam a catholica moderatione discederet, totusque inde montanistico furore agitatus fugam in persecutione & occultationem Fidelium, ut a Catholicis prudentioribus usurpabantur, reprobaret. Non inquam haec, atque alia dissimulaverim. At distabant tamen longe omnes a disciplina institutisque Gnosticorum: potior vero eorumdem pars, ita ad subeundum Martyrium parata erat ac facilis, ut Episcopi plurimorum impetum cohibendum esse ducerent, unde reliquorum status pacatior esset remissiorque a furore Tyrannorum, atque ansa tolleretur Christianorum fidei fervori detrahendi. Nam plerique, qui impotentem quamdam in aliquibus nostrorum esse virtutem intuebantur, & proclivem illum ad effundendum pro Christo sanguinem admirabantur animum, id impotenti cuidam tribuebant glo-

niae desiderio, quasi terribilia & non consueta mortis genera deperirent, quo post se famam nominis sui singularem relinquerent, eaque ratione Christianam philosophiam cum Secta Stoicorum Ethnici perperam confundebant. Stoici nempe, satis exorta Christiana Religione frequentes, quum desiissent timere quod sperare desiissent, remedium malorum mortem esse putabant. Malum enim esse fatebantur in angustiis, & necessitate dies agitare, sed in angustiis & necessitate vivere nullam esse necessitatem dicebant: patere undique ad libertatem vias multas, breves, faciles: agendas Coelitibus grates, quod in vita nemo teneri posset invitus: calcare necessitatem ipsam licere. Ast opposita nimium Stoicae doctrinae philosophia Christianorum erat, qui sperantes post tenebras lucem, & exacta tempestate serenum, laetabantur pro diebus, quibus humiliabat eos Deus: ipsis namque datum non modo erat, ut in Christum crederent, sed ut pro nomine eius paterentur; ut videlicet probatio fidei eorum auro per ignem probato pretiosior inveniretur, ut ita mortificationem Jesu in corporibus suis circumferentes vita Jesu manifestaretur in ipsis, scirentque momentaneum & leve tribulationis aeternae gloriae pondus operari, nec esse condignas passiones illius temporis futuram ad gloriam, quae in ipsis revelaretur. Inde alacer ille animus ad quascumque perferendas passiones contemnendamque vitam exoriebatur. Scimus plerosque iam paratas bestias ad suam ipsorum necem provocasse, crudelitatis instrumenta coram posita ad accelerandum Martyrium adhibuisse, & quod maius est, quum in hostium haud essent potestate se ipsos indicasse, hostesque provocasse suos ad supplicium infligendum. Quare de Christianis aevi sui

aiebat Deorum ille hominumque irrisor Lucianus (1): *Miseri homines a se ipsis persuasi, fore se integre immortales semperque victuros, mortem contemnunt, multique ultro se ipsos dedunt*. Fassus est Martyr Justinus se nomen Religioni Christianae dedisse, quod in ea nemo malus ipsi videretur, quodque quisquam se ipsum necandum ultro proderet ac deferret (2). Et Tertullianus persecutoribus haec obiiciebat (3): *Cum omni saevitia vestra concertamus, etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus*. Et rursum (4): *Vide tantum, ne hoc ipso quod talia sustinemus, ad hoc solum videamur erumpere, ut hoc ipsum probemus, nos haec non timere sed ultro vocare*. Praeter naturalem Legem qua nobis mortem aut accersere, aut accelerare prohibemur, accedere etiam quandoque videbatur divinae voluntatis indicium manifestum, quae bestias immanissimas, ne Christianos laederent, mansuefaciebat. At fervidi Christiani nihil horum cogitantes, sed sola obeundi Martyrii cupiditate flagrantes, in mortem (si ita mihi loqui fas est) praecipites ferebantur, ad quam eos intus divino afflante Spiritu anhelasse vel ex miraculo constat. Quum liceat nemini, ut dixi, suam in perniciem grassari; temerarium & audax facinus nunquam Deus miraculis comprobasset, nisi eiusdem fuisset auctoritate consilioque susceptum. Eodem Spiritu & illos actos fuisse, qui sese ultro Tyrannis

(1) In Peregrino.
(2 Apolog. II.
(3) Lib. ad Scapulam cap. I.
(4) Lib. cit. cap. IV.

obtulere, vel maiori quam debuissent libertate utentes, ad saeviendum magis ac magis inflammarunt, & quorum postea memoriam Ecclesia consecravit, pro certo tenendum est, nisi Martyras satis multos e sacris Fastis expungere arbitratu nostro velimus. Eamdem Christianorum stabilitatem, & ἀδιατρεψίαν licet aliud agens summopere quoque extulit Arrianus philosophus (1) sub Hadriano Imperatore doctrinae fama conspicuus; nam hac nota discerni ait qui ritu baptismi rite sunt initiati ab iis, qui licet baptismo tincti essent, Christi tamen fidem ore tantum non operibus profitebantur; si constantem animum & firmum, non varium & ancipitem praeseferrent. Galenus quoque (2) cum medicorum quorumdam pertinaciam notare vellet, citius ait Christianos Religionem suam eiuraturos, quam illi meliorem sententiam induant. *Prob mira stultitia & incredibilis audacia!* aiebat Caecilius Ethnicus (3), *spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt & futura: & dum mori post mortem timent, interim mori non timent: ita illis pavorum fallax spes solatia rediviva blanditur*. Hac de caussa Ethnici Christianos *Desperatos* & *Parabolanos* appellavere; quibus nominibus vulgo signabantur quidam proiectae audaciae homines, qui sponte & auctoramenti spe ad bestias pugnabant, vel petauro per ignem transiliebant. Confectores iidem a conficiendis bestiis, & quod sese periculis temerarie obiicerent, dicebantur.

(1) Epictet. lib. II. cap. IX.
(2) De diff. Puls. lib. III.
(3) Apud Minuc. Felic. in Octav.

XXXV. Satis mihi multa videor dixiſſe cum ut oſtenderem mores diſciplinamque vere Chriſtianorum ab illorum inſtitutis longe diſcrepaſſe, qui ſolum nomen gerebant, tum ut inde perſuaderem Hadriani epiſtolam de germanis Chriſtianae Religionis adſeclis, qui vigente perſecutione cecidiſſent, intelligi haud poſſe, quemadmodum nonnulli interpretantur. Ac mihi quidem epiſtolae illius genium, ac ſpiritum, ut ita dicam, expendenti ita ſenſus ſuos Hadrianum explicaſſe apparet, ut ſignificare voluerit pro re veluti indifferenti, & paſſim in Aegypto obtinente habitam fuiſſe & Serapidis & Chriſti adorationem & caetera etiam, quaę Imperator enarrat quo Aegyptum eſſe levem, pendulam, & ad omnia famae momenta volitantem edoceret. At horum in numero Chriſtianos fuiſſe, quibus ea impune, atque ex lege diſciplinae praeſtare liceret, nemo niſi huius ignarus ad animum admittet; nam nullos tunc Ægyptus, nullos ceterae regiones Martyras habuiſſent, quando ſcilicet iam Ethnicorum Numina colere, & honorare licuiſſet. Non ignoro pleroſque Aegyptiorum lapſos interdum victoſque tormentis fuiſſe, at aliquando eam in Aegypto confuſionem fuiſſe, ut Chriſtianorum eius regionis ſocietas univerſa, quod indicare ea videtur epiſtola, tantam admiſerit foeditatem, & praeter cultum Serapidi adhibitum, cetera etiam infanda admiſerit, nec vivente Hadriano certe conſtat, nec in illo Imperatoris de Aegyptiorum animis moribuſque iudicio veſtigium ullum cernimus, quo Chriſtianos Serapidi vigente perſecutione cultum impendiſſe perſuadeamur. Nec porro Hadrianus, ſi tum forte Alexandriam acceſſit, poenamque capitis iis indixit qui noſtrorum inſtitu-

ta Religionemque sectarentur, de Aegypto eam poterat sententiam ferre, cum tunc Idoli cultus suppliciis metuque exortus gentis mores minus bene exprimeret, nec terror ingens peridoneus haberi potuisset ad gentis indolem explorandam; ut non facile propterea Servianus laudes quas Aegypto tribuerat, confirmare posset. Quamquam & alia sunt, ex quibus discere possumus ea omnia, quae a Christianis facta fuisse Hadrianus credidit, nulla vigente persecutione contigisse. Narrat enim is Christianos non solum Serapidem, praecipuum inferioris Aegypti, & Alexandrinorum Numen adorasse, sed & eos praeterea Magiae, Aruspicinae, ceterisque superstitiosis disciplinis addictos fuisse. At vigente persecutione si id Christiani fecere, nihil ab iis praeter Idoli illius cultum admissum fuisse crediderim; neque enim est verisimile ut nominis Christiani hostes voluerint praeterea, qui Serapidem coluissent, memoratis etiam artibus, ac disciplinis statim operam dare, neque vero iidem potuissent nulla mora in iis ita excellere, ut ab Imperatore propter hanc rem notari mererentur. Cum is ergo ea in epistola de iis videatur habere sermonem qui non Serapidem tantum venerarentur, sed artes etiam illas impense excolerent ita, ut nullus inter eos esset, qui ab iis vacaret, coniicere pronum est qui ita se gererent longe alios quam Christianos fuisse. Patriarcha ille, qui cum in Aegyptum venisset, ab aliis Serapidem, ab aliis Christum adorare cogebatur, e coetu Christianorum esse non potuit; quum id nomen multo serius in Ecclesia usurpatum fuerit (1), & docti

(1) Vid. Dupinium de Antiq. Ecclef. disciplin. differt. I. §. VI.

& docti viri adversus Salmasium ostenderint eum Patriarcham, cuius ea in epistola mentio fit, non Christianum, sed hominem de secta Judaeorum fuisse. Coactus ille traditur ab aliis Serapidem, ab aliis Christum adorare. At vi adoratum a Christianorum Patriarcha Christum fuisse quis credat? Judaeus igitur fuerit necesse est, ut qui neque Serapidi, neque Christo cultum ullum esse adhibendum putaret. Rursus is Patriarcha, cuius fit ab Imperatore mentio, cum Tiberiade in Palaestina agere soleret, in Aegyptum rei alicuius gerendae caussa interdum venire potuit (1): contra Episcopus Alexandrinorum, quem ab Hadriano Patriarcham vocari Salmasius putat, Alexandriae degebat, remque Ecclesiasticam populi Christiani administrabat. Constat porro eorum neminem, qui ante Hadrianum vel eo imperante Alexandrinae Ecclesiae praefuere Serapidis, aut alterius profani Numinis cultu se polluisse; nimirum non Anianum, non Cerdonem, non Primum, non Justum denique. Quamquam Patriarcham illum, quivis demum fuerit, ad Christum adorandum vel Serapidem compellere Gnostici utique poterant aut alii, Christiani non poterant, queis non licebat quemquam vi ad suorum castra perducere, cum Gnostici contra pro Syncretismi spiritu, quo laborabant, vel ad Serapidem vel ad Christum colendum potuerint excitare, ceu qui Christum promiscue una cum Numinibus gentium & Philosophis revererentur. Nullum extitisse

Y

(1) Epiph. Haeresi XXX. n. IV.

inter Christianos Presbyterum, qui non esset non Mathematicus, non Haruspex, non Aliptes, is solum affirmare potuit, qui eorumdem disciplinae fuerit imperitissimus; nam ut ut eorum aliqui Mathesin fortasse, hoc est Astrologiam Apotelesmaticam & alias quasdam superstitiosas artes clanculum potuerint excolere, ab omnibus tamen id esse factum, ut scribit Hadrianus, nemo credet. Mathesin prae aliis Basilidianos consectatos esse, eamque ad commenta sua exornanda & persuadenda transtulisse his verbis narrat Irenaeus (1): *Trecentorum autem sexaginta quinque coelorum locales positiones distribuunt similiter, ut Mathematici. Illorum enim theoremata accipientes in suum caracterem doctrinae transtulerunt: esse autem principem illorum ἀβράξας & propter hoc CCCLXV. numerum habere in se*. Eosdem Deorum cultum cum Christiana miscuisse Religione ex figuris iisdem Abraxeis & gemmis, sexcentisque adhuc reliquis ipsorum Amuletis, in quibus, ut inquiebant, bonorum Angelorum nomina insculpta erant, in medium adductis evincit Bernardus Montfauconius (2). Cum igitur Gnosticis conveniant, quae de Christianis omnibus Hadrianus pronunciavit, temere non affirmarit, qui dixerit, hunc vere Christianos cum iis confudisse, qui idem nomen usurpabant sive quod Christi doctrinas aliquot pro ingenio suo excolerent, sive quod facilius eo exornati nomine possent Christi adseclas fallere. Et profecto si eo nobili accepto nomine Simon, Nicolaitae, Menan-

(1) Lib. I. cap. XXIII. edit. Oxon.
(2) Tom. II. Antiquit. Explicat. P. I. lib. III.

der, aliique effecere, ut Judaei ex pravis eorumdem moribus nefanda de Christianis omnibus vulgarent, eaque ab Ethnicis non paucis crederentur, eadem facilitate decipi Hadrianus potuit Carpocratianorum Basilidianorum aliorumque huiusce generis Gnosticorum moribus, & impiis artibus, atque existimare in iis sese omnes Christianos exercere, quibus tamen personati ii solummodo Christiani operam dabant. Scio quidem cetera inter crimina quae fuere per calumniam obiecta Christianis, illud etiam gravissimum fuisse, quod ad Magiae studium pertinebat, eosque a Suetonio genus hominum *superstitionis novae ac maleficae* vocatos fuisse (1). At auctores huius accusationis Judaei fuerant, qui cum malos Daemones e corporibus obsessorum expelli, totque mirabilia opera a Christo fieri viderent, ne Messiam quem expectarent, ipsum esse confiterentur, non divina potestate haec ab eo fuisse patrata dictitabant. Haec cum ab Judaeis Ethnici accepissent, atque cernerent cum Apostolos tum multos alios, qui eamdem disciplinam Religionemque profiterentur, virtute nominis Christi similia praestare & Magistrum & Discipulos & Sectatores omnes in eiusdem criminis suspicionem vocaverunt. Sed Christianorum pietatem, assiduas ad Deum sibi conciliandum preces, insignem in omnes caritatem, mirabilem in suppliciis tolerandis constantiam, & ab omni scelerum contagione integrum animum tam claris Ethnici, qui in eorum mores accuratius inqui-

(1) *In Nerone* cap. XVI.

sivere, testimoniis expresserunt, ut ne ipsa quidem contradicere pertinacia possit. Quid enim ad horum testificationem illustrius nobili illa Plinii ad Traianum Epistola (1), qua se tormentis adhibitis Christianorum crimina quaesivisse ait, nec aliud tamen quicquam reperisse quam coetus ipsorum antelucanos, carmina Christo quasi Deo decantata, sanctum scelerum vitandorum etiam adhibito sacramento propositum, cibi una capiendi consuetudinem? Damnat tantum superstitionem pravam, & immodicam, tum & pervicaciam, & inflexibilem obstinationem, nos singularem pietatem, & fidem, tum & invictam fortitudinem, & in proposito servando perseverantiam ac firmitatem interpretamur. Henricus Dodwellus de insigni agens Martyrum Christianorum fortitudine (2), eo processisse animadvertit eorum πληροφορίαν, ut vera admodum pauca lapsorum occurrant in primis persecutionibus usque ad Cypriani aetatem exempla. Quod ex laudata Plinii Epistola colligit, in qua haec leguntur: *Propositus est libellus sine auctore, multorum nomina continens, qui negarent se esse Christianos aut fuisse, quum praeeunte me Deos appellarent, & imagini tuae (quam propter hoc iusseram cum simulacris Numinum afferri) thure ac vino supplicarent: praeterea maledicerent Christo quorum nil cogi dicuntur, qui sunt revera Christiani*. Quod hosce lapsos vere Christianis Plinius opponat, plane significare voluit, inquit Dodwellus, falsos fuisse Christianos, non utique quod fidem Christo datam violassent (nec enim

(1) Lib. X. Epist. 97.
(2) Differt. XII. Cyprianica num. XLVIII.

id reprehensurus erat ipse persecutor) sed quod alieni essent ab eorum Christianorum societate, qui nomen Christianorum & disciplinam a Christo usque & Apostolis, vera & legitima successione traduxissent. Igitur ita ab istorum moribus alienos fuisse eos lapsos ait Plinius, ut quos utique lapsos fuisse constaret, eos concludat ne olim quidem fuisse Christianos, & proinde veraces eos esse qui se fuisse negarent. Eadem plane, ut idem Dodwellus ait, ratiocinatione usus est Plinius, qua Joannes Apostolus cum de quibusdam nomine tenus Christianis dixit (1): *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Uterque innuit, qui vere essent, non externa dumtaxat simulatione Christiani. Hinc arbitratur Gnosticos fuisse Plinianos illos Christi negatores & maledictores. Nam hi martyria esse facienda, aut Christum in persecutione agnoscendum inficiabantur, ut de Basilidianis nos quoque diximus. Sane ex principiis potius, quam ex infirmitate negantium, erat tanta illa istorum audacia, qua Christum ita negabant, ut negati ne puderet quidem, imo ipsi etiam Proconsuli se nunquam Christianos fuisse persuaderent. Egissent certe modestius lapsi e Catholicis: pudorem suum ac dolorem non ita dissimulare poterant, ut nequidem Christianos fuisse videri possent. Quo magis inverisimilis eorum apparet opinio, qui Hadriani Epistolam de Christianis esse intelligendam arbitrantur, qui, Hadriano Alexandriam profecto, Praefecto Ur-

(1) Epist. I. cap. II. 19.

bis extremum interitum minanti cessĕrint, nisi eiurarent Christum, & Serapidi sacrificarent cum ea tempestate in persecutione lapsi frequentes adeo multique non essent. Et Casaubonus quidem in veteri Martyrologio, quo loco de Epimacho Martyre agebatur, haec se legisse testatur (1): *Venit Alexandriam Judex insanissimus, ferocissimus. Quare & Christianorum omnium alii quidem timore minarum in deserta fugerunt, alii vero Christianismum occultantes impietatem simulabant.* Ex quo idem etiam Hadriano imperante contingere potuisse coniiciant. At si hoc est, novisset tum Hadrianus saltem ex eorum, qui Urbem reliquissent & quaesivissent latebras, quibus mortem declinarent, & numero, & in tuenda servandaque Religione constantia, Christianos ex vi disciplinae suae Serapidis aliorumque Numinum cultum repudiare; nec lapsorum in persecutione tantum habita ratione sic Aegyptum universam ut levem & pendulam traduxisset. Quamquam, si quid iudico, qui Christianos ab Hadriano notatos fuisse contendunt non tantum iam laborare debent, ut congestis Aegyptiorum in persecutione lapsorum exemplis opinionem suam verisimilem efficiant, quam id potissimum adniti, ut cetera simul concilient quae in Christianis iis ille animadvertit: quod arduum nimis fortasse fuerit, & operosum. Possumus igitur in sententia conquiescere, quam hactenus alteram oppugnando illustrare conati sumus, atque statuere, deceptum Hadrianum fuisse, verosque Christianos cum spuriis confudisse. Quo magis magisque constat post

(1) In Notis ad laud. loc. Vopisci.

bonae conſcientiae naufragium frontem quoque omnem & pudorem Freretum perdidiſſe dum Carpocratianos, alioſque ſimiles impuratos nebulones, a quibus in Chriſtianam ſocietatem nonniſi calumniae peſſimaeque de eiuſdem adſeclis opiniones manaverunt, teſtes appellare voluit Apoſtolicae doctrinae & Hiſtoriae Chriſti, eoſque eorum in numero cenſere qui Chriſti nomen & gloriam, & fundatam ab eo Religionem amplificare voluerunt, cum tamen ut hanc everterent ac depravarent nihil non egiſſe videantur.

XXXVI. Idem de Cainiſtis, ſive Cainitis dicimus, a quibus memorandis vel ſolum nomen Freretum abſterrere debuiſſet. Sed is quia ſibi propoſuerat conſenſum Chriſtianorum in Evangelica Hiſtoria a Viris Apoſtolicis conſcripta ſuſcipienda pervertere, proſcripta quaeque nomina undique corraſit, defenſaſque vel a Sectariorum peſſimis abſurdas opiniones recenſere non dubitavit, ratus apud eos, qui hominum mores, frequenteſque contradictiones ignorarent multum roboris ammiſſurum illud validiſſimum argumentum. Cainitae igitur, inquit Freretus (1), pro more ingenioque eorum, qui primis Eccleſiae temporibus ſectas condiderunt, contemtiſſime de Moſaica lege locuti ſunt, malamque Intelligentiam eiuſdem principium & cauſſam extitiſſe

(1) *Pag.* 7. Les Caïniſtes conformes en cela à pluſieurs de ces premiers Sectaires parloient de la loi de Moïſes avec le dernier mépris : ils aſſuroient qu'elle avoit pour principe une mauvaiſe intelligence. Ils ne croyoient donc pas que J. C. fût venu pour l'accomplir. *Tillemont Tom. II. p.* 47.

confirmarunt. Non credebant igitur hi Christiani advenisse Christum ut eamdem compleret Legem, adeoque neque eam protulisse sententiam, quae in Matthaei Evangelio legitur (1): *Nolite putare quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* Declararunt igitur Frereti iudicio, quod in Evangeliis legitur historiae veritati adversari, simulque traditiones reliquere, quae cum Evangelicis pugnant. Atqui si Carpocratianorum & Valentinianorum auctoritas nulla in iis esse potest, quae adversus & Historiam & doctrinam blaterarunt, multo minus erit Cainitarum, qui ex utrisque prodierunt. Cum Carpocratianis certe sensere, non posse homines salutem adsequi, nisi omnia vitiorum genera percurrerint, ut praeter alios testatur Irenaeus, hanc illorum fuisse opinionem narrans (2), homines non *salvari nisi per omnia eant, quemadmodum & Carpocrates dixit. Et in unoquoque peccatorum, & turpium operationum Angelum assistere.* Hominis perfectionem atque sanctitatem, aeternamque inde quietem & felicitatem tum consequi putabant, cum omnia scelerum & flagitiorum genera expleta fuissent; adeo ut ille & perfectior haberetur & sanctior, qui citius & cumulatius ea omnia obiisset. Factum inde, ut Cainum magnis dignum honoribus censuerint, & sectae suae impurissimae caput statuerint, tum alios honorarint mortalium pessimos, quorum memoriam & impia facinora sacrae V. T. paginae detestantur.

---

(1) Math. V. 17.
(2) Lib. I. cap. XXXV.

testantur. Nihil igitur mirum si etiam ex hoc capite de Lege veteri contemtissime loquerentur, atque a malo principio ortam esse defenderent, cum ea manifestissime immania, quae ipsi patrabant, facinora damnarentur. Non tamen ex his colligi posse censeo negasse Cainitas Evangelia Christi Discipulorum opus esse, aut a Servatore eam fuisse prolatam sententiam, qua se venisse affirmabat ut Legem veterem adimpleret. Cui enim est incompertum non satis sibi Sectarios constare, tum principiis suis adversa non infrequenter statuere, nec omnes denique iisdem in propugnandis dogmatis semper consentire? Quamquam potuere eam a Servatore acceptam fuisse sententiam inficiari, vel eamdem ab Evangeliis auferre, quin haec ab Apostolis fuisse conscripta denegarent. De Marcione scribit Tertullianus: *frustra de ista sententia neganda Ponticus laboravit*. Qua de re Riccardus Simonius videatur (1). Et Cainitas quidem historiam Evangelicam ad usus suos pertraxisse, eamque more suo explicasse ex iis constat, quibus Judae facinus interpretari conati sunt, ita uti ab auctore Appendicis ad Tertulliani librum *de Praescriptionibus* recensentur (2): *Erupit*, inquit, *alia quoque haeresis, quae dicitur Cainaeorum. Et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti Virtute conceptum, quae operata sit in ipso. Nam Abel ex inferiori Virtute conceptum & ideo inferiorem repertum. Hi qui hoc adserunt etiam Judam pro-*

(1) Hist. Critique du N. T. chap. 12.
(2) Cap. XLVII.

ditorem defendunt, admirabilem illum & magnum esse memorantes propter utilitates quas Humano Generi contulisse iactantur. Quidam enim ipsorum gratiarum actionem Judae propter hanc caussam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas quod Christus vellet veritatem subvertere, tradidit, ne subverti veritas posset. Et alii sic contra disputant & dicunt: quia potestates huius mundi nollebant pati Christum, ne Humano Generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens Generis Humani tradidi Christum, ut salus, quae impediebatur per virtutes, quae obsistebant ne pateretur Christus, impediri omnino non posset, & ideo per passionem Christi non posset salus Humani Generis retardari. Et Irenaeus memoratis eorumdem deliriis scribebat (1): *Et haec Judam proditorem diligenter cognovisse dicunt, & solum prae ceteris cognoscentem veritatem perfecisse proditionis mysterium: per quem & terrena, & coelestia omnia dissoluta sunt. Et confictionem afferunt huiusmodi, Judae Evangelium illud vocantes.* Quod etiam Theodoretus narrat (2) & Epiphanius, quem si excipias, luculentius etiam animadvertes Cainitarum varietatem in caussa statuenda, propter quam Judas Christum prodidisse dicitur; ea enim sunt eius verba, ut aut Augustinum, aut eumdem Epiphanium errasse dicendum esset, cum ille Cainitas Legem veterem, huiusque auctorem blasphemasse scribat (3); hic vero perspicue afferat hanc ob caussam Christum a Juda proditum fuisse quod ma-

(1) I. cit.
(2) *Haereticar. Fabular.* lib. I. cap. XV.
(3) Lib. de Haeres. ad Quodvultdeum.

lus esset, Legisque instituta vellet violare; nisi comperta horum sectariorum inconstantia atque varietas contradictionem illam prorsus auferret. En Epiphanii verba (1): *Quidam enim Christum, quod malus esset, ac Legis instituta violare auderet, a Juda proditum existimant. Cainum enim ut diximus, Judamque venerantur; eiusque rei gratia, inquiunt, illum prodidit, quod praeclare tradita antiquare vellet. Alii vero aliter sentiunt.* Quam inconstantiam ut prodat eorum eo de Judae facinore caussas aperit, quae cum memoratis ab auctore Appendicis ad laudatum Tertulliani librum conveniunt. Sed negaverint Cainitae sententiam Servatoris, perinde est; neque enim eorum tanti negatio facienda est, quanti illorum affirmatio, qui illam ex ipsius Christi ore audiverunt, atque suos in commentarios retulerunt. Eo vel maxime quod notum compertumque sit cur id inficiari sint ausi, & sit etiam manifestum non pertinuisse eos ad Christianam societatem (2), adeoque eorum testimonium non possit solum, sed debeat etiam iure contemni.

XXXVII. Pari exceptione retundimus telum alterum, quod Freretus ex Marcionis impudentia dicteriisque procudit. Docuit is, inquit (3), Evan-

(1) Haeresi XXXVIII. num. 3.
(2) Vid. Tertull. lib. de Baptismo cap. I.
(3) *Pag.* 7. Marcion enseignoit que nos Evangiles étoient remplis des faussetés & pretendoit être plus veridique que ceux qui nous ont laissé par écrit l'histoire de J. C. *semetipsum esse veraciorem*, &c. c'est ainsi qu'en parle S. Irenée *T. I. pag.* 306.

gelia nostra scatere mendaciis, seque iis veraciorem praedicavit, qui eadem litteris prodiderunt, Irenaeo ita scribente (1): *Semetipsum esse veraciorem quam sunt hi, qui tradiderunt Evangelium Apostoli, suasit discipulis suis, non Evangelium sed Evangelii particulam tradens eis*. At inopportune Marcionis suffragium advocasse Freretum, vel eodem patet Irenaei testimonio, quod nobis occentat, ex quo elicias quidem arrogantissimum Apostatam Marcionem falsitatis atque mendacii Evangeliorum Scriptores postulasse, eadem ab Apostolis mandata fuisse monumentis litterarum negasse non elicias, cum id imo concessisse haud obscure innuat Irenaeus; ac propterea illum Evangeliorum nostrorum authenticitatem inficiatum fuisse dici non potest. Sed & male in eiusdem haeretici auctoritate caussae suae praesidium collocavit, quem constat Catholicis primo annumeratum, facta omnia & dogmata professum fuisse, quae in Apostolicis Commentariis recensentur, ut non uno docemur Tertulliani testimonio, qui eumdem exagitavit (2). Non potuit igitur Marcion nisi summa impudentia atque inconstantiae nota Evangelia illà tanquam mendacia scripta insectari, quae Ecclesiae ab Apostolis tradita ipse etiam quondam cum Christianis universis coluerat; Freretus vero non debuit vanissimi Apostatae temeritatem Ecclesiae Catholicae iudicio opponere, quod ille contemsit, sed miserabili potius eiusdem lapsui illacrymari. Nam is ge-

(1) Lib. I. cap. XXIX. edit. Oxon.
(2) Lib. I. c. Marcion cap. I. lib. IV. cap. IV. tum lib. *De Carne Christi*, ac *de Praescript.* cap. XXX.

nere Ponticus, ex urbe Synopes Patrem habuit catholicae communionis Episcopum, a quo pie educatus, castitatem initio prae se ferens vitam solitariam professus est. Postea cum virginem quamdam fraudibus pellectam constuprasset, Ecclesia pulsus est ab ipso parente suo. Quem postquam nullis precibus exorari, nullis artibus blanditiisque inflecti posse persensit, popularium suorum probra non sustinens, Romam sese contulit. Sed Ecclesiae aditu nec Romae impetrato sese ad Cerdonem haereticum contulit, & cum eo per annum forte integrum commoratus, in Asiam rediit, ubi nefariam sectam, & per se ipsum, & per suos satellites propagavit. Sed ad meliora deinde consilia conversus supremis, ut coniicere par est, decedentis Patris verbis, & increpationibus admonitus, Romam redire constituit, sperans se non amplius repulsam passurum, postquam pater eius obiisset, qui recuperandae communioni impedimento fuerat. Eo cum pervenisset, & poenitentiam fuisset professus, oblatis, ut scribit Tertullianus, ducentis sestertiis, ad Ecclesiae pacem & communionem receptus est. Sed quod haeresiarchis est familiarissimum, ad se quam primum & ad mores suos rediit, coepitque iterum sese ab Ecclesia alienare, cum haereticis, ac perditae salutis hominibus societatem inire, pristinos mores defendere, & sectam ex suo nomine iam appellatam maioribus quam antea animis ac studio disseminare. Ita semel & iterum cum ducentis sestertiis, quae Ecclesiae intulerat, eiectus est. Denuo tamen pacem erat ea conditione recepturus, si ceteros quos errore imbuisset, Ecclesiae restitueret, sed morte praeventus impositam sibi legem implere non potuit. Constant haec omnia ex Irenaeo, Tertulliano, Justino M., Epi-

phanio, Eusebio, Theodoreto, atque Philastrio, quorum testimonia quia inter se in nonnullis pugnare videntur, & uberem proinde tricarum & quaestionum segetem Criticis subministrarunt diligentissime versavit, & conciliare studuit Josephus Augustinus Card. Vrsius (1). Marcionis interim auctoritas, qui adversus communem receptamque ubique fidem tanto post Apostolos tempore debacchari ausus fuerat, flocci a Catholicis doctoribus habita est, atque prorsus contemta, cum etiam nemini non constaret illum non acceptam ab Apostolis, aut Apostolicis viris doctrinam defendere, sed Cerdonis aliorumque Gnosticorum deliria renovanda suscepisse atque adeo in his nigro iam theta notatum ac confixum fuisse. *Desinat*, aiebat Tertullianus (2), *nunc haereticus a Judaeo, ipsis (quod aiunt) a viperis mutuari venenum; evomat iam hinc proprii ingenii virus, phantasma vindicans Christum. Nisi quod & ista sententia alios habebit Auctores, praecoquos & abortivos quodammodo Marcionitas, quos Apostolus Joannes Antichristos pronunciavit; negantes Christum in carne venisse; & tamen non ut alterius Dei ius constituerent, quia de isto notati fuissent, sed quoniam incredibile praesumserant Deum carnem. Quo magis Antichristus Marcion sibi eam rapuit praesumtionem; aptior scilicet ad renuendam corporalem substantiam Christi, qui ipsum Deum eius nec auctorem carnis induxerat nec resuscitatorem: optimum videlicet & in isto diversissimum a mendaciis, & fal-*

(1) Differt. *de. Capital. Crim. Absolut.* sect. I. cap. IV. digress. I.
(2) Lib. III. c. Marcion. cap. VIII.

laciis Creatoris. Et ideo Christus eius ne mentiretur ne falleret, & hoc modo Creatoris forsitan deputaretur, non erat quod videbatur, & quod non erat mentiebatur, caro nec caro, homo nec homo; proinde Deus Christus, nec Deus. Cur etiam non Dei phantasma putaverit? Quibus verbis indicavit Tertullianus, cur veram carnem, verumque corpus Christo Marcion tribuere recusarit, nempe quia carnem mali Dei opus & Christum boni Dei filium asserebat. Indicavit etiam alios ante Marcionem fuisse, qui Christi corpus phantasma esse docuerint a Joanne proscriptos, & Antichristos nuncupatos, ut ii fuerunt, qui Simonis, Menandri, Cerdonis aliorumque Gnosticorum vestigiis institerunt. Sane idem Tertullianus Cerdonem Marcionis praeformatorem, & institutorem fuisse non semel (1) affirmat, idemque tradit Irenaeus (2): *Cerdon quidam*, inquit, *ex Simonis disciplina profectus cum Romam venisset Pontificatu Hygini, qui in Episcopali sede nonus Apostolorum successor fuit, docuit Deum quem Lex & Prophetae praedicaverunt, patrem non esse Domini nostri J. C.... Huic succedens Marcion, natione Ponticus, scholam latius propagavit, impudentissime blasphemans.* Quam accusationem denuo instaurans, quinam Marcionis antesignani fuerint, & qua ratione cum iste, tum eius discipuli Apostolis sinceriores videri voluerint, ita declarat (3): *Deserti igitur cum sint a paterna dilectione, & inflati a Satana conversi in Simonis Ma-*

---

(1) Lib. I. c. Marc. cap. II. & lib. III. cap. VIII.
(2) Lib. III. cap. IV. edit. Oxon.
(3) Lib. cit. cap. XII.

gi doctrinam abstiterunt sententiis suis ab eo qui est Deus, & putaverunt quod a semetipsis plus invenissent quam Apostoli, alterum Deum adinvenientes: & Apostolos quidem adhuc quae sunt Judaeorum sentientes annuntiasse Evangelium, se autem sinceriores & prudentiores Apostolis esse. Unde & Marcion & qui ab eo sunt, ad intercidendas conversi sunt Scripturas, quasdam quidem in totum non cognoscentes, secundum autem Lucam Evangelium, & Epistolas Pauli decurtantes, haec sola legitima esse dicunt, quae ipsi minoraverunt. Nos autem etiam ex his, quae apud illos custodiuntur, arguemus eos in altera conscriptione. Ex quibus praeter alia noscimus Marcionem, & qui sese eidem adiunxerunt, pestiferam e Simonis magi schola doctrinam hausisse, ut antea hauserant Menander, Saturninus, & Cerdon, quos omnes sibi ad imitandum proposuere. Secundo etiam noscimus, non negasse Marcionitas Evangelium ab Apostolis praedicatum fuisse, traditumque monumentis litterarum, sed blaterasse dumtaxat eos non rite edoctos id muneris suscepisse, adeoque licere sibi ceu plenius rectiusque institutis eorumdem Commentarios aliquot reiicere prorsus, quosdam autem emendare. Demum ex iis, quae in Lucae Evangelio intacta reliquissent, impietatis potuisse convinci. Quod Marcioni etiam obiecit Tertullianus dum aiebat (1): *Misereor tui, Marcion, frustra laborasti: Christus enim Jesus in Evangelio tuo meus est*. Ceterum Marcionitas non aliam habuisse caussam Lucae Evangelii mutilandi, quam quia

(1) **Lib. IV. c. Marc. cap. XLIII.**

quia in eo praecipue J. C. nativitas secundum carnem, quam homo impius oderat cane peius & angue, invictissime adsereretur, ex eo patet, quod illa eradere praesertim studuerit, quae ad eamdem pertinebant. Qua de re apertissima sunt Patrum testimonia. *Id quod est secundum Lucam*, inquit Irenaeus (1), *Evangelium circumcidens, & omnia quae sunt de generatione Domini scripta auferens &c.* Et Epiphanius idem Marcionis scelus enarrans inquit (2): *Marcion solum Lucae Evangelium amplectitur, amputato tamen initio, quod ibi Salvatoris in utero gestationem, & eiusdem adventum cum corpore perspicue commemorat, nec initium modo circumscripsit ille sui potius quam Evangelii corruptor. Sed & ex initio pariter ac medio plerasque veritatis sententias sustulit, aliasque pro illis substituit.* Enumerat inde Epiphanius diligenter quaecumque fuerant a Marcione eo in Evangelio detruncata; ex quibus facile cognoscitur verissime Patres sensisse dum ex iis, quae reliquit, adhuc refutari posse illum scripserunt. Ea propter cum Marcionitae a Catholicis premerentur, ut sese extricarent denuo interpolatrices manus eidem Evangelio adhibere cogebantur. *Quotidie*, aiebat Tertullianus, *reformant illud, prout a nobis quotidie revincuntur*. Qua in re egregie magistri sui vestigia sequebantur, qui loca multa apertiora prius ipse expunxerat, quibusdam relictis quae se explicare posse confidebat, aut etiam ut ea intacta relinquendo cetera iure ex-

(1) Lib. I. cap. XXIX. edit. Oxon.
(2) Haeresi XLII.

punxisse crederetur. Utrumque apposito exemplo Tertullianus confirmat (1): *De corporis autem veritate*, inquit, *quid potest clarius? cum haesitantibus eis ne phantasma esset, imo phantasma credentibus; quid turbati estis (inquit) & quid cogitationes subeunt in corda vestra? videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum; quoniam spiritus ossa non habet, sicut me habentem videtis. Et Marcion quaedam contraria sibi illa credo industria eradere de Evangelio suo noluit, ut ex his quae eradere potuit, nec erasit, illa quae erasit aut negetur erasisse, aut merito erasisse dicatur. Nec parcit nisi eis, quae non minus aliter interpretando, quam delendo subvertit.* Quod quemadmodum efficeret, docet eodem loco Tertullianus, interpretationem, seu perversionem verius afferens sermonis illius, quem Christus redivivus ad Discipulos habuerat, ut eos de sui corporis veritate doceret, a Marcione adhibitam: *Vult itaque sic dictum*, inquit Tertullianus, *quasi spiritus ossa non habet, sicut me videtis habentem ad spiritum referatur; sicut me videtis habentem, idest, non habentem ossa sicut & spiritus. Et quae ratio tortuositatis istius? Cum simpliciter pronuntiare potuisset, quia spiritus ossa non habet, sicut me videtis non habentem. Cur autem inspectui eorum manus & pedes offert, quae membra ex ossibus constant, si ossa non habebat? Cur adiicit: & scitote quia ego sum, quem scilicet corporeum retro noverant? Aut si phantasma erat usquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? Atquin adhuc eis non credentibus, propterea cibum desideravit, ut se ostenderet etiam dentes habere.* Tot naenias, tot ab-

(1) Lib. IV. c. Marc. cap. XLIII.

furda proferre coactus est Marcion ut res apertissimas infuscaret; utque commentum suum de Christi e coelis descensu, nullo ex Virgine corpore assumto, atque inter homines conversatione explicaret. Quod ut refelleret Tertullianus, testes cumprimis ab eo postulavit descensus adeo mirabilis, cuius tamen nullos fuisse constabat, tum Censum Augusti iussu peractum laudavit, ceu *testem fidelissimum Dominicae Nativitatis*; tum denique praeter alia plura argumenta firmissima ex verbis hominum, qui Christo populum erudienti nunciaverunt adesse matrem & fratres eius videndi percupidos probare instituit, vere ortum esse Christum, & census sub Augusto peracti iterum meminit, solvitque inanes, & ridiculas Marcionis argutationes. Atqui num Marcionis, qui ea de caussa praecipue se veraciorem Apostolis praedicavit, eorumque Evangelia arroganter contemsit, ac Lucae commentarium & Pauli Epistolas foedissime, atque scelere vix martyrii sanguine expiando violavit ut impune posset acceptam a teterrimis Gnosticorum sententiam de carne Christi phantastica tueri & magnum pietatis mysterium propterea evertere, dictorum ratio aliqua habenda sit quivis, facile definiet. Nos certe Marcioni, ceterisque orthodoxae Fidei corruptoribus gravissima verba opponi posse censemus Hieronymi ita scribentis (1): *Licet non sint fide digni, qui fidem primam irritam fecerunt, Marcionem loquor & Basilidem & omnes haereticos, qui vetus laniant Testamen-*

(1) Procm. in Epist. ad Tit.

tum, tamen eos aliqua ex parte ferremus, si saltem in Novo continerent manus suas, & non auderent Christi, ut ipsi iactitant, boni Dei Filii, vel Evangelistas violare, vel Apostolos. Nunc vero cum Evangelia eius dissipaverint, & Apostolorum Epistolas non Apostolorum Christi fecerint esse sed proprias: miror quomodo Christianorum nomen sibi audeant vendicare. Ut enim de ceteris Epistolis taceam, de quibus quidquid contrarium suo dogmati viderunt, eraserunt: nonnullas integras repudiandas crediderunt, ad Timotheum videlicet utramque, ad Hebraeos, & ad Titum... Cum haeretica auctoritate pronuncient, & dicant: illa Epistola Pauli est, haec non est, ea auctoritate refelli se pro veritate intelligant, qua ipsi non erubescunt falsa simulare. Revera nullo alio momento solidiori Ecclesiae hostes ad sacros libros vel vitiandos vel negandos prorsus excitati fuere, nisi quia noverant sua ipsorum perversa dogmata iisdem proferibi atque damnari. Quod satis exemplo suo Marcion eiusque gregales edocuere. Qui cum pleraque suspecta falsitatis haberent in Lucae Evangelio, tum praecipue priora duo capita, in quibus Christi secundum carnem nativitas enarratur, quam ii probare detrectabant, sic tamquam insinceras partes reciderunt, cetera autem Evangelia tanquam mendaces scriptiones repudiarunt. Cuius opinionis cum rationes nullas vel valde infirmas proferrent, ut ex φιλοδοξῶν Origenis dialogo contra Marcionitas intelligitur, sola sua temeritate fretos id attentasse apparet. Sed hoc scelere Catholici vigilantiores facti, loca omnia Evangelii Lucae quae temerarii homines e codicibus eraserant suis, eo diligentius conservarunt, quo magis haereticis displicere senserunt. Quapropter Marcionitae, nonnulli,

que alii Ecclesiasticorum Codicum corruptores licet eos additamentis, immutationibus detractionibus vitiaverint, impia tamen haec hominum scelestorum perfidia, & improbitas, Catholicorum Codicibus nocere non potuit; Ecclesia enim Christi Codices, quos legit, non mutuata est, non accepit a falsariis illis, sed cum ipsa omnibus haereticorum sectis sit antiquior, prius ipsa divinos libros habuit, quam Marciones, ceteraeque pestes existerent, quae periuras manus ab Evangelio & aliis divinis Scriptis non abstinuerunt. Imo cum haeresiarchae priusquam in errores praecipitarent, atque ab Ecclesia descisce-rent, ipsi pars Ecclesiae fuerint, & in illa instituti; ab Ecclesia utique primo suos sacros Codices accepisse necesse est & integros quidem inviolatos, & quales ab Apostolis & Prophetis scripti fuerunt, acceperant, sed acceptos ipsi postmodum iam extra Ecclesiam positi violaverunt. Ex quibus omnibus colligas iniuria prorsus a Frereto Marcionis auctoritatem adversus nostrorum Evangeliorum originem Apostolicam obiectam fuisse. Et quidem praeter ea; quae ad infringendum Apostatae illius testimonium iam adduximus, non erit inutile animadvertere quanto illum sint odio exsecrati, qui Apostolos audiverunt, ut hinc appareat etiam luculentius non Christi discipulos, aut ab his institutos, non Christianos denique a Frereto laudatos fuisse, sed Apostolicae doctrinae perfidos depravatores, ab iis merito reiectos, & repudiatos, quibus Apostoli curam commiserant Ecclesiarum. Certe Polycarpum Marcionem sibi occurrentem, virique sanctissimi & Apostolici salutationem superbissime ambientem durissimo excepisse responso ex Irenaeo Eusebius memoriae man-

davit (1) inquiens : καὶ αὐτὸς δὲ ὁ Πολύκαρπος Μαρκίωνι ποτὲ εἰς ὄψιν αὐτῷ ἐλθόντι καὶ φήσαντι ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, ἀπεκρίθη· ἐπιγινώσκω τὸν πρωτότοκον τοῦ Σατανᾶ κ. τ. λ. *Ipse etiam Polycarpus, cum ei Marcion aliquando occurrisset, dixissetque: Agnosce nos: respondisse fertur: Agnosco te primogenitum Satanae. Adeo religiose cavebant Apostoli, eorumque Discipuli, ne vel sermone tenus miscerentur cum ullo eorum, qui veritatem adulterabant.* Idem Hieronymns, Suidas, Nicephorus, & Auctor Chronici Alexandrini narrant: e quibus nonnulli verba Marcionis ad Polycarpum ἐπιγίνωσκε ἡμᾶς, per interrogationem legunt ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς; *cognoscis nos?* ut Oxoniensis operum Irenaei Editor Grabius etiam legit (2). Monet autem Valesius ἐπιγινώσκειν hoc loco idem fere esse ac salutare. Nam idcirco se agnosci volebat Marcion, ut salutaretur. Sic olim in Ecclesia fidelibus sacram ad mensam accedentibus, Diaconus saepius inclamare solebat, ἐπιγινώσκετε ἀλλήλους, nequis scilicet profanus, aut Judaeus ad sacramentum Altaris accederet, ut docet Chrysostomus. Eodem sensu a Paulo in prima ad Corinthios dictum fuisse arbitratur vir doctus ἐπιγινώσκετε αὐτοὺς, idest salutate illos. Sic etiam latini dicebant recognoscere, ut legitur in Actis passionis Fructuosi Episcopi. Hanc itaque totius memorati congressus rationem fuisse statuit Petrus Halloixius (3): Marcion aliquot stipatus discipulis Romam obambulans veniebat, hinc contra Polycarpus cum suis sed humilis

---

(1) H. E. lib. IV. cap. XIV.
(2) Lib. III. cap. III.
(3) In Not. ad vit. Polycarp. pag. 378.

ac modeſtus, nulliuſque niſi haereſiarcharum, & eorum, qui aſpernarentur vias Domini contemtor. Iſte ergo ut natu minor Polycarpum ſenio feſſum, & maximae auctoritatis virum, ſive eius ſanctitatis conſcius & reverens, ſive accipiendae a tanto viro reſalutationis cupidus eum prior ſalutavit, Polycarpus autem honorare haereſiarcham dedignatus praeterivit irreſalutatum, tum ille ſeſe deſpectum videns: *cognoſce nos*, inquit, *Polycarpe*: hic autem cum ſuis vellet exemplum praebere fugiendarum eiuſmodi peſtium: *cognoſco te*, inquit, *primogenitum Satanae* ſicque pertranſivit. Nam ſi erga Marcionem aliquod oſtendiſſet reverentiae ſignum, aut cum eo colloquium vel breve miſcuiſſet, tum iſte fortaſſe ſub umbra illius cum tanto viro congreſſus (nimirum quaſi eadem ipſe cum Polycarpo ſentiret) plures decepiſſet. Iam vero evulgata rigida Polycarpi ſententia multi ab eodem Marcione decepti reſipuerunt.

XXXVIII. Non ſunt autem Marcionitis fide digniores teſtes Alogi, quos poſt eos laudat Freretus (1): quippe qui ſola pariter temeritate freti, & infirmiſſimis argutationibus innixi, Joannis Evangelium ceu opus mendaciorum pleniſſimum abiecerunt una cum Theodoto huiuſque adſeclis, quibus J. C. divinitas diſplicebat. Quis enim hominum frontem non miretur, qui non ratione ulla ducti, non auctoritate, ſed inſania ſolum haereſis tuen-

(1) *Pag.* 8. Les Aloges, Théodote, & les Theodotiens rejettoient avec mépris l'Évangile de Saint Jean; ils en parloient comme d'un ouvrage de menſonges. *Tillemont* Tom. II. p. 438. *Epiph.* Hom. 34. p. 462. & 463. n. 51. p. 424.

dae permoti Auctori suo contra fidem omnium Ecclesiarum, imo reclamante ipso eodem Evangelio, eripere non dubitarunt, illudque adscripsere Cerintho? Quod Philastrius his verbis testatur (1): *sunt haeretici, qui Evangelium* κατὰ Ἰωάννην *& Apocalypsim ipsius non accipiunt; & cum non intelligant virtutem Scripturae, nec desiderent discere, in haeresi permanent pereuntes, ut etiam Cerinthi haeretici illud audeant dicere*. Idem scribit Epiphanius, qui hosce haereticos *Alogos* hoc est *sine Verbo* appellandos esse iudicavit (2), eo quod Verbum a Joanne praedicatum respuerent. Qua in re, ut is recte arguit, non minus ingens stultitiae suae argumentum praebuere, quam dum Joannis Evangelium Cerintho adiudicarunt, qui recentem & nudum hominem Christum fuisse blasphemavit, cum e contra illius Evangelii scriptor illum Verbum sempiternum, Deum apud Deum semper existentem, novissime vero temporaliter natum asseruerit. Nemo praeterea nisi stupidus credere potuit Cerinthum opus ab se confectum Joanni tribuisse, seque proprii foetus honore fraudasse, ut illum honoraret, quem sibi perinfensum esse cognoverat. Nemo denique nisi illius haeretici iudaizantis dogmatum & opinionum prorsus ignarus Evangelium illius opus credere potuit, quod tota Patrum vetustate clamante adversus Christi divinitatis osores, quos inter ille primum praecipuumque locum tenuit, exaratum esse constabat. Continet

(1) De Haeresi. cap. LX.
(2) Haeresi LI. num. III.

net certe Joannis Evangelium Christi miracula, quorum effectionis laudem & gloriam sibi ipsi Christus adiudicat, disputationes cum Judaeis complectitur in quibus Filium Dei se esse, e coelo venisse, ante Abraham extitisse, omnia facere quaecumque Pater facit, unum cum Patre esse, & in Patre omni asseveratione contendit. Sermones exhibet a Christo cum Discipulis habitos, quibus eadem tradit; ac testimonia cum Joannis Baptistae, qui eum ante fuisse, Filium Dei esse, desursum esse, e coelo venisse testatus est; tum etiam Discipulorum, & aliorum in eum credentium, qui eum Dei esse Filium & Deum confitentur atque adorant. Judaeorum denique convicia in Christum continet, quod se e coelo venisse, & Dei Filium ac Deo aequalem praedicaret, & nefaria eorumdem consilia ad exitum perducta. Cum his adversa prorsus Cerinthus impie defenderet, non potuit nisi stultissime ab Alogis illud Evangelium eidem adiudicari. Freretus vero, qui paullo antea Cerinthi opinionum meminerat, vel hoc solo Alogorum testimonium silentio obvolvere debuisset, si tamen compertum habuit quemnam Alogi Evangelii, quod est secundum Joannem, constituerent auctorem. Profecto Christi divinitatem a Joanne praedicatam fuisse vel ipse Julianus ὁ παραβάτης fassus est luculentissimo testimonio, quo etiam Apostolica origo Evangeliorum, quam tuemur, egregie confirmatur, quodque quamquam a vulgo Scriptorum tritum est, minime tamen ob admirabilitatem rei pigebit hic adscribere. Is igitur contra Christianos disputans apud Cyrillum (1) aiebat οὕτω δὲ

Bb

(1) Lib. X. contra Julian. pag. 327. edit. Lipsiae.

ἐστὲ δυστυχεῖς ὥστε οὐδὲ τοῖς ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων παραδεδομένοις ἐμμεμενήκατε κ. τ. λ. *Tam infortunati vero estis, ut ne manseritis quidem in iis, quae vobis ab Apostolis sunt tradita, eaque fuerint ab illorum posteris maiori nequitia & impietate tractata. Jesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus; sed bonus ille Joannes, quum sensisset magnam multitudinem in plerisque Urbibus Graecis & Italicis iam tum eo morbo captam esse, audiretque opinor monumenta quoque Petri & Pauli, clam quidem sed tamen audiret ea coli, primus id prodere ausus est.* Qua in re Socinianis acutius vidit Julianus, etsi idem ex aliis quoque Evangelistis potuisset ediscere. Facit autem ad dignitatem & existimationem nostrorum Evangeliorum quod nullis non Juliani tantum, sed etiam Celsi, Porphyrii, aliorumque Paganorum argumentis illorum origo oppugnata est; quod indicio esse nemo non videt nefariam ipsorum voluntatem veritatis vi fuisse oppressam, & utrinque pensitatis rationibus tandem γνησιότητα eos agnovisse. Et quoad Evangelium Joannis pertinet, de quo nobis cum Alogis contentio est, multo verius de illius praestantia Ethnici sensere alii, qui Joannem illius auctorem esse scripserunt & laudibus extulere. Platonicum quemdam huiusce Evangelii initium magni fecisse Augustinus his verbis testatur (1): *Initium S. Evangelii, cui nomen est secundum Joannem quidam Platonicus, sicut a S. sene Simpliciano, qui postea Mediolanensi Ecclesiae praesedit Episcopus, solebamus audire, aureis litteris conscribendum, & per omnes Ecclesias in locis eminentissimis*

---

(1) Lib. X. de Civit. Dei. cap. XXIX.

proponendum esse dicebat. Fuit autem hic Platonicus haud dubie Amelius, ut Vgo Grotius, & Dominicus de Colonia iudicarunt, & cuius de Joannis Evangelio testimonium Eusebius recitat inquiens (1): *Quin etiam Amelius, recentiores inter Philosophos clarissimus, idemque Platonicae philosophiae studiosissimus, si quisquam alius aemulator, ingenue certe quidem, nisi quod Hebraeum ipse Theologum barbarum appellat, ut Joannis Evangelistae nomen ponere noluerit, eius tamen orationem suis ipse verbis testimonioque confirmat, dum in hunc modum scribit*: Atque hoc plane Verbum erat, inquit, per quod, sempiternum cum esset, existebant omnia quae fiebant, quemadmodum Heraclitus loqueretur: quod ipsum videlicet barbarus etiam ille, apud Deum in principii gradu ac dignitate constitutum, imo & Deum simul esse pronunciat: per quod facta simpliciter omnia sint, in quo quicquid factum est, & vivens & vita, & aliquid pro sua quodque natura fuerit. Idem porro in corpora delabi tradit, & carne indutum, humanam speciem praeseferre, sic tamen ut suae interea naturae maiestatem ostendat; adeoque solutum ubi iam fuerit, Dei locum denuo capessere, ac Deum prorsus eumdem esse, qui erat, priusquam in corpus, atque in carnem hominemque descenderet. *Haec ille, quae profecto non iam obscure adumbrata, sed palam nudaque, quod aiunt, fronte ex illa barbari hominis Theologia translata esse nemo non videt. Barbarus autem il-*

(1) Praeparat. Evang. Lib. XII. cap. XIX. num. III. & seqq.

le, quem vocat, ecquis porro fuit nisi Joannes Servatoris nostri Evangelista, qui Hebraeus ex Hebraeis erat? cuius haec est ipso statim Evangelii sui exordio Theologia: In principio erat Verbum &c. Praeclarum idem Platonici Scriptoris testimonium apud Cyrillum etiam Alexandrinum legere est, qui de mysterio Dei Verbi incarnati contra Julianum disserens ait (1): *Quod autem Graecorum nonnulli Sapientes haud obscuri nominis, sed claram apud illos gloriam consecuti, mysterium hoc admirati sint vel hinc sciemus. Amelius quippe ille Platonicus, qui una cum Plotino & Gentiliano Romae floruit (sic enim de iis scribit Porphyrius) ita scripsisse dicitur*. Tum recitato, quod ex Eusebio dedimus, elogio, ita concludit: *Barbarum igitur opinor vocat divinum Joannem propter linguae forsan discrepantiam. Hebraeus enim erat ex Hebraeis, non ex Graecorum regione ac terra*. His Patrum testimoniis alia succedunt bene multa, quorum nonnulla inferius exscribentur. Modo cum Hieronymo (2) monemus tantum Veteres ea in sententia versatos fuisse, ut duplici de caussa Joannem ad Evangelium conscribendum accessisse voluerint, & altera quidem ut divinitatem Christi adversus Ebionitas, Cerinthianos, aliosque haereticos tueretur, altera autem ut quae alii Evangelistae praetermiserant Evangelio suppleret suo. Et utraque quidem ad id operis excitatum fuisse facile quivis sibi persuaserit, qui vel paullo attentius illud expenderit, cumque aliis Apostolicis Commentariis compararit. Quam ille magnifice adversus

(1) Lib. VIII. pag. 283 tom. I. Opp. cit. edit.
(2) Catalog. Script. *in Joanne*.

eos, qui Christum ante Mariam non extitisse blasphemabant, divinam eius nativitatem edixerit satis iam, ut arbitror, declaratum est. Quod vero non pauca ab aliis praetermissa suppleverit Harmonias Evangelicas inspicienti clara res fiet & manifesta. Dudum a Viris doctissimis animadversum fuit Paschatum numerum in aliis distincte non indicatum Evangeliis, ab Joanne commemoratum fuisse, ut hac ope praesidioque anni praedicationis Christi discernerentur, qui aegre ex aliis dignosci potuissent. Non pauca etiam in hoc Evangelio reperiuntur, quae alii intacta reliquerunt; plura etiam quae fusius enarrata distinctiusque proposita sunt, ut Christi passionis historia, in qua se ipsum introducit (reliqui enim Discipuli fugerant) tanquam crucifixionis oculatum testem. Id quod egregie facit ad confirmandam potioris partis historiae Evangelicae veritatem. Hoc Joannis propositum in suo Evangelio conscribendo cum non adverterint, vel advertere renuerint Alogi, factum est ut alia inter quae adversus illius authenticitatem opposuere, hoc etiam urgere non dubitarint, quod nimirum eius Auctor non pauca aliis in Evangeliis, quae excipiebant, enarrata prorsus omisisset. Qua in re quantopere caecutirent Alogi quamve stuporis, & tarditatis plena essent eorum argumenta Epiphanius manifestat. Non obiecit tamen iisdem Evangelii Joannis αὐτόγραφον, quod plerique ad sextum usque saeculum in Ephesinae Ecclesiae Tabulariis asservatum fuisse putant, sive quod forte non extaret, sive quod argumento huiusmodi quamvis validissimo Alogis os obstrui non posset, qui cum multa temeritate essent instructi, eadem facilitate negavissent Joannis manu descriptum illud Evangelium fuisse, qua negabant perfri-

cta fronte mandatum ab eo unquam fuisse monumentis litterarum. Neque solum aliorum Evangelia ad manus habuisse Joannem, ut veteres Scriptores affirmant, & illud ipsum quod idem conscripsit Evangelium confirmat; sed & Versionibus quoque suum addidisse suffragium Auctor innuit Actorum martyrii S. Timothei, quae apud Photium (1) sic habent: *Cum D. Timotheus hac ratione ut diximus vitam finivisset, & Domitiano mortuo, Nerva in Imperium successisset, D. Joannes ab exilio liber venit Ephesum, unde prius a Domitiano relegatus fuerat... Quo tempore Tomos, qui variis linguis continebant salutarem Domini passionem, miracula, doctrinamque a ferentibus accipiens, in ordinem digessit, distinxitque, & tribus Evangelistis quartus accessit*. Sed haec utut se habeant, illud constat aliorum Evangelistarum labores suismet oculis lustrasse dilectum Christi Discipulum, eorumque dicta comprobasse. Nihil certe eius cura dignius, nihil magis tunc temporis necessarium videbatur, quam ut eorum librorum αὐθεντίαν & veritatem ille agnosceret, cum non multo post dolis ac fraudibus opponendi ii essent perversorum hominum, quos numerosiores proxime futuros ille noverat. His confectum esse credimus, Alogos non esse legitimos doctrinae Christianae & Scriptorum Apostolicorum testes, adeoque illorum testimonium, sive dicterium quod contra Joannis Evangelium protulerunt contemnendum esse; quum non aliam habuerint illius authenticitatis pernegandae caussam, quam quod Divinitatem Christi invicte in

(1) Cod. 254.

eo adferi, & magnifice praedicari cognoscerent, ac praeterea argumentis uterentur, quorum tanta levitas ac vanitas est, tamque conspicua, ut vix refutatione digna a Patribus ceterisque sint habita, qui futilibus animadversionibus ludere in rebus gravissimis iniquum putant. Eodem loco habenda est, sive pari contemtu excipienda Theodoti auctoritas, qui impietatis Alogorum vel auctor vel propagator fuit, quique eiusdem Joannis Evangelii veritatem sollicitare, & divini ingenii Opus deprimere quoque conatus est, ut caussa luculenter prodit, quam habuit haereseos defendendae. Fuit patria Byzantinus, arte Coriarius, sed multae eruditionis vir; cumque M. Aurelio imperante Christum abnegasset, nec inde gentilium suorum ob admissum scelus probra ferre posset, indignum Christi adsecla facinus alio scelere excusare voluit; asseruitque Christum nudum fuisse hominem, adeoque se non Deum sed hominem negavisse ut Patres memoriae prodiderunt (1). Quam impietatem cum ille propugnandam suscepisset, coniicere pronum est, caussamque nancisci propter quam Joannis Evangelium repudiavit. Eadem nimirum illi fuit ac Ebionitis, Cerinthianis, stolidisque nuper commemoratis Alogis, qui omnes foetum legitimum Viri sanctissimi uti spurium abiecerunt, ne sua ipsorum in Servatorem impietas nosceretur. Utebatur autem Theodotus ad hanc excusandam aliorum Evangelistarum testimo-

(1) Epiph. Haeresi LIV. Theodoret. *Haeret. fabul.* lib. II. cap. V. Auctor App. ad lib. Tertul. *De Praescript.* cap. ultim.

niis, ut legere est apud Epiphanium, idemque eiusdem adseclae fecere, quorum tamen tanta sacris in Codicibus depravandis audacia fuit, ut quamvis multi Haeretici adulteras manus in eos iniecerint; vix tamen ulli reperiantur, qui istud facinus Theodotianis scelestius arrogantiusque perpetrarint. Sed cum multa nimis in Joannis Evangelio splendidissima de J. C. divinitate testimonia legerentur, quam ut ea explicando possent sese expedire, aut pervertendo ita corrumpere, ut non multa superessent adhuc ipsis revincendis peridonea, expeditius esse iudicarunt totum abiicere, & tanquam mendaciis refertum Opus quaquaversum diffamare. Sed hominum qui Scripturas furiose laniarunt, quique pro arbitrio eas vel exceperunt vel contemsere, prout illas ad errores fulciendos suos aut pertrahere posse putabant, aut desperabant, non satis video quaenam esse possit auctoritas, aut quomodo paucorum testimonium ratione omni momentoque destitutorum tot opponi testibus, tot argumentis queat, quae Joannis Evangelii firmant authenticitatem.

XXXIX. Hanc vel ipsi agnovere Valentiniani quos tamen Alogis Freretus iungit, atque sic laudat quasi eo solo blasphemiarum pleno usi Evangelio sint, quod illis exprobravit Irenaeus. Qua in re in Frereto cum iudicium, tum fidem nemo non efflagitet. Valentinianorum, inquit (1), Evangelium ab

(1) *Pag*. 8. L'Evangile des Valentiniens étoit tout different de ceux que nous avons présentement *ut nec Evangelium quidem sit apud eos sine blasphemia*, dit S. Irenée *liv. III. p.* 192. *c. II.* Enfin ces anciens Chrétiens

ab iis toto coelo differebat, quae nunc temporis habemus, adeo ut affirmarit Irenaeus *nec Evangelium quidem apud eos sine blasphemia fuisse*. Admonet inde Freretus hosce antiquos Christianos pugnasse Evangelia corrigi emendarique debuisse, seque *emendatores Apostolorum* appellasse eodem Irenaeo teste. Quanti vero Valentinianorum opiniones & dogmata facienda sint ex eo constare Freretus putat, quod eorum parens a Theodate, S. Pauli discipulo, religionis Christianae mysteria didicerit, ut supra cum de Basilide ageremus iam monuimus. Ut multa, quae hoc in ratiocinio peccavit Freretus, lectorum oculis distinctius obiiciamus, de Valentino primum, tum de eius adseclis differemus. Et hunc quidem primo in societate Christiana vixisse apud Tertullianum legimus, qui ostensurus haereticos Ecclesia catholica posteriores esse, ideoque illorum auctoritati praescribendum, de Marcione & Valentino ita scribebat (1): *Constat illos neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, & in Catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, donec ob inquietam semper eorum curiositatem, quam Fratres quoque vitabant, semel & iterum eiecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis, quae Ecclesiae intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt*. Cur autem Valentinus sibi ab

tiens soutenoient que les Evangiles auroient dû souvent être corrigés, *se esse emendatores Apostolorum.* C'est ainsi que le même S. Irenée parle d'eux, *liv. II. p.* 174.

(1) *De Praescript.* cap. XXX.

Ecclesiae doctrina discedendum putaverit, aperit idem Tertullianus (1) inquiens: *Speraverat Episcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat & eloquio, sed alium ex Martyrii praerogativa loci potitum indignatus de Ecclesia authenticae regulae abrupit (ut solent animi pro prioratu exciti praesumtione ultionis accendi) ad expugnandam conversus veritatem, & cuiusdam veteris opinionis semen nactus, Colarbaso viam delineavit. Eam postmodum Ptolomaeus instauravit nominibus & numeris Aeonum distinctis in personales substantias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa divinitatis, ut sensus, & adfectus, & motus incluserat.* Non ratione igitur, aut historiae veritate ductus Christianam doctrinam & historiam corrumpendam suscepit Valentinus, sed rabie percitus, quod non esset Episcopatum consequutus cito cogitavit de nova hypothesi fabricanda, qua & sibi nomen faceret, & suum adversus Ecclesiam furorem expleret. De Christi Redemtoris mysterio ea docuit, quae illud totum evertere viderentur; nimirum Christum Dominum corpus e coelo detulisse, ac tanquam aquam per phistulam per Mariam Virginem transiisse, nec quidquam propterea ex eius utero sumsisse, sed e coelo traxisse corpus, sive ut verbis Tertulliani (2) hunc errorem explicemus, *per Virginem non e Virgine editum: quia delatus in Virginem transmeatorio potius quam generatorio modo processerit, per ipsam non ex ipsa; non matrem eam, sed viam passus.* Gnosticorum nempe principiis Alexandriae imbutus

(1) Lib. adv. Valentin. cap. IV.
(2) Lib. cit. cap. XXVII.

Valentinus, ut Scriptores veteres fidem faciunt, & eius commenta probant, cum durum nimis nec credibile putaret Christum sine corpore fuisse, & tot ac tanta fecisse, quae cum sacra, tum Gentium historia fecisse testabatur, illorum Gnosticorum opinioni accessit, qui ut supra vidimus Christum corpore indutum fuisse somniaverant ex illa materia conflato, qua domicilium Dei esse refertum putabant, atque adeo subtili, tenui, aethereo, & omnibus idcirco vitiis vacuo, quae caliginosis corporibus inesse solent. Quam Valentini aliorumque a ceteris Gnosticis discordiam mirari nemo debet, qui disciplinae, quam omnes ii sequuti sunt, naturam ob oculos sibi posuerit. Cum tota nimirum eorum philosophia & religio non ratione & iudicio, sed imaginatione tantum; futilium librorum, qui temere pro divinis habebantur, auctoritate, & antiquis opinionibus a Chaldeorum, Persarum, aliarumve gentium Philosophis traditis niteretur, varietas illa sententiarum oriri omnino debuit, quum ingenia hominum varia sint, & Veterum sententiae procedente tempore mirifice passim corrumpi, diversoque modo referri soleant, & dispares denique religionis formae facile proficiscantur ab iisdem principiis si ab hominibus moribus, ingeniis, & religione discrepantibus excolantur. Quod in Valentino contigisse videmus, cui cum viam priores Gnostici stravissent, & prima mali constituti systematis lineamenta exarassent, ut perspicue tradit Irenaeus (1), ipse postmodum cum ea recepisset, nova ac-

(1) Lib. I. cap. V. edit. Oxon.

dificii mole superimposita, sibi propria fecit, & ad proprium institutum accommodavit. Aeonum fabulam ex Hesiodi Theogonia praecipue invexisse fertur; triginta nempe Deos ipse constituit, quorum unum Μονογενῆ sive *Unigenitum* nomine produxisse Christum, & Spiritum Sanctum dementissime docuit. Ut vero Valentinus eiusque adseclae a Gnosticis etiam maximam dogmatum partem receperunt, sic utrisque his potissimum rudem veluti telam quam variis coloribus ex Christiana Religione ductis distinxerunt, Ethnici philosophi ministrarunt, Pythagorici praesertim ac Platonici, Aegyptiique & Chaldaei Mystagogi; adeo ut tota eorum hypothesis sit purus putusque Ethnicismus varie interpolatus, & novis accessionibus ex Christiana Religione auctus, ut ostendere nititur Massuetus. Alii quoque Aeonum fabulam Valentinum, partim sacrarum abusu litterarum, partim Doxologiae Ecclesiasticae, in qua Deo εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων gloria dicitur, condidisse putant. Et certe Valentinum integrum Scripturarum Canonem retinuisse constat. Tradit quidem Auctor saepe laudatus Appendicis ad Tertulliani librum *de Praescriptionibus* eum canoni Apostolico novum Evangelium addidisse, aiens (1) *Evangelium habet etiam suum praeter haec nostra*; sed iam compertum omnibus Eruditis est hunc Scriptorem diu post aetatem Tertulliani vixisse, nec eum esse, cuius auctoritas ipsius Tertulliani de Valentini iudicio praeferenda videatur. Hic porro Marcionem & Valentinum inter se conferens, id inter utrum-

(1) Cap. XLIX.

qui discriminis ponit, quod alter, Marcion scilicet, partim abiecerit Scripturas quasdam, partim depravarit; Valentinus autem etsi Dei Verbum quodammodo repudiarit dum illud a Spiritu Sancto inspiratum fuisse negavit, in fabulas detorsit, & sacrae Apostolorum traditioni delirantium hominum nugas audacissime substituit; integro tamen usus Instrumento fuerit, & scelerata eius manus Evangeliis pepercerit. *Alius,* inquit Tertullianus (1), *manu Scripturas, alius sensus expositione intervertit. Neque enim si Valentinus integro Instrumento uti videtur, non callidiore ingenio quam Marcion manus intulit veritati. Marcion enim exerte, & palam machaera, non stylo usus est: quoniam ad materiam suam caedem Scripturarum confecit. Valentinus autem pepercit: quoniam non ad materiam Scripturas, sed materiam ad Scripturas excogitavit, & tamen plus abstulit, & plus adiecit, auferens proprietatem singulorum quoque verborum & adiiciens dispositionem non comparentium rerum.* Quod confirmare videtur Irenaeus; nullibi enim novum a Valentino confictum fuisse Evangelium refert; imo ut commentum eius de carne Christi sydérea explodat Evangeliorum nostrorum testimoniis utitur, non id prudenter neque tuto facturus si ab eo conflata secta eadem repudiasset. Eodem modo adversus eumdem disputavit Tertullianus, qui permultis allatis N. T. locis, quibus humanae naturae veritas in Christo firmissime stabilitur, addit (2): *Haec sola sufficere vice praescriptionis debuerunt ad testimonium carnis hu-*

(1) *De Praescript.* cap. XXXVIII.
(2) Lib. *De Carne Christi* cap. V.

manae, *&* *ex homine sumtae*, *&* *non spiritalis*, *sent nec animalis*, *nec sydereae nec imaginariae*; *si sine studio*, *&* *artificio contentionis haereses esse potuissent*. Ita apparet Valentinum unico fuisse usum Instrumento, adeoque eius discipulos ab illius vestigiis discessisse, dum novum Evangelium condidere impium atque blasphemum, quamvis magistrum suum a Theodate, ut aiebant, Apostoli gentium discipulo institutum fuisse iactarent. Sed non propterea videtur asserendum non aliud quam ab se conditum Evangelium eos adhibuisse, ut insinuat Freretus. Nam ut Canoni Scripturarum nihil detraxit, aut adiecit Valentinus, sic eiusdem discipuli quamvis novo Evangelio auxerint, illum tamen integrum pariter receperunt. In Valentini schola fuit celeberrimus Heracleon, quem licet magistro suo aequalem fuisse incertum sit, constat tamen fuisse haereticorum vetustissimum: at hunc quosdam Commentarios in Lucae & Joannis Evangelia elaborasse Origenes, & Clemens Alexandrinus testantur, dum vanas hominis interpretationes referunt ac refellunt. Colarbasus etiam ex eadem schola atque institutione velut caput a serpentis Valentini corpore divulsum plurimos decepit corrupitque. Sed is quo id facilius exsequeretur nova deliria sua sententiis ex Evangeliis decerptis roborare & communire studuit (1). Denique ut Valentinianos alios minus famosos praetermittam, Marcus Magus e Colarbasi disciplina homo impiissimus, ceu qui nefariis artibus, praestigiis horrendisque formulis verborum simpliciores ad

(1) Iren. lib. II. cap. XIV. edit. Oxon.

insaniam easdemque secum blasphemias adigebat, quae de Christi Historia effutiit ab Evangeliis nostris pro more ceterorum accepit, multumque laboravit ut ea detorqueret, & commentis suis aptaret. Enitendum nimirum totis viribus nervisque Valentinianis erat ut tot tantaque emotae mentis deliramenta sacrorum non destitui viderentur auctoritate Librorum, quos ipsi ab Ecclesia incorruptos acceperant antequam ab eadem secederent, quosque tanta veneratione a Christianis, quorum animos depravare nitebantur, coli noverant. Id vero ut assequerentur, stupendum quantas machinas adhiberent, quibus impie discerperent, consuerent, & obtorto collo in alienos, ineptosque sensus pertraherent. At quum adhuc eiusmodi artificium haud sufficeret, ut plenius suas venditarent fabulas, hinc novum Evangelium confinxere, in quod omnes blasphemias suas plena manu conieciſſe nemo dubitet. Sed id desperatae caussae patrocinio extremaeque eorum dementiae potius deputandum est, quam quod eo tempore in Ecclesia Evangelia a nostris diversa Christianis ad manus essent, ut Freretus credi vellet. Ex his quae de Valentino conditaque ab eo secta diximus facile quivis agnoscit num eius adseclis fides habenda sit, dum Antesignanum suum a Theodate S. Pauli discipulo edoctum fuisse dixerunt. Ne ii quidem id videntur credidisse, qui hoc magisterium somniarunt; cum statim sese varias in sectas distraxerint, & magistri adeo praeclari commentis nova somnia ac deliria addiderint. Consensum in unam fidem peculiarem totius verae & catholicae Ecclesiae laudem esse, discordes vero turpiterque secum pugnantes in fide sententias in haereticos omnes proprie quadrare passim notat Irenaeus, caeterique Pa-

tres animadvertunt. Atque id etsi de haereticis omnibus verissimum est, nusquam tamen clarius elucet quam si de Gnosticis horumque filiis Valentinianis sermo instituatur: *Discrepant*, aiebat Lugdunensis Antistes (1), *ad invicem & doctrina & traditione: & qui recentiores eorum agnoscuntur, affectant per singulos dies novum aliquid adinvenire, & fructificare, quod numquam quisque excogitavit*. Quod Gnostici, ceterique haeretici fecere, id Valentinus quoque eiusque discipuli praestiterunt; ea enim libertate, qua ille a magistris suis, veteribus Gnosticis in pluribus discesserat, eadem ab ipso in multis secessere discipuli eius; adeo ut Tertulliani aetate purus, & qualem Valentinus excogitaverat, Valentinianismus, nullibi terrarum praeterquam Antiochiae sub Axionico vigeret, Tertulliano eodem ita monente (2): *Ita nusquam iam Valentinus: & tamen Valentiniani qui per Valentinum. Solus ad hodiernum Antiochiae Axionicus memoriam Valentini integra custodia regularum eius consolatur*. Nempe omnes, nova suscepta larva, obliterato etiam magistri nomine, suum quisque haeresi proprium nomen imposuerat. Qua in re Freretus saltem eosdem uti temerarios notabit, ceu qui facile adeo magistri decreta reiecerint, quem Apostolorum Discipulum audivisse gloriabantur. Nullum aliud fundamentum habuit iactatio isthaec, quae etiam haereticorum ferme omnium propria fuit, nisi ut fallerentur incauti, quos in sua castra facilius

transituros

(1) Lib. I. cap. XXI. edit. Oxon.
(2) Adv. Valentinian. cap. IV.

transituros sibi persuaserant, si doctrinam tanquam ab Apostolis acceptam iis proposuissent. Cum Catholici de suarum vetustate doctrinarum merito gloriarentur, eamque recens natis, atque ex ingenio confictis dogmatis opponerent, haeretici ut antiquiores viderentur quam essent, utque doctrinas suas vetustate etiam corroboratas ostenderent, magistros suos Apostolorum discipulos fuisse mendacissime aiebant. Levi hoc atque imbecillo argumento pressi Catholici ad certos & indubitatos Apostolorum successores provocabant, eorumque nomina proferebant ex Tabulis in Ecclesiarum Archivis asservatis; utique certi, ait Pearsonius (1), auctoritatem ab Episcopis per Apostolos constitutis, eorumque successoribus indubitata serie petitam, maxime valituram esse adversus iactationes unius aut alterius hominis, qui forte Apostolorum aliquem aliquando audivisset, cuiusque nomine & patrocinio sese haeretici tuerentur. Quare Episcoporum successiones in Ecclesiis Apostolicis a veteribus diligentius observari coeperunt, posteaquam illa insania sese Apostolorum discipulos iactitandi haereticos incessisset, & ad Catholicae doctrinae traditionem adversus haereticorum deliria comprobandam adhibitae; ex iisque confectum a Patribus est argumentum irrefragabile, cui haeretici directe nunquam respondere potuerunt, ut est manifestum in libris Irenaei, Tertulliani, Cypriani, Firmiliani, Epiphanii, Optati, & Augustini, qui prae ceteris has successiones invictissime asseruerunt.

Dd

(1) *De Success. Prim. Rom. Episcop.* dissert. I. cap. I.

XL. At quo nequiores fuere haeretici, qui veram carnem Christo inviderunt, ut Valentiniani ceterique ante eos Gnostici, quos hactenus commemoravimus; & quo detestabilior Christianis omnibus visa est eorum & docendi & vivendi ratio, eo testes habendi sunt incorruptiores veritatis dogmatis de Christi Divinitate, quam Freretus postquam Valentinianos laudasset, ab ingenti numero Christianorum negatam fuisse statuit (1). His accedit, quod longe antiquissimi sunt, ut ipse Freretus gloriatur, & si Irenaei aliorumque Patrum testimonia, quae adduximus, vel oculis leviter perlustrentur, eorum origo non ad Valentinum aut Marcionem, sed ad ipsum Simonem Magum referetur, aliosque eiusdem discipulos, quibus ducibus & antesignanis Gnostici Christum verum habuisse corpus negaverunt, qui inde a Graecis dicti sunt Δοκηταὶ & Φαντασιασταὶ, eo quod putative Christum fuisse hominem, ac venisse in mundum in phantasmate tantum afferent; digni proinde qui a Vincentio Lirinensi *Phantasiae Praedicatores* dicerentur (2). Atqui tamen isti omnes Christi divinitatem agnoverunt, cum nulla alia caussa nefarii homines, ut saepe diximus, ad eripiendam Christo carnem adducti sint, quam quod

(1) *Pag.* 8. Voilà donc un grand nombre des premiers Chrétiens qui déclarent que ce qui est dans nos Evangiles est contraire à la verité historique, & qui combattent, entr'autres Articles, ces deux points capitaux de la Foi Catholique, que J. C. est né par un autre voie que le rest des hommes, & qu'il est ressuscité, &c.

(2) Commonitor. cap. XX.

indignam Filio Dei iudicarent; unde concludi possit molestissimos Ecclesiae adversarios Catholicae sententiae suffragatos esse. Non desunt quidem, qui Valentinianos, & alios Gnosticos Arianis putent praelusisse, veluti Massuetus, & Georgius Bullus; at pluribus tamen demonstrare nititur doctissimus Maranus (1) nec Arianae nec Sabellianae haeresis affines fuisse Valentinianos, Marcionitas, ac plerosque Gnosticos. Neque tamen dum eos recte de Trinitate sensisse contendit, eosdem statim in iis quoque probatos, & perpurgatos habet, quae de Christi carne, morum regulis, resurrectione, & mundi creatione impie ac nefarie senserunt; nec sanctis Patribus obtrectat, quasi parum hac in re vidissent, sed ad eorum iudicia potius accommodat suum, & tum eorum de hisce haeresibus testimonia, tum haereticorum ipsorum principia, ut a Patribus referuntur, persequitur accuratissime. Quo duplici momento conficit inter pestiferas illas haereses, quae sub ipsis Apostolis natae sunt, & Ecclesiam Catholicam de Filii divinitate ut de certo, & communi principio convenisse. Et certe quod Christum maioris cuiusdam Dei Filium fingerent, quod carnem nostrae similem ei auferrent, satis monstrarunt quamnam de eo opinionem imbibissent, quamve insaniae suae magnifica inesset de eius Divinitate sententia. Sic cum Gnostici ferme omnes sint ii haeretici, quorum nominum & doctrinarum catalogum Freretus contexuit, patet etiam hoc ipso

(1) *Divinitas J. C.* &c. lib. II. cap. VIII.

quam illegitime concluserit, ingentem numerum Christianorum Ecclesiae exordio inter alios praecipuos fidei Catholicae articulos, illum etiam oppugnasse quo docemur J. C. non purum nudumque hominem, eo natum modo, quo homines ceteri nascuntur, sed Dei Filium & Deum fuisse; cum adversus huic dogmati error paucorum fuerit, quorum arbitrium aspernari oporteat, ut ostendimus. Quo magis etiam Frereti calumnia patet, dum inter Christi Discipulos, aut eos, qui se se ab his institutos praedicabant, ea de re magnam dissensionem fuisse, atque unumquemque pro arbitrio diversa sensisse scribit. Profecto Apostolorum labores in Evangelio terris annuntiando non aliud spectasse videntur, nisi ut Judaeis Gentibusque persuasum esset Jesum esse Filium Dei, qualem plane Judaei ipsi fuerant olim interpretati, nempe Deum & aequalem Patri. Postquam Spiritum Sanctum acceperunt, nihil habuere antiquius, quam ut hoc dogma ubique praedicarent. Id factum a Paulo statim atque ad Christum conversus est; neminem initiaverunt baptismo, nisi qui ita se credere profiteretur; hanc Joannes habuit Evangelii sui scribendi caussam, ut homines nimirum crederent Jesum esse Filium Dei; id est, ut exponit ipse, Verbum illud, quod erat apud Deum & Deus erat, carnem esse factum. Idem Episcopi praestiterunt, idem infiniti alii testes confirmarunt, ut vidimus; idem semper Ecclesiae omnes professae sunt; quarum judicio ac fidei paucos Ebionitas & Cerinthianos, paucos Alogos opponere, hominis furentis ac insanientis iuxta ac illos esset. Si duae in Ecclesia Christi partes aliquamdiu viguissent, ut vigere debuerunt si Frereti ratiocinium quod cum illo Socinianorum consonat, admittatur,

extarent certe cum certaminis tum victoriae monumenta, uti de rebus extant disciplinae de quibus Christiani aliquando inter se certarunt. At nullum omnino vestigium reperire est, nec eorum, qui pro J. C. divinitate stabilienda desudarunt, nec illorum, qui commisso cum istis praelio superati fuere. Satis multa de Justino ceterisque Patribus memoriae prodita sunt, nec eorum merita in tenebris iacuerunt. Sed mirum inter labores ab eis pro Ecclesia susceptos minime perhiberi, quae contra Divinitatis obtrectatores gessere! Eusebius qui in hoc genere curam omnem industriamque consumsit an improbe dissimulasset, aut omisisset imprudens si quid ab eis aut praeclare scriptum aut gestum fuisset? Quin etiam in eorum libris nulla cum Episcopis, & Presbyteris Ecclesiae, levissima cum paucis & obscuris haereticis ea de re contentio. Justinus qui tot Ecclesiarum mores & fidem oculis suis viderat adeo nullam moram invenit cum Christi divinitatem praedicaret, ut omnes huic dogmati assentiri testetur, praeter nonnullos, qui Jesum ex Maria & Josepho natum fingebant (1). Nulla ergo illi cum Apostolicae doctrinae defensoribus contentio, sed tantum cum paucis impii erroris Sectatoribus. Idem dicendum de Clemente, Irenaeo, & Tertulliano, qui cum dogma ut a Christo & Apostolis fuit traditum defendant, iustissimae iracundiae non pepercissent, si multos Episcopos, & Presbyteros, multas Ecclesias ab hac doctrina sensissent abhorrere. Sed tam levis fuit ea de re contentio, ut

(1) Dialog. cum Tryph. n. 48.

Irenaeus ceteras quidem haereses omnibus vestigiis persequatur; in Ebionitis autem leviter moretur. Apud Clementem, Tertullianum & Origenem vix unum aut alterum locum contra eamdem haeresim reperias. Hinc Lactantius posteaquam de Christi ex Patre generatione disseruit, sic transit ad temporariam ex Virgine (1): *Dixi de nativitate prima breviter, ut potui. Nunc de secunda quoniam controversia est in ea maxima, latius disserendum est, ut veritatem scire cupientibus lumen intelligentiae praeferamus.* Multo acrior de humanitate, quam de Divinitate dissensio fuit, nec ulla fere obscurior haeresis extitit, quam quae divinitatem Christi negabat; quippe cum eam PP. non exquisitis argumentis & longa disputatione, sed strictim, & quasi praetereuntes refellant. Prodiit saeculo exeunte Theodotus Coriarius, uti diximus, qui Christum ex Virgine genitum fatebatur, sed Deum negabat. Accessit eodem ferme tempore Artemon, eiusdem haeresis adstipulator, & parvam illam Sectam auxit, sic tamen ut semper numerabilis esset. Si qua fuisset inter Christianos dissensio de Christi Divinitate, eam oculis suis viderant tum Theodotus & Artemon, tum eorum Discipuli, quos contra scribebat saeculo III. ineunte eximius apud Eusebium scriptor (2), quem Cajum Presbyterum fuisse ex Photio eruit Maranus. Hi tamen non divisionem ullam, ut Freretus, inter Christianos somniarunt, non finxerunt cum Socinianis Justinum primum fuisse;

(1) Divin. Instit. Lib. IV. n. 9.
(2) H. E. lib. V. cap. XXVIII.

qui Verbum in uterum Virginis descendisse docuisset, non Platonismum a Tatiano, Clemente & Irenaeo inductum, non fidem Apostolicam sub Victore exaruisse querebantur, sed (1) *praedicationis quidem veritatem custoditam esse usque ad Victoris tempora, a Zephirini autem temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse dicebant*. At eos idem Scriptor aperto in mendacio tenet, dum in suis Victorem numerant & Theodotum Sectae parentem ab eo excommunicatum monstrat. Sed quia fatebantur usque ad Victorem, id est usque ad annum CC. summum fuisse inter Christianos consensum, ex eorum mendacio illud veri ac certi deducitur, varietatem sententiae quam Ebionitismus afferre debuerat, ne iis quidem notam fuisse, quorum plurimi intererat eam Catholicis obiicere, & mutationis initia certius indagare. Quod adeo vero consonat, ut qui Christi Divinitatem oppugnare ausi sunt, non viros qui sub Apostolis floruerint, sed Theodotum, & Artemonem, eorumque discipulos, in quibus reliquias Apostolicae doctrinae resedisse Sociniani dictitant, patronos sibi adsciverint post alterius generis Ebionitas, cuius supra meminimus. Sed in illis Theodoti & Artemonis adseclis nihil reperias, quod defensionem veritatis redoleat; primo enim ii ex Scripturis delebant quidquid pertrahi ad errorem non poterat. Hinc stupenda illa exemplarium illorum varietas, quam Cajus memorat (2). At Scripturarum interpretatio vindicanda erat, non

---

(1) Apud Euseb. l. cit.
(2) Ibid.

impiae eis manus inferendae. Haec autem haereticorum audacia & difficultatem eludendae Scripturae, & Ecclesiarum de eius interpretatione consensum manifestat. Secundo haec haeresis nec late propagata fuit, & cito exaruit, ut eam non multo post quasi in tenebris iacentem Paulus Samosatenus renovasse dicatur. Sic fere adversus Socinianos Maranus disserit, cuius opportunae animadversiones dum illos refellunt, Frereti etiam sententiam prorsus labefactant, contendentis primitivorum Christianorum ingentem numerum hosce duos capitales fidei Christianae articulos oppugnasse, quod nempe Christus ex Maria Virgine Spiritus Sancti virtute natus fuerit, ac Deus sit, & quod a mortuis resurrexerit. Tota enim haec exaggerata multitudo in paucos obscurosque Cerinthianos & Ebionitas desinit ex Judaeis ortis, qui vix adduci poterant ut plures in una Deitate personas confiterentur, rati videlicet cum Judaeorum vulgo, Personarum divinarum numero Polytheismum induci. Aliae huic accedebant caussae, propter quas ii modo nominati haeretici Christi divinitatem admittere recusarent, quemadmodum ostensum fuit. Sed paucorum, qui post diffusam iam ab Apostolis doctrinam Christianam & Ecclesias institutas a communi receptaque Fide discesserunt, repugnantia tantum abest, ut fidei nocuerit recte sentientium, ut hi potius ex hoc errantium numero, & Ecclesiae de iisdem iudicio didicerint, quae fuerit vel a principio vera & catholica Fides, atque Doctrina. Dum enim Patres haereseos eos damnaverunt, qui Christum purum hominem ex Maria & Josepho, non secus ac ceteros homines genitum, nec Patri aeterno aequalem affirmare ausi sunt; inde concluserunt Patres fide cer-

tissima

tissima credidisse J. C. esse Filium Dei, Patri suo aeterno aequalem, ex Maria Virgine sola Spiritus Sancti virtute generatum, atque adeo orthodoxam de Christi divinitate, unaque illius cum Patre substantia, seu consubstantialitate doctrinam a Patribus primi saeculi, & proinde longe ante Nicaenum Concilium traditam, adsertam, & propugnatam fuisse. Ita Catholici ex aliorum etiam errantium turba, & errorum numero, qui a primitivis Patribus reiicerentur, facile didicerunt quaenam esset Apostolica doctrina, quidve de praecipuis Fidei articulis, quos Haeretici respuebant, vel ab Ecclesiae exordiis adsertum, ac definitum esset. Eadem ratione refellitur quod de negata a multis Christianis J. C. Resurrectione Freretus scriptitavit. Fallitur enim pro more, & errorem Christianis appingit, qui eorumdem Ebionitarum, & quidem non omnium proprius fuit. Unicam fuisse ab Apostolis praedicatam propagatamque Religionem, quae Auctoris sui cum celebraret Divinitatem tum Resurrectionem a mortuis profiteretur, non Judaei solum habuere compertum, uti supra ex Justino, Eusebio, aliisque monumentis vidimus, sed Ethnici etiam Porphyrius, Celsus, & apostata Julianus, illorum dogmatum hostes perinfensi, dum Evangelia Christianis ab Apostolis tradita fuisse non negarunt. Neque deliria Gnosticorum Frereti caussam magis promovent ac iuvant, dum & ipsi veram J. C. e tumulo Resurrectionem non admisere. Cum Christum sine vero corpore, sed umbra tantum, & figura hominis terris illuxisse delirarent, totamque historiam Evangelicam per apparentias explicarent, Christum redivivum e sepulcro vere surrexisse fateri non poterant, ceu quem neque vere natum, neque passum, neque denique mortuum

vellent. Idem principium, sive error, quo hi Gnostici ducebantur ad verum corpus Christo eripiendum, ut eiusdem concederent Divinitatem, Carpocratianos, qui eidem verum adhaesisse corpus non inficiabantur, permovebat ad Servatoris negandam cum Divinitatem tum Resurrectionem, cum nimirum caro mali principis opus geniorum dominationi obnoxium nec suscipi ab eo posset qui Divinae esset originis, nec salvari, ac proinde neque reviviscere. Sed homines nihil fere moribus, opinionibus, conversatione ab Ethnicis discrepantes & saepe iisdem deteriores; qui portentosas de Deo divinisque rebus opiniones disseminarunt; qui sacros ritus foedissime violarunt, ac pro illibatis castissimisque Ecclesiae sacris, turpia, polluta, ac memoratu indigna mysteria in usu habuerunt; qui denique, ut paucis multa complectamur, quamdam sibi propriam Christianismi speciem commenti sunt; qua nihil confingi possit ab Evangelica doctrina, morum disciplinaeque gravitate magis alienum & dissonum, quispiamne in animum inducet suum, tot testibus incorruptis & fidei Christianae & historiae, & quidem multo vetustioribus opponi posse, tot monumentis, quibus Christi resurrectio invictissime roboratur & stabilitur? Nihil fuit tam impium, tam infandum, tam detestabile, quod ex principiis, quae iidem iecerant consequi non posset: nihil tam certum & exploratum quod perfricta fronte negare parati promtique non essent, si cum iis ab se componi nequiret. Num ad Christi Servatoris resurrectionem ingenue confitendam eos sacrorum Codicum commovere potuisset auctoritas? Sed hos partim ad arbitrium explicabant, partim lacerabant. Num fidem apud eos tot testes invenissent, quorum narratio ipsius

Christi discipulorum, quibus Christus ipse redivivus non semel apparuerat, suffragio confirmabatur? At hos omnes fuisse deceptos respondebant, cum corpus, materia scilicet vitiosa, quam sibi Christus adiunxit, nec salvari debuerit nec reviviscere. Videat Freretus num quis sani sincipitis fanaticis hisce ratiociniis, sive cavillationibus ad infirmandam doctrinam & Historiam Evangelicam, uti iam possit, aut ex iis de Evangeliorum nostrorum origine & auctoritate vel minimum addubitare.

XLI. Nemo certe eos in numero censuque vere Christianorum, aut legitimorum testium historiae Christi habuit unquam, qui Fidei regulam, quam initio protulimus, adulterare quoquo modo voluerunt; ut hinc etiam pateat inaniter laborasse Freretum in tot illis haereticorum & nominibus, & opinionibus exaggerandis. Constare haec arbitror ex Patrum & Ecclesiarum iudicio, quod de celebratis a Frereto Sectis tulerunt, satis iam in his, quae hucusque disputavimus, manifesto, nec nisi paucis ex Tertulliano magis magisque illustrando. Is in principio libri *Contra Praxeam*, quamvis aperte fateatur se ob Paracleti agnitionem atque defensionem a Psychicis, hoc est Catholicis esse disiunctum, exscripto tamen Fidei symbolo contestatur nullam haereticorum haberi rationem posse, qui illud adulterant, cum sint Christiana doctrina traditaque ab Apostolis Evangelii fide posteriores: *Hanc regulam*, inquit, *ab initio Evangelii decucurisse, etiam ante priores quosque haereticos, nedum ante Praxeam hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium haereticorum, quam ipsa novellitas Praxeae hesterni. Quo peraeque adversus universas haereses iam hinc praeiudicatum sit, id esse verum quodcum-*

que primum: *id esse adulterum*, *quodcumque posterius*. Consonant his quae habet in libro *de Virginibus Velandis* in quo eos haereticos esse pronunciat, qui regulam Fidei, quam in eo expromit, adulterare nituntur. Sed plenius robustiusque haec omnia pertractat in libro *de Praescriptionibus* adversus Haereticos, quem ab eo fuisse conscriptum posteaquam ad Montanistas defecerat Basnagius putat (1). Urget in eo adversus Haereticos veteres & Apostolicas traditiones, & Apostolicarum Ecclesiarum auctoritatem, nihilque magis haereticis exprobrat quam novitatem. Demonstrat Christum doctrinam suam Apostolis communicasse; Apostolos viris Apostolicis, quos per singulas Civitates Episcopos constituerunt; hos vero suis successoribus, id est iis qui deinceps viris Apostolicis ordinatione legitima successerunt. Statuit eas dumtaxat Ecclesias pro veris & Apostolicis existimandas, quae in suis Fastis digerendis Episcoporum Catalogum ad aliquem vel ex Apostolis perduxerunt, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit; aut si serius fuerint institutae, traducem fidei ab Apostolicis Ecclesiis acceperint, & ab communione nunquam exciderint. Urget Haereticos, ut suarum Ecclesiarum origines edant, & Episcoporum Catalogum aut ad Apostolos perducant, vel ad Apostolicos viros, vel primum sibi Episcopum ab Ecclesiis Apostolicis datum, una cum Fidei semine ostendant. Ita differit hoc in libro Tertullianus, cuius

(1) Ad A. D. CC. num. IX. Vid. etiam Pagius ad A. CXCV. num. IV.

insigni testimonio supra recitato hoc alterum non pigebit adiungere (1). *Age iam*, inquit, *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae adhuc Cathedrae Apostolorum suis locis praesident, apud quas ipsae authenticae litterae eorum recitantur, sonantes vocem & repraesentantes faciem uniuscuiusque. Proxime est tibi Achaia? Habes Corinthum. Si non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Thessalonicenses. Si potes in Asiam tendere, habes Ephesum. Si autem Italiae adiaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est: Statu felix Ecclesia! cui totam Apostoli doctrinam cum sanguine suo profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicae adaequatur, ubi Paulus Joannis exitu coronatur, ubi Apostolus Joannes, posteaquam in oleum igneum demersus, nihil passus est, in insulam relegatur. Videamus quid dixerit, quid docuerit, quid cum Africanis quoque Ecclesiis contesserarit. Unum Deum novit Creatorem Universitatis, & Christum Jesum ex Virgine Maria filium Dei Creatoris, & carnis resurrectionem: Legem & Prophetas cum Evangelicis & Apostolicis litteris miscet, & inde potat fidem eam: aqua signat, Spiritu Sancto vestit, Eucharistia pascit, martyrio exhortatur. Et ita adversus hanc institutionem neminem recipit. Haec est institutio non dico iam, quae futuras haereses praenuntiabat, sed de qua haereses prodierunt. Sed non fuerunt ex illa, ex quo factae sunt adversus illam. Etiam de olivae nucleo mitis & opimae & necessariae, asper oleaster exoritur: etiam de papavere fici gratissimae & suavissimae, ventosa & vana caprificus*

---

(1) Cap. XXXVI.

exsurgit. Ita & haereses de nostro fructificaverunt, non nostrae, degeneres veritatis grano, & mendacio silvestres. Eadem in Marcionem, eiusque Ecclesias decurtatum ab se Lucae Evangelium iactantes ita intorquet (1): *Habet plane & illud Ecclesias, sed suas tam posteras quam adulteras, quarum si censum requiras, facilius apostaticum invenias, quam Apostolicum, Marcione scilicet conditore, vel aliquo de Marcionis examine. Faciunt favos & vespae, faciunt Ecclesias & Marcionitae*. Sed quia solemne haereticis fuit se tanquam ab Apostolis edoctos iactitare, & Ecclesias suas nuncupare Apostolicas, ideo idem Septimius adversus haereses, quae vetustatem ostentabant, quam non habebant, seseque imperitis, quod sub Apostolis fuissent, pro Apostolicis venditabant, id illis incumbere ait, ut ostendant, aliquem se vel ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, suae habere institutionis auctorem, aut saltem Ecclesiarum Apostolicarum communione potiri (2): *Ceterum si quae audent inserere se aetati Apostolicae ut ideo videantur ab Apostolis traditae, quia sub Apostolis fuerunt, possumus dicere: edant ergo origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiae Apostolicae census suos deferunt: sicut Smyrnaeorum Ecclesia habens Poly-*

(1) Lib. IV. cap. V.
(2) *De Praescript.* Cap. XXXII.

carpum ab Joanne collocatum refert: ficut Romanorum Clementem a Petro ordinatum edit: perinde utique & ceterae exhibent, quos ab Apoftolis in Epifcopatum conftitutos Apoftolici feminis traduces habeant. Confingant tale aliquid Haeretici. Quid enim illis poft blafphemiam illicitum eft? Sed etfi confinxerint nihil promovebunt. Ipfa enim doctrina eorum cum Apoftolica comparata ex diverfitate, & contrarietate fua pronuntiabit, neque Apoftoli alicuius auctoris effe neque Apoftolici. Quia ficut Apoftoli non diverfa inter fe docuiffent, ita & Apoftolici non contraria Apoftolis edidiffent, nifi illi, qui ab Apoftolis defciverunt, & aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis Ecclefiis, quae licet nullum ex Apoftolis, vel Apoftolicis auctorem fuum proferant, ut multo pofteriores, quae denique quotidie inftituuntur, tamen in eadem fide confpirantes, non minus Apoftolicae deputantur pro confanguinitate doctrinae. Ita omnes haerefes ad utramque formam a noftris Ecclefiis provocatae probent fe quaqua putant Apoftolicas. Sed nec adeo funt nec poffunt probare quod non funt; nec recipiuntur in pacem, & in communicationem ab Ecclefiis quoquo modo Apoftolicis: fcilicet ob diverfitatem Sacramenti nullo modo Apoftolicae. Simile de Ecclefiis Apoftolicis & praefertim Romana teftimonium alio in libro, quem certo conftat ab eo, poftquam ad Montani dogma delapfus eft, fuiffe confcriptum, protulit, adulterum fcilicet & haereticum effe habendum quidquid in rebus fidei ab earum traditione recedit, & extraneum effe exiftimandum quidquid cum illis non in una eademque Fide communicat, inquiens (1):

(1) Lib. IV. C. Marcion. cap. V.

In summa, si constat id verius quod prius; id prius quod & ab initio; ab initio, quod ab Apostolis: pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum; quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. Videamus quod lac a Paulo Corinthii hauserint: ad quam regulam Galatae sint recorrecti: quid legant Philippenses, Thessalonicenses, Ephesii: quid etiam Romani de proximo sonent, quibus Evangelium & Petrus & Paulus sanguine quoque suo signatum reliquerunt. Habemus & Joannis alumnas Ecclesias. Nam etsi Apocalypsin eius Marcion respuit; ordo tamen Episcoporum ad originem recensus in Joannem stabit auctorem. Sic & ceterarum generositas recognoscitur. Dico itaque apud illas, nec solas iam Apostolicas, sed apud universas, quae illis de societate Sacramenti confoederantur, id Evangelium Lucae ab initio editionis suae stare, quod maxime tuemur. Cum porro ea, quae ab Ecclesiis iure ac merito exigit Tertullianus ut Apostolicae dici possint, in iis coetibus desiderentur, quos Haeretici a Frereto commemorati arbitrio suo condiderunt; cum opiniones & dogmata quae vulgarunt, omni patrocinio Apostolorum destituantur, nec aliquem iactare auctorem possint ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum iis, Ecclesiisque ab iisdem excitatis communionem servaverit, necessario consequitur nullam haberi rationem posse illarum Sectarum, quas ille gloriosissime enumeravit tanquam a Christi discipulis conditas, vel ab iis, qui audivissent discipulos Apostolorum, aut alios, qui sibi Historiam Christi probe perspectam, compertamque esse praedicarent. Et vero adeo certum est illam doctrinam solum, & dogmata ceu vera & Apostolica credita fuisse, quae Ecclesiae ab Apostolis conditae profiterentur, ut Haeretici ipsi paullo callidiores cum publice do-

cerent

cerent eas doctrinas se proponere simulare quandoque deberent, quas earumdem colerent alumni Ecclesiarum. Sed quia Catholicis nota erat familiaris haec solis haereticis perfidia, ut aliter in abscondito, aliter in manifesto loquerentur, meritoque proinde eorum sibi suspectam esse doctrinam dicerent, qui quod in privatis domibus garrirent, & crebro in aures insusurrarent, non auderent coram plebe Catholica palam edicere, inde fiebat, ut Christiani oculatiores neque publice neque privatim docentes haereticos vellent audire. Qua de re extat Valentinianorum querela apud Irenaeum (1), qui primo candidam Apostolorum in proponenda Christiana doctrina simplicitatem enarrans inquit: *Doctrina Apostolorum manifesta & firma, & nihil subtrahens, neque alia quidem in abscondito, alia vero in manifesto docentium*; tum deinde propriam veritatis Praeconum docendi regulam Valentinianorum calliditati opponens addit: *Hoc enim fictorum, & prave seducentium & hypocritarum est molimen, quemadmodum faciunt hi, qui a Valentino sunt. Hi enim ad multitudinem propter eos qui sunt ab Ecclesia, quos communiter Ecclesiasticos ipsi dicunt, inferunt sermones, per quos capiunt simpliciores, & illiciunt eos simulantes nostrum tractatum, ut saepius audiant, qui & queruntur de nobis, quod cum similia nobiscum sentiant, sine caussa abstineamus nos a communicatione eorum; & cum eadem dicant, & eamdem habeant doctrinam, vocemus illos haereticos*. Jure mireris Valentinianos, qui sese ab homine

(1) Lib. III. cap. XV. edit. Oxon.

institutos iactitabant, quem Pauli discipulus erudivisset, qui inflatis buccis se emendatores gloriabantur esse Apostolorum, quos certe Christus ad tenebras e mortalium mentibus dispellendas dimiserat, non fuisse ausos fidei suae momenta palam perteque proponere, sed e coetu Christianorum esse, atque e numero eorum, qui Apostolicarum Ecclesiarum communione fruerentur, videri voluisse. Sed si haec ita sunt, si Ecclesiae Catholicae alumni illos detestabantur, qui diversam ab illa Fidei regulam invehere conarentur, si iidem eorum refugiebant communionem qui Gnostici, Valentiniani, Marcionitae aliisque generis eiusmodi nominibus vocarentur, iure meritoque quaesiverit quispiam, cur isti homines nihilominus Christianorum vocabulo a vetustis Scriptoribus fuerint appellati, cum eo tamen prorsus viderentur indigni ceu qui adeo nefarie Christi doctrinam depravarent. Cui aequissimae postulationi ut satisfaciam respondebo cum doctissimo Marano (1) ita semper tulisse Ecclesiasticum morem, ut haeretici quamvis nulla essent communione Ecclesiae iuncti, oppositi tamen Judaeis atque Ethnicis, Christianis accenserentur.

Ac ne forte roges, quo me duce, quo lare tuter

testes dabo gravissimos, ac vades Ecclesiae Patres, qui rem hanc apertissime declaraverunt. Prodeat cumprimis Origenes Ethnicis haereticos sic opponens (2):

(1) *Divinitas J. C.* &c. lib. IV. cap. V.
(2) Hom. VII. in Levitic. num. 6.

Et iterum est alius vel ex his, qui extra Religionem nostram sunt, vel ex his, qui nobiscum sunt, qui dividunt quidem ungulas, & incedunt in viis suis, ut actus suos ad futurum saeculum praeparent. Multi enim ita & ex Philosophis sapiunt, & futurum esse iudicium credunt; immortalem namque animum sentiunt, & remunerationem bonis quibusque positam confitentur. Hoc & haereticorum nonnulli faciunt, & quantum expetit, timorem futuri iudicii gerunt; & actus suos tanquam in divino examine requirendos cautius temperant. Sed horum uterque non ruminat, neque revocat ruminationem. Agnoscit quisque haud obscuram esse rationem, cur nobiscum esse haereticos dicat; opponit enim eos Ethnicis, & quamvis futuri iudicii exspectationem non magis eis, quam Philosophis profuturam declaret; inter Christianos tamen eos enumerat propter commune nomen, communemque cum Ethnicis pugnam. Idem Origenes cum Celsus varias inter Christianos vigere sectas hisce verbis obiecisset *nemo me quisquam putet ignorare, quosdam quidem ex illis assensuros, eumdem sibi quem Judaeis esse Deum; quosdam autem alium admittere illi contrarium, & a quo Filius venerit* ita respondet (1): *At si diversas Christianorum sectas Christianismi vitium esse ducat; quid ni etiam Philosophiae vitio vertit Sectarum philosophicarum dissensionem, & eam quidem non de rebus nihil, sed de praecipuis? Cur non etiam Medicinae criminosum est, quod in sectas scissa est? ἔστωσαν οὖν ἐν ἡμῖν esto sint inter nos, qui Judaeorum & nostrum eumdem Deum*

Ff 2

(1) C. Celsum lib. V. num. 61.

esse negent; *sed non propterea accusandi sunt illi*, *qui ex eisdem Scripturis conficiunt unum & eumdem Judaeorum Deum esse*, *& Gentium*. *Id ipse testatur Paulus*, *qui a Judaeis ad Christianismum accesserat* (1): Gratias ago Deo, cui servio a Progenitoribus in conscientia pura. *Sit praeterea tertium genus*, *eorum scilicet*, *qui quosdam* Animales, *alios* Spirituales *vocant*; *suspicor autem hic eum spectare ad Valentini discipulos*. *Quid & inde contra nos qui ab Ecclesia stantes damnamus eos quibus placet salutem alios consequi*, *alios aeternum perire*, *vi & constitutione ipsius naturae? Largior id quoque alios esse*, *qui vocentur* Gnoltici, *sicut Epicuri asseclae se ipsi appellant Philosophos*. *Sed quemadmodum vere Philosophi non sunt ii*, *qui providentiam e medio tollant*; *sic nec digni sunt Chistianorum nomine*, *qui absurda figmenta Jesuque Discipulis improbata inducunt*. *Sint quidam*, *qui quod Jesum receperint*, *idcirco se Christianos esse gloriantur*; *sed qui tamen etiam num*, *ut Judaeorum vulgus*, *Judaicam legem observari volunt*; *quales sunt Ebionaei*, *cum ii*, *qui Jesum e Virgine natum esse nobiscum confitentur*: *tum ii qui istud reiiciunt*, *contenduntque natum esse ut ceteros homines*: *an culpa haec in Ecclesiae*, *quam Celsus nominat* vulgus, *membra conferri potest*? Cum in his declaret Origenes ab Ecclesia alienos esse, ac ne Christianos quidem, Ebionitas non solum & Valentinianos, sed etiam quicumque in Christi doctrinam absurda commenta inducunt, facile perspicitur, eos non aliam ob caussam nisi ob eam quam dicimus, inter Chri-

(1) II. Tim. 1. 3.

ſtianos numerari. Magnus Baſilius opponit iis (1) *qui alieni ſunt a doctrina noſtra* eos, *qui ex ipſa Eccleſia contra veritatem inſurrexerunt*; & Gregorius Nazianzenus poſteaquam Saducaeos, & Philoſophos commemoraſſet, quorum primi Spiritum Sanctum ſuſtulere, iſti vero per imaginem quamdam cognoſci dixerunt, ſic tranſit ad Chriſtianos, in quibus etiam haereticos recenſet & ait (2): *Noſtri vero ſapientes partim vim quamdam & facultatem ipſum aeſtimarunt, partim creaturam, partim Deum, partim utro nomine vocandus eſſet, minime certum & exploratum habuerunt; ea ut aiunt ratione ducti, quod Scriptura neutrum horum plane aperteque demonſtraſſet*. Non dubitavit Gregorius Nazianzenus nefarios haereticos, quos cum Saducaeis & Philoſophis comparabat, inter Chriſtianos numerare, & noſtros appellare. Sed quis inde colligeret eum communione iis iunctum fuiſſe, qui Spiritum Sanctum aut rem creatam, aut vim quamdam, & efficientiam exiſtimabant? Non cadit haec in Gregorium ſuſpicio, qui *contumelioſos* eos appellat qui Spiritum Sanctum in rebus creatis numerabant, & *malos ſervos*, & *malorum peſſimos* (3). Denique laudatus Origenes *noſtros*, hoc eſt *Chriſtianos* vocat (4), qui abiecte de reſurrectione corporum ſentiebant; ita enim ait: *Nunc vero ſermonem convertimus ad nonnullos noſtrorum, qui vel pro intellectus exiguitate, vel explanationis inopia, valde vilem & ab-*

---

(1) Lib. I. in Eunom. num. 5.
(2) Orat. XXXVII.
(3) Orat. XLIV.
(4) Lib. II. Περὶ Ἀρχῶν cap. X. num. 3.

iectum sensum de resurrectione corporis introducunt. Quae non secus ac superiora Adamantius protulit, ut haereticos Ethnicis opponeret, de quibus antea sermonem habuerat. His Patrum testimoniis viam sibi paravit Maranus ad celeberrimum Justini M. locum e Dialogo cum Tryphone petitum explicandum atque refellendum Simonem Episcopium praesertim, contendentem negantibus Christi Divinitatem veniam olim fuisse concessam, cum Justinus communionem & pacem cum iisdem fovisse visus sit, nec quidquam in eos aspere & contumeliose dixerit, sed se iis haud assentiri dumtaxat affirmarit. En Martyris sanctissimi testimonium (1): καὶ γὰρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους κ. τ. λ. *Sunt enim quidam, Amici, ex genere nostro, qui eum Christum esse confitentur, quamvis hominem ex hominibus genitum pronuntient; quibus ego non assentior, nec assentirer, etiamsi maxima pars, quae mecum consentit, idem diceret: neque enim humanis doctrinis iussi sumus ab ipso Christo credere, sed iis quae a beatis Prophetis praedicata, & ab ipso tradita*. Liquet enim illud Origenis *sint igitur in nobis* gemellum esse his Justini verbis *ex genere nostro*, agit enim uterque de iisdem haereticis, quos quidem alter Judaeis, alter Ethnicis opponit. Et vero ut animadvertit vindex ille celeberrimus Divinitatis J. C., discimus ex recitato Justini testimonio non catholicam solum Ecclesiam, sed etiam sectas ab illa dissidentes, excepta Ebionaeorum pusilla secta, quae ceremonialia Legis veteris praecepta abrogata esse ferre non poterat, de Christi Divini-

---

(1) Num. 48.

tate cum Justinus illa scriberet, idest circa annum CLV. consensisse. Pauci illi Christi Divinitatis obtrectatores alii intelligi non possunt quam Ebionitae. Nulli alii historiae monumentis perhibentur hoc piaculum admisisse, ac extitisse inter Catholicos, qui Christi Divinitatem negarent, nullo monumento proditum est. Imo extra Ecclesiam soli Ebionitae, qui pauci, & numerabiles erant, Christi Divinitatem oppugnarunt. Parvi porro refert, quod eos Justinus ex genere Christianorum esse dixerit: *Sunt quidam ex genere nostro*; id enim dicit in eodem Dialogo (1) de certissimis haereticis. Maxima autem illa pars quae cum Justino consentiebat non solum totam Ecclesiam, sed etiam plurimas sectas complectitur, quae Jesum, ut Justinus dixerat (2), & Christum, & Dominum esse confitebantur. Quod si de sola Ecclesia locutus Justinus fuisset, non maximam partem, sed omnes assentiri sibi dixisset. Sic enim alibi (3) Catholicos omnes inter se consentire asseverat, nec ullam prorsus communionem cum haereticis habere. Non igitur hoc in loco maximam partem intelligit Catholicorum, sed eorum, qui Christianorum nomen ferebant. Justinus porro his verbis *ex genere nostro* non arctiorem communionem designat, sed sic haereticos appellat; quia commune cum illis erat nomen Christianorum, & cum Judaeis atque Ethnicis comparati, Christiani quodammodò dici poterant. Ita Simonis & Marcionis

(1) Num. 82. 189.
(2) Num. 35.
(3) Num. 35. & 80.

Sectatores, quamvis idem ac Christiani non sentirent, Christianos tamen vocari fatetur (1); *Quemadmodum qui eadem ac Philosophi non sentiunt, deductum tamen ex philosophia nomen habent commune*. Nec Tryphoni integrum fuit aliter haec verba interpretari, iam enim monitus (2) nullam esse communionem cum haereticis, qui quamvis Christi Divinitatem profiterentur, in aliis tamen rebus non Christi, sed spirituum erroris dogmata tenebant, an credere potuit ad communionem eos admitti, qui pariter opinionum commenta Christi doctrinae anteponebant eiusque Divinitatem, de qua tanta erat Justini contentio, denegabant? Ita monet recte Maranus non esse cur miremur Justinum de haereticis, quibuscum nulla erat communio, ita esse locutum, quasi pars aliqua essent Christianorum, cum more aliorum Patrum, quos laudavimus, sic eos vocaverit respectu habito ad Ethnicos atque Judaeos. Qua de re paulo latius iterum libuit edisserere quo his etiam luculentius Frereti constaret calumnia, contendentis Christianos primitivos varias sese in sectas distraxisse ingentemque numerum illorum J. C. improbasse Divinitatem. Si quid dissensionis inter Christianos extitisset, si quae Ecclesiae mundum a Christo creatum, & veram carnem a Dei Verbo & Filio assumtam negassent, nihil facilius haereticis fuisset, quam Christianos in mendacio tenere. Sed nihil huiusmodi suspicatos fuisse videmus, sed illuc solum

(1) Apolog. I. num. 70.
(2) Dialog. cit. num. 35.

solum evasisse, cum argumento ex consensu sectarum a Catholicis petito fulminarentur, ut se Apostolis ipsis adaequarent, aut eos alia publice alia secreto praedicasse dicerent; publicam illam & communem traditionem Ecclesiis catholicis relinquentes, arcanam sibi arrogantes, ut Irenaeus, & Tertullianus produnt. Quae haereticorum responsio duarum maximi momenti rerum confessionem habebat; eamdem scilicet de Verbi incarnatione fidem omnibus in Ecclesiis viguisse; tum hanc fidem a Christo & Apostolis traditam fuisse. Cum pedem ex hoc loco referre non possent, cogebantur aliam secretam traditionem huic publicae & communi opponere: quod commentum etsi stultissimum est minus tamen absurdum illis temporibus videbatur, quam aut dissensionem Ecclesiae Catholicae in his, quae ad hoc mysterium pertinent, aut novitatem affingere (1), uti iam ostendimus.

XLII. Non alia autem ratione Haereticos in censu Christianorum numeratos fuisse, quam illa de qua hactenus diximus, manifeste constabit, si Patrum scripta, Apologetica praesertim, & adversus haereses elaborata evolvantur; in his enim eos solum Christianos esse defendunt, qui fidei regulam custodiunt, quam Apostoli Ecclesiis, Ecclesiae suis credendam tenendamque proponunt. *Sed dicet aliquis*, aiebat Tertullianus (2), *etiam de nostris excedere quosdam a regula disciplinae: desinunt tamen Christia-*

(1) Vid. Maranum lib. I. cap. VI. cit. Op.
(2) Apologetic. cap. XLVI.

ni haberi penes nos. Quae res cum satis iam declarata sit cum de singulis a Frereto nominatis sectis egimus, atque de his Patrum iudicia protulimus, non est pluribus pertractanda. Haeretici quidem nomen illud summopere amarunt, eoque assumto & Christianis & Ecclesiae detrimento fuerunt, sed non longe artificium huiusmodi processisse ex Eusebio vidimus. Procul aberat haereticorum disciplina tum docendi methodus, ac vivendi ratio ab ea, quam Christiani sectabantur. Cum hi unum idemque sentirent, illi contra cum ab erroris tum Eclecticismi & Syncretismi spiritu ducerentur, opposita in somnia quotidie recidebant. Vere de iis Tertullianus (1): *Mentior, si non etiam a regulis suis variant inter se, dum unusquisque proinde arbitrio suo modulatur quae accepit, quemadmodum suo arbitrio ea composuit ille qui tradidit. Denique penitus inspectae haereses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientes reprehenduntur.* Quum inde communem fidei professionem non haberent, vix coetus suos conventusque congregare poterant. Quare idem Tertullianus aiebat (2): *Plerique nec Ecclesias habent, sine matre, sine sede, orbi fide, exterres, sine lare vagantur*. Facile admittet quivis non potuisse Sectas, quarum meminimus, non summa hominum & sectatorum inopia laborare, nec ordinatos Conventus agere, si principia agendique rationem consideret, quibus illarum adseclae ducebantur. Quid enim obsecro in vitam actionemque, solatium & purgationem hominum influere comple-

---

(1) *De Praescript.* cap. XLII.
(2) Lib. citat. cap. XLIII.

xio illa rerum notionumque inter se discordium poterat, quam Gnostici, cuiuscumque demum fuissent generis ac dogmatis, insana cogitatione proponebant? Quidnam percipere, imo cogitare vulgus poterat, dum sexcenta, nec ab acutissimis omnino intellecta, & prorsus barbara Basilidianorum nomina audiebat, ac fabulosa Aeonum Valentinianorum portenta, aut deliria Marcionis? Haeccine aliquam ad se trahere discipulorum paullo acutiorum copiam potuissent? Vel ipsa obscuritas, qua pleraque dogmata sua velavere, satis ostendit, ut animadvertit Joannes Clericus (1), nihil quod esset singulare, quodque religiosis hominibus probari posset, ab iis prolatum fuisse. Veritas & sanctitas dogmatum nulla re magis placent, & capiunt animos, quam si absque fuco, & artificio proponantur. Quare cum dixerit Socrates de obscuro Heracliti libro, quae intellexisset bona esse, qua de caussa & quae non esset adsequutus bona etiam putaret; id inverti, cum de Gnosticis, Basilidianis, Valentinianis, aliisque huiusce generis sectariis agitur, commode potest; & quandoquidem illorum placita singularia, quae intelligimus, falsa & impia sunt, meliora non esse existimanda, quae adsequi non valemus. Non erat opus multa doctrina, ut quivis intelligeret nihil simile esse sacris in Litteris, ex quibus somnia sua se accepisse plerumque gloriabantur; & arcanae illae Apostolorum & Apostolicorum virorum traditiones adeo ineptae & tam parum consentaneae erant do-

(1) Hist. Eccles. ad A. C. CLI. num. II.

ctrinae sacris in Libris traditae, & veris Traditionibus, quas a suis fundatoribus Apostolis Ecclesiae acceperant, ut nemo non haec ab impostoribus orta cogitaret. Cum ab Apostolis instituti curas omnes eo verterent ut Ethnicis Judaeisque affulgeret salutaris Evangelii lux, Gnostici de Gentibus Christianae Fidei aggregandis nunquam fuere solliciti, cum eos ea tantum cura tetigisset, ut Catholicos corrumperent, immissisque pravae doctrinae seminibus adulterarent, ut animadvertit Tertullianus (1) inquiens: *De Verbi autem administratione quid dicam cum hoc sit negotium illis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi? hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si iacentibus elevationem operentur: quoniam & ipsum opus eorum non de suo proprio aedificio venit, sed de veritatis destructione: ita fit, ut ruinas facilius operentur stantium aedificiorum, quam extructiones iacentium ruinarum*. Atqui tamen Freretus hos etiam iis accensuit qui Religionem Christianam amplificare studuerunt. Non potuere vel ipsi Ethnici ingens Haereticorum a Christianis discrimen non agnoscere; qui propterea Catholicos, sive catholicam Ecclesiam, ut a conventiculis haereticorum distinguerent, *Magnam Ecclesiam* appellaverunt, ut Celsus fecit, cuius haec sunt apud Origenem verba (2): *Ergo idem Deus Judaeorum est, & Christianorum*; τῶν ἀπὸ μεγάλης Ἐκκλησίας τῦτο ὁμολογῦντες *quippe id magna Ecclesia aperte confitetur, quae etiam admittit ut vera, quae Judaei commemorant de sex die-*

(1) Lib. cit. cap. XLII.
(2) Lib. V. c. Celsum num. 59.

lus &c. ad differentiam eorum, qui extra magnam Ecclesiam, alium sibi, alium fuisse Judaeis somniabant, quemadmodum adversus Davidem Clarksonum disserens vir doctissimus Castus Innocens Ansaldus animadvertit (1). Ita quandoque Ethnici veros Christianos ab iis vel inviti distinxerunt, qui solum nomen gerebant ad simplicium deceptionem, & scandalum Paganorum. Cum Christiani suae sortis probe conscii divina mysteria a saeculo absgondita de Trinitate, de Christo, de Creatione &c. curiosius perscrutari sibi haud licere didicissent, sed ea simplici & humili fide venerari sibi satis esse merito crederent; haeretici e contra, quorum nobis & auctoritas & dogmata obiiciuntur, temeraria curiositate ultra Evangelicae simplicitatis metas longius abrepti, illa ex Philosophorum sectis eruere & demonstrare cumque illis conciliare tentarunt. Quod licet infelicissimo conatu, & cum ipsius Fidei naufragio fecerint, miseris tamen variae gloriationis ansam praebuit; quasi sibi solis, si superis placet, Christianae Religionis penetralia, intimaque viscera referare datum esset. Et hinc eo insaniae Gnosticos, Valentinianos, aliosque prolapsos fuisse videmus, ut nedum alios despicerent Christianos, sed etiam Apostolos ipsos scientia se superare, & eorum emendatores esse audacter affirmarent: tantum abest, ut crederent duces suos ab Apostolis edoctos fuisse. *Cum enim ex Scripturis arguuntur*, inquit Irenaeus (2), *in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi*

---

(1) De Multitudine primorum Christianorum Cap. V.
(2) Lib. III. cap. II. edit. Oxon.

non recte habeant, neque sint ex auctoritate, & quia varie sint dictae; & quia ex his non possit inveniri veritas ab illis, qui nesciant traditionem. Non enim per litteras traditam illam; sed per vivam vocem: ob quam caussam & Paulum dixisse. (1) Sapientiam autem loquimur inter perfectos, sapientiam autem non mundi huius. *Et hanc sapientiam unusquisque eorum esse dicit, quam a semetipso adinvenit, fictionem videlicet; ut digne secundum eos sit veritas aliquando quidem in Valentino; aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, postea deinde in Basilide: fuit autem & in illo, qui contra disputat, qui nihil salutare loqui potuit. Unusquisque enim ipsorum omnimode perversus, semetipsum regulam veritatis depravans praedicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionem quae est ab Apostolis, quae per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni dicentes se non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores sinceram invenisse veritatem; Apostolos autem admiscuisse ea, quae sunt legalia, Salvatoris verbis: & non solum Apostolos, sed etiam ipsum Dominum modo quidem a Demiurgo, modo autem a medietate, interdum autem a summitate fecisse sermones: se vero indubitate, & incontaminate, & sincere absconditum scire mysterium. Quod quidem impudentissime est blasphemare suum Creatorem. Evenit itaque ne Scripturis iam, neque Traditioni consentire eos.* Post auditos horum hominum superbissimos spiritus nemo, ut puto, mirabitur si se Apostolorum *Emendatores*, iisque, qui ab ipsa fuerant edocti Veritate, veraciores sincerio-

(1) I. cor. 11. 6.

resque appellare non dubitarunt. Sed & Gnostici, iique omnes qui doctrinis ab his acceptis, varias sese in formas converterunt, longe diversam, quam Christus edocuisset, doctrinam profiteri se & tradere, iis artibus & artificiis ostendêre, quibus discipulorum animos allicere ac fallere tentarunt; in his siquidem nihil reperias quod sapiat simplicitatem Apostolicam animosque amantes veri, sed omnia offensas ad fraudem & perversitatem composita ac plane efficta, ut luculenter in libris suis manifestat Irenaeus; qui tantam sagacitatem & diligentiam in sectandis vestigiis ac gressibus immanium huiusmodi ferarum adhibuisse visus est, ut non solum deprehenderit earum latibula, sed eas inde velut e lustris & saltibus, in medios agros & apertam lucem eiecerit, atque ita produxerit, ut neque latere amplius neque incautis nocere posse crederetur. Post Irenaeum eamdem operam navarunt Epiphanius, Theodoretus, aliique, qui frequentius nihil monuere, nihil inculcarunt vehementius Fidelibus quam ut caverent sibi ab his magistris sacrilegis, qui verba Domini aut adulterarent, aut distorta interpretatione depravarent: mendacibus qui foetidas impurissimae haereseos sordes Catholicae veritati substituendo, altiora quaeque discipulis suis & sublimiora promitterent: improbis, qui cum ingenium hominum eruditorum pertimescerent & perspicaciam, simplicioribus potissimum, rudibus atque inexpertis insidias struerent: perfidis qui errorem, quem animo fovebant, veritatis larva obtegere conabantur: callidis denique & subdolis, qui delibuta blandorum verborum melle venena propinarent. Denique ut falsa prorsus atque mendacissima esse comperias, quae de sectariis hactenus memoratis Freretus vel persuasit

sibi vel aliis persuadere tentavit, hoc unum placeat animo, paullo attentius expendere, quod non videbitur fortasse indignum animadversione; nusquam scilicet in veteribus Ecclesiae monumentis legi hoc genus hominum in acerbissimis illis Christianorum vexationibus male habitum fuisse: quam libertatem omnino debuisse Syncretismo cuidam suo nemo non videt, quo Christiana & Ethnica scita in concordiam quamdam redigere studebant, more eorum qui e Judaismo Christianam ad Religionem sese receperant (1). Nempe, ut ipse censeo, Religionis Christianae approbatores Valentiniani ceterique Gnostici videri voluerunt, quo alumnos facilius augerent philosophiae illius ac religionis nescio cuius, in quam fanatico quodam studio ferebantur, cuique adsueti erant in Gentilismo antequam ad res Christianas propius expendendas accessissent, ut experirentur novum Religionis celeberrimae decreta, cuius Auctor tantam de se miris prodigiis atque virtutibus excitaverat famam, sua ipsorum cogitata firmarent; renuisse autem homines sui magis quam Religionis perstudiosos constanter eam profiteri, quam recte haud didicerant, cuiusque alumni iis temporibus non commoda atque fortunas sibi polliceri, sed potius mala omnia exspectare debuissent. Quo etiam contigit, ut alii complures tunc temporis Christiani esse mallent, quam videri, caverentque ne inter Ethnicismi contemtores haberentur, qui in bonorum vitaeque perpetuo discrimine versabantur.

XLIII.

(1) Vid. Act. Eruditor. Lipsiae Mens. April. MDCCXII. pag. 176.

XLIII. Sed quia nullum tam noxium venenum eſt, unde non ſalubris aliqua medicina arte extrahi poſſit, ita ex peſſimis hiſce hominibus, quorum opiniones in ſcenam produxit Freretus, quaſi his cum Apoſtolica Evangeliorum origo, tum veritas quateretur, cauſſa firmari, ac magis magiſque ſtabiliri poteſt, quam ſuſcepimus defendendam. Et vero ex hactenus iam animadverſis non inficiari increduli poterunt, ſi ingenue agere velint, haereticis antiquiſſimis Evangelia noſtra ad manus fuiſſe, horumque auctoritate unumquemque illorum commenta ſua roborare & communire ſtuduiſſe. Quod ſaltem certiſſimo indicio eſt agnoviſſe illos Apoſtolica Commentaria apud Chriſtianos quoſque, quorum fidei inſidias ſtruere nitebantur, ſummae auctoritatis loco habita fuiſſe. *Tanta eſt autem*, inquiebat Irenaeus (1), qui Gnoſticorum aliorumque Eccleſiae inimicorum farraginem librorum & ſtrophas excuſſerat, *circa Evangelia haec firmitas, ut & ipſi haeretici teſtimonium reddant eis, & ex ipſis egrediens unuſquiſque eorum conetur ſuam confirmare doctrinam. Ebionaei enim eo Evangelio, quod eſt ſecundum Matthaeum ſolo utentes, ex illo ipſo convincuntur non recte praeſumentes de Domino. Marcion autem id quod eſt ſecundum Lucam circumcidens ex his, quae adhuc ſervantur penes eum, blaſphemus in ſolum exiſtentem Deum oſtenditur. Qui autem Jeſum ſeparant a Chriſto, & impaſſibilem perſeveraſſe Chriſtum, paſſum vero Jeſum dicunt, id quod ſecundum Marcum eſt praeferentes Evangelium*,

(1) Lib. III. cap. XI. num. 7. edit. Maſſ.

cum amore veritatis corrigi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, eo quod est secundum Joannem plerissime utentes ad ostensionem coniugationum suarum, ex ipso detegentur nihil recte dicentes; quemadmodum ostendimus in primo libro. Quum ergo hi qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, & utantur his, firma & vera est nostra de illis ostensio. At si Evangelia nullius fidei historiolae, si figmenta erant Christianorum, ut increduli nunc temporis imperitis persuadere nituntur, non erat cur Sectariorum plurimi tantum curae studiique ponerent ut illa sibi non adversari quamvis irrito conatu comprobarent: non erat cur homines versipelles in id operam omnem industriamque conferrent, ut e nostrorum manibus, praeclusis undequaque itineribus, infinitis demum ineptisque solum nugis elabi niterentur. Si mendacia fabulasque puras putasque Evangelia continebant, non conspirassent plerique eorum amice cum Christianis in praecipuis excipiendis Historiae J. C. capitibus rebusque gestis. Nunquam ex. gr. Cerinthus Christum, *quae scripta sunt miracula fecisse* concessisset (1). Non confugissent alii ad apparentias ut vitam a J. C. inter mortales actam explicarent: quod consilium non historiae Evangelicae evertebat veritatem, sed confirmabat potius, eorumque, qui illud inivissent, desperatam caussam indicabat. Cum Evangelistarum enarrationes sibi molestissimas esse experirentur, quid mortalium audacissimis facilius proclivius que fuisset quam illis adeo praeclaram eripere originem Christianosque docere, quod scriptis fi-

(1) Theodoret. *Haeretic. Fabul.* lib. II. cap. III.

dem haberent, quae Apostoli nunquam edidissent? Quod cum isti argumentis, quae probari possent, non praestiterint, indicio est veritatis pondere oppressos, atque convictos fassos fuisse Evangelia Apostolorum opus esse, aut saltem, quod Frereto erit aeque perincommodum, non opportunum duxisse fidem libris prorsus detrahere, quos Christiani universi vel ab ipsis Ecclesiae initiis tanquam legitimos ac genuinos Apostolorum foetus custodiebant. Ita ex Haereticorum, tum Celsi, Porphyrii, Juliani, aliorumque Ethnicorum confessionibus pessimisque libris, tum denique Oraculis, quae partim Sacerdotum fraudibus, partim daemonum praestigiis antiquitus fundebantur, scorpiacum veluti Patres confecere, quo hostium Ecclesiae ictus noxios, & virulentas calumnias persanarent. Cuius rei argumenta Eusebius, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Augustinus, aliique suppeditant. Sic quod de Porphyrio Theodoretus scripsit, de ceteris affirmari Ecclesiae hostibus potest: *Videtur*, inquit (1), *hoc miraculum fortis Samsonis problemati persimile* ex ore comedentis exivit cibus, & ex forti dulcedo (2). *Haec enim contra mendacium a mendacii patrono scripta sunt; & qui veritatem accusabat, veritatis praeter animi sententiam factus est defensor. Deus enim qui linguam vatis Balaam imprecari paratam, coegit bona verba proferre, idem & huius linguam rabido furore adversus veritatem prosilientem, invitam contra mendacium im-*

(1) *Graecar. Affect.* Serm. III.
(2) Iudith XIV. 14.

mutavit. Quo magis magisque Divini Numinis consilia sapientiamque mireris, queis factum videmus, ut Evangeliorum Apostolica origo non Christianorum tantum, sed haereticorum etiam, atque Ethnicorum, hostium scilicet Ecclesiae furiosorum, testimoniis confirmaretur. Fateor equidem vetustissimos haereticos non pauca docuisse, quae cum Evangelicis institutionibus pugnant, tum modo unum, modo aliud Evangelium reiecisse: at illorum perversitas neque doctrinae obest Evangelicae neque originem Evangeliorum evertit, sed utramque potius confirmat; dum scimus errores ab haereticis Ecclesiae initio in vulgus sparsos ab iis fuisse damnatos, qui legitimi habiti sunt Christi doctrinae Praecones, Evangelia vero illa, quae iidem haeretici reprehendere non dubitarunt, omnium Ecclesiarum excepta fuisse consensu, adversus quem praevalere non potest temeritas paucorum, cum absurdum sit paucos delirantes sine ratione, sine monumentis, & in Ecclesiarum angulis obloquentes audire, universos autem Maiores nostros usque ab Apostolis contemnere. Cum Marcion solum Lucae Evangelium a se mutilatum esse excipiendum putaret, cetera vero abiiceret, Tertullianus ut audacem hominem refutaret Ecclesiarum Apostolicarum auctoritatem obiecit a quibus non Lucae tantum, sed & alia, quae ille contemnebat, Evangelia custodiebantur. *Eadem auctoritas*, inquiebat (1), *Ecclesiarum Apostolicarum ceteris quoque patrocinabitur Evangeliis, quae per illas, & secundum illas habemus; Joannis dico & Matthaei;*

(1) Lib. IV. C. Marcion. cap. V.

licet & Marcus quod edidit, Petri adfirmetur, cuius interpres Marcus. Nam & Lucae Digestum Paulo adscribere solent. Capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarunt. Itaque & de his Marcion flagitandus, quid omissis iis, Lucae potius institerit; quasi non & haec apud Ecclesias a primordio fuerint, quemadmodum & Lucae. Atquin haec magis primordio fuisse credibile est, ut priora, qua cum ipsis Ecclesiis dedicata. Ceterum quale est, si nihil Apostoli ediderunt, ut discipuli potius ediderint, qui nec discipuli existere possent sine ulla doctrina magistrorum? Igitur dum constet haec quoque apud Ecclesias fuisse, cur non haec quoque Marcion attigit, aut emendanda si adulterata aut agnoscenda si integra? Quae ut probant in Ecclesiarum Apostolicarum consensu invictum agnovisse robur Tertullianum, ita etiam docent nullam earumdem extitisse in Evangeliis excipiendis dissensionem, sed ut illud Lucae sic cetera pari veneratione servata ab illis fuisse; quod alioquin haeretico vaferrimo non obiecisset Septimius. Eamdem perpetuo methodum adhibuit Augustinus in libris contra Faustum Manichaeum, qui Evangelium secundum Matthaeum falso huius Apostoli nomine insignitum esse contendebat. Ex fide scilicet, & auctoritate Ecclesiarum, quibus illud semper probatum fuit, atque ex successione Episcoporum, qui in iis floruere, nihili esse faciendas probat Manichaeorum impietatis famosissimi vindicis cavillationes. Seligam ipse hoc loci nonnullas ex Viro sanctissimo animadversiones quae dum Evangelii Matthaei αὐθεντίαν probant, ceterorum etiam originem tuentur & haereticorum proterviam non minus confundunt, quam incredulorum, qui illorum vestigia persequuntur.. Itaque pri-

mo Faustum compellans inquit (1): *Quid ages, quo te convertes? quam libri a te prolati originem, quam vetustatem, quam seriem successionis testem citabis? Nam si hoc facere conatus fueris, en nihil valebis: & vide in hac re quid Ecclesiae Catholicae valeat auctoritas, quae ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet Episcoporum serie, & tot Populorum consensione probatur?* Tum sermonem iam convertens ad Matthaei Evangelium quantopere Ecclesiarum & Episcoporum consensus eidem semper faverit ostendit, & Faustum sic urget (2): *Cum coepero Evangelium recitare Apostoli eius, ubi narratio nativitatis eius* (Christi) *tota contexitur, continuo dices illam narrationem non esse Matthaei, quam Matthaei esse dicit universa Ecclesia ab Apostolicis sedibus usque ad praesentes Episcopos certa successione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat in carne, per discipulos eius certa successione praepositorum vestrorum ad vestra usque tempora custoditus, atque perductus est: sic & istum librum credite esse Matthaei, quem ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia certa connexione successionis usque ad tempora ista perduxit. Et dic mihi, cui libro potius credere debeamus, eiusne Apostoli qui Christo cum adhuc in carne esset adhaeserat; an nescio cui Persae, qui tanto post natus est?* Evincit inde Augustinus nullam esse librorum, quos Haeretici proferebant, auctori-

---

(1) Lib. XI. cap. II.
(2) Lib. XVIII. cap. II.

tatem, cum eorum teſtimonio deſtituerentur, qui Apoſtolis ſucceſſiſſent: *Sed alium forte proferes librum, qui nomen habeat alicuius Apoſtoli, quem a Chriſto conſtat electum, & ibi Chriſtum natum ex Maria non eſſe lecturus es. Cum ergo neceſſe ſit alterum horum librorum eſſe mendacem, cui nos potius cenſes fidem accommodare debere? Ei ne, quem illa Eccleſia ab ipſo Chriſto inchoata, & per Apoſtolos provecta certa ſucceſſionum ſerie uſque ad haec tempora toto terrarum Orbe dilatata, ab initio traditum, & conſervatum agnoſcit atque approbat, an ei quem eadem Eccleſia incognitum reprobat, cum etiam proferatur ab hominibus ita veracibus, ut Chriſtum laudent eſſe mentitum?* Hinc merito quanti facienda ſit auctoritas Eccleſiarum, & Epiſcoporum denuo inculcat, atque declarat eos ſolum libros eſſe excipiendos colendoſque, quos Praeſules Eccleſiarum ceu ab Apoſtolis praedeceſſoribus ſuis acceptos ſervarunt, & pro re nata protulerunt. *Si prolatae fuerint*, inquit, *aliquae litterae, quae nullo alio narrante, ipſius proprie Chriſti eſſe dicantur: unde fieri poterat, ut ſi vere ipſius eſſent, non legerentur, non acciperentur, non praecipuo culmine auctoritatis eminerent in eius Eccleſia, quae ab ipſo per Apoſtolos ſuccedentibus ſibimet Epiſcopis uſque ad haec tempora propagata dilatatur; multis in ea iam completis, quae ante praedicta ſunt, & uſque in finem quae reſtant ſine dubio futuris, atque venturis? Quia & illae litterae ſi proferrentur utique conſiderandum erat a quibus proferrentur. Si ab ipſo, illis primitus ſine dubio proferri potuerunt, qui tunc eidem adhaerebant, & per illos etiam ad alios pervenire. Quod ſi factum eſſet, per illas quas commemoravi praepoſitorum & populorum ſucceſſiones confirmatiſſima auctoritate clareſcerent. Quis eſt ergo tam demens, qui hodie credat eſſe Epiſtolam Chriſti, quam*

protulerit Manichaeus, & non credat facta vel dicta Christi, quae scripsit Matthaeus? Aut si etiam de Matthaeo, utrum ipse ista scripserit, dubitat, de ipso quoque Matthaeo non potius id credat, quod invenit in Ecclesia, quae ab ipsius Matthaei temporibus usque ad hoc tempus certa successionum serie declaratur? Quare inconcussum esse argumentum ait, quod ex suffragio consensuque petitur omnium Ecclesiarum, ut rideri omnino debeant, qui tantae auctoritati contradicere non vereantur; cum principia queis innixi Manichaei libros tuebantur suos, multo aequiori ratione transferri possent ad stabiliendam Apostolicarum litterarum authenticitatem, cui scilicet non iam paucorum hominum fanaticorum, sed omnium Ecclesiarum, omnium Episcoporum & Christianorum testimonia suffragarentur. *Hic iam*, inquit (1), *si quaeratis a nobis nos unde sciamus Apostolorum esse istas litteras? breviter vobis respondemus, inde nos scire, unde & vos scitis illas litteras esse Manichaei, quas miserabiliter huic auctoritati praeponitis. Si enim & hinc vobis aliquis moveat quaestionem, & scrupulum contradictionis impingat, dicens, libros quos profertis Manichaei, non esse Manichaei, quid facturi estis? Nonne potius eiusdem deliramenta ridebitis, qui contra rem tanta connexionis, & successionis serie confirmatam, impudentiam huius vocis emittat? Sicut ergo certum est illos libros esse Manichaei, & omnino ridendus est, qui ex transverso veniens tanto post natus, litem vobis contradictionis intenderit: ita certum est Manichaeum vel*

Manichaeos

(1) Lib. XXXII. cap. XXI.

Manichaeos esse ridendos, aut etiam dolendos, qui tam fundatae auctoritati a temporibus Apostolorum usque ad haec tempora certis successionibus custoditae, atque perductae audeant tale aliquid dicere. Quotquot Episcopi, qui floruerunt in Apostolicis Ecclesiis, aliisque ex his propagatis, quarum auctoritatem perpetuumque consensum extollit Augustinus, testes sunt certissimi fidissimique Scripturarum, quas Ecclesiae eaedem ab Apostolis primo Apostolicisque viris acceperunt: Series ista saeculorum, quae a primis temporibus dat testes pro Evangeliis ceterisque Novi Foederis libris, omnes exagitat haereticorum fraudes, atque fallacias, nefarios eorum detegit conatus, ostendit errorum casum, quos excogitavere; quantaque fuerit Sectarum, quas infeliciter condiderunt, turpitudo, quantum dedecus, quanta labes, luculentissime manifestat. Quod si tot Testium affirmationem, quorum innumeri singulari doctrinae & pietatis fama vixerunt, aspernari iam liceat, nullus iam erit liber, cui sua constare possit auctoritas, nullum monumentum, cuius dubia fides videri non queat. Sparsi quidem vulgatique sunt inter Christianos de rebus a Christo, eiusque Discipulis gestis libelli, sed defuit his perpetuus ille consensus, de quo hactenus diximus, ceu quos nimirum non Ecclesiae a suis Fundatoribus accepissent, sed inconsulto studio paucorum obtrusi essent; quorum fraudes non diu Christianos vel paucos, quos deceperant, latuerunt. Quare non bene videntur argumentari, qui ex huiusmodi dolis colligendum monent potuisse etiam obtrudi Evangelia, quae Apostolica nuncupantur. Pessima enim & absurda, quae ex hac positione consectaria fluerent, nemo non videt. Jam enim dicendum esset nullos probati va-

loris nummos existere, quia falsi quandoque fuerunt percussi. Nulla diplomata ut authentica excipienda viderentur, cum falsariorum studio apocrypha & spuria non semel prodierint. Vacillaret denique fides librorum hominum celeberrimorum, quorum nomina non infrequenter impostores selegere, ut sub ipsis proprii ingenii cogitata divulgarent. Qua de re denuo praestabit differentem audire magnum Augustinum cuius animadversiones, quas adversus Manichaeos arrogantissimos intorsit, in hodiernos incredulos egregie quadrare facile quivis fatebitur, qui noverit ab utrisque eadem adversus Apostolicorum originem & auctoritatem decantari. *Infelices inimici animae vestrae*, exclamabat ille (1), *quae unquam litterae ullum pondus habebunt auctoritatis si Evangelicae, si Apostolicae non habebunt? de quo libro certum erit cuius sit, si litterae, quas Apostolorum dicit & tenet Ecclesia ab ipsis Apostolis propagata, & per omnes gentes tanta eminentia declarata, utrum Apostolorum sint incertum est? & hoc erit certum scripsisse Apostolos quod huic Ecclesiae contrarii haeretici proferunt auctorum suorum nominibus appellati, longe post Apostolos existentium? Quasi vero & in litteris saecularibus non fuerint certissimi Auctores, sub quorum nominibus multa postea prolata sunt, & ideo repudiata quia vel iis quae ipsorum esse constaret, minime congruerunt, vel eo tempore, quo illi scripserint, nequaquam internoscere, & per ipsos vel familiarissimos eorum in posteros prodi, commendarique meruerunt. Nonne ut alios omittam, sub Hippocratis medici nobilissimi nomine qui-*

(1) Lib. XXXIII. c. Faust. cap. VI.

dam libri prolati, in auctoritatem a Medicis non recepti sunt? Nec eos adiuvit nonnulla similitudo rerum atque verborum, quando comparati eis, quos vere Hippocratis esse constaret, impares iudicati sunt, & quod ab eo tempore quo & cetera scripta eius non innotuerunt, quod vere eius essent. Hos autem libros, quibus illi qui de tranverso proferuntur, comparati respuuntur, unde constat esse Hippocratis, unde si quis hoc neget, nec saltem refellitur sed ridetur, nisi quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus, & deinceps successionis series commendavit, ut hinc dubitare dementis sit? Docet inde ut quemadmodum non alia securiori via novimus in profanis & Ecclesiasticis Scriptoribus genuinos esse libros eorum, quorum praeferunt nomen, quam proxime insequentium aetatum contestatione continua; ita pari modo de Ecclesiae Codicibus pronunciandum esse, quos ad nos tot testes tanquam ab Apostolis conditos transmiserunt. *Platonis*, inquit, *Aristotelis*, *Ciceronis*, *Varronis*, *aliorumque eiusmodi Auctorum libros, unde noverunt homines quod ipsorum sint, nisi eadem temporum sibimet succedentium contestatione continua? Multi multa de litteris Ecclesiasticis conscripserunt, non quidem auctoritate canonica, sed aliquo adiuvandi studio, sive discendi. Unde constat quid cuius sit, nisi quia his temporibus, quibus ea quisque scripsit, quibus potuit insinuavit atque edidit, & inde in alios atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad posteros, etiam usque ad nostra tempora pervenerunt, ita ut interroganti cuiusque quisque liber sit, non haesitemus quid respondere debeamus? Sed quid pergam in longe praeterita? Ecce istas litteras, quas habemus in manibus, si post aliquantum tempus vitae huius nostrae vel illas quisquam Fausti esse, vel has neget esse meas, unde convincitur, nisi quia*

illi, qui nunc ista noverunt, notitiam suam ad longe etiam post futuros continuatis posterorum successionibus traiiciunt? Quae cum ita sint, quis tandem tanto furore caecatur, nisi daemoniorum mendaciloquorum malitia, atque fallacia consentiendo subversus sit, qui dicat hoc mereri non potuisse Apostolorum Ecclesiam, tam fidam, tam numerosam fratrum concordiam, ut eorum scripta fideliter ad posteros traiiceret, cum eorum Cathedras usque ad praesentes Episcopos certissima successione servaret, cum hoc qualiumcumque hominum scriptis, sive extra Ecclesiam, sive in ipsa Ecclesia tanta facilitate proveniat? Non piguit dilatare disertissimis Augustini verbis validissimum argumentum, quo constat genuina esse Evangelia aliaque scripta Apostolorum, quae Ecclesia recipit, adulterina vero quae ab haereticis aliisve fuere producta. Hoc adeo verum est, ut vel ipse Joannes Clericus de exscripto Augustini ratiocinio, *nihil eo κριτικώτερον esse posse* pronunciarit (1). Atqui tamen Henricus Valesius affirmare non dubitavit latinos inter Theologos vix quemquam esse praeter Hieronymum, qui nomen Critici mereatur. Quonam ergo illud mihi tuum abiit ingenium, Augustine Sanctissime, quo iudicium gravissimum, quo responsa, quo scripta, quo Paganorum haereticorumque confutationes, quo summa eruditio, quo admirabilis illa vis, qua veritatem ab errore vindicasti, quo denique nobilioris Critices argumenta, quae in his iisdem contra Faustum Manichaeum libris edidisti? Recte quamdiu vixisti,

---

(1) Animadverf. in cit. lib. c. Fauft. Tom. XII. Opp. Auguft. Edit. Antuerp. pag. 599.

Henrice Valesi, librum illum *de Critica* suppressisti, qui te extincto inconsulte demum est editus, a quo nunquam tam rudis fuisset emissus. Profecto si liceat dubitare de recepto statutoque communi sapientum suffragio canone pro genuino libro cognoscendo, eum nimirum talem esse qui proxime consequentium aetatum aliarumque iis succedentium constanti testimonio roboratur, iam certum nihil habebitur in litteris, ut Huetius ait. Si Patrum monumenta, si Ecclesiae Annales excutiantur quovis tempore, ex quo sunt edita quatuor Evangelia, continuo ea Apostolis tributa fuisse, & tanquam genuina eorumdem opera esse laudata compertum erit & exploratum, ut testimonia multa infra exscribenda persuadent. Antiquitatem eorum, atque authenticitatem veteres plerique Haeretici agnovere, ut iam dictum est. Agnovere Pagani quotquot adversus Christianam Religionem stilum acuerunt, cum tamen eorum plurimi interfuisset auctoritatem minuere. Celsus, qui secundo vixit saeculo & Christianismum laceravit, plura ex Evangeliis corrasit, seque illa ex libris discipulorum Christi exscripsisse asseruit. Porphyrius quoque atque Julianus ne minimam quidem fraudis hac in parte suspicionem significarunt. Nemo credat scripta hominum, qui nostrorum Evangeliorum νοθείαν detexere periisse, cum omni aevo extiterint Scriptores vel in ipsa Christiana societate, qui Paganorum adversus hanc argumenta candidissime retulerunt. In Origenis, Eusebii, Cyrilli Alexandrini, Augustini, aliorumque libris Paganorum recitantur adversus Christi doctrinam exceptiones: at in his nullas reperias, quae originem feriant Apostolicam Evangeliorum. Si haec Christianorum arbitrio prodiissent, si inter eos va-

rietas aliqua in iis excipiendis extitisset, ut Freretus clamitat, non latuisset haec certe furiosos illos rabidosque Christianorum hostes, quorum aliquot & eruditos fuisse, & diligentem operam navasse constat, ut omnia perquirerent, quae ad Christianismi dignitatem atque praestantiam minuendam facere posse sibi persuaserant. Sed nimis clara erat illorum origo scriptorum, nimis constans atque perpetuus Ecclesiarum omniumque Christianorum in iis excipiendis colendisque consensus, quam ut ii vel levissime de eorum authentia dubitare possent. Qua primis Ecclesiae saeculis libros N. T. omnes Christiani religione servaverint, quam sacri huius depositi vigiles custodes extiterint, non ecclesiastica solum eaque probatissima, & antiquissima sed Ethnicorum etiam monumenta contestantur. In Actis MM. Scillitanorum ex Proconsularibus Tabulis procul dubio exscriptis, qui Anno Christi cc. sub Severo & Antonino passi sunt, ut coniicit Ruinartius (1), haec leguntur: *Saturninus Proconsul dixit: qui sunt libri, quos adoratis legentes? Speratus respondit: quatuor Evangelia D. N. J. C. & Epistolas S. Pauli Apostoli & omnem divinitus inspiratam Scripturam*. Et in iisdem Actis, quae ex Cod. MS. Bibliothecae Colbertinae idem Ruinartius vulgavit, ita legitur (2): *Saturninus Proconsul dixit: quae est, dicite mihi, res doctrinarum in caussa & religione vestra? Speratus Sanctus respondit: Libri Evangeliorum, & Epistolae Pauli viri Sanctissimi Apostoli*. Quum persecutionum tempore sacri Codi-

(1) Act. MM. Sincer. pag. 74. Edit. Veron.
(2) L. cit. pag. 77.

ces, qui Chriſtianis ſolatio praeſidioque erant ad flammas conquirerentur, neminem latet multa cuiuſque ſexus ac generis millia Chriſtianorum maluiſſe atrociſſimis ſuppliciis interimi, quam ſanctum dare canibus; multos contra ſuppliciorum metu fractos atque exterritos ſacrum depoſitum perſequentibus tradidiſſe, quibus ignominiae cauſſa ad noſtram aetatem uſque *Traditorum* nomen adhaeſit, ut turpi hac nota compuncti poſteris ſignificarent, qua religione libros Evangelicos & Apoſtolicos Eccleſia retineret, quave deteſtatione ſacrilegos averſaretur, qui has margaritas porcis proculcandas abſumendaſque proieciſſent. Num minori vero religione ſequentibus ſaeculis libros hos Chriſtiani ad nos uſque ſervavere? Si N. T. libri, ut nunc extant cum iis innumeris textibus, qui in priorum Eccleſiae Scriptorum libris occurrunt, atque laudantur, conferantur, e veſtigio manifeſtum erit, nihil ab eo, quod omnia ſolet abſumere, neque imperiis parcet, neque monumentis nunquam probabiliter interituris, tempore paſſos hos libros, quod ſummae in iis cuſtodiendis Chriſtianorum religionis locupletiſſimum eſt argumentum. Si ergo incredulis rata eſt atque tuta publicarum tabularum, vel domeſticorum inſtrumentorum ſinceritas, quod Archiva, unde promuntur, cuſtodes habuerint habeantque homines opinione probos & vigiles, nonne multo firmior, atque tutior erit librorum N. T. ſinceritas, quos non pauci obſcurique homines, ſed univerſus Orbis, id eſt Chriſtiana gens ubique terrarum diffuſa ſumma conſenſione, atque cura ſervavit? Quid tibi ergo in mentem venit, Frerete, ut tanto Veterum ſpreto conſenſu, tot rationum momentis repudiatis, in eorum adverſariorum te fidem & clientelam reciperes, qui

hac nostra aetate Celsos, Porphyrios, Julianos, aliosque nostram in Religionem invidia superarunt, seque suspicari vanitatem, & fraudem in Evangeliis Ecclesiae Christianae simularunt, non quia revera dubii haererent, ut arbitror, sed mala fide ut novarum difficultatum larva imperitos deciperent? Quaenam te Critices vel intemperantioris lex tueri potuisset, ut Matthaei, Marci, atque Joannis Evangeliorum negares authenticitatem, quae tot testium auctoritate defenditur, quia eadem, solo Evangelio Lucae excepto, Marcionitae arrogantissime, & quidem ridiculis ducti argumentis repudiarunt? Vide quid illi adferrent, ut hoc tuerentur. *Ego* aiebat Meghetius Marcionita (1) *Evangelia falsa esse demonstro. Ait enim Apostolus Evangelium unum: vos autem quatuor dicitis*; cui Adamantius orthodoxus ita egregie reponebat: *Evangelistae quidem quatuor sunt, sed Evangelium unum. Unum enim Christum nunciaverunt, idemque dixerunt. Ac si unusquisque eorum alium atque alium Christum praedicavit, aut nunciavit, vera est tua oratio: sin autem quatuor de uno Christo loquuntur, non iam quatuor sunt sed unum.* Nempe cum Paulus unum Evangelium, praedicationem scilicet suam, atque doctrinam, quam per J. C. revelationem didicerat, designare voluisset, illi mirabantur Catholicos qui quatuor esse Evangelia praedicarent, non unum quod a Paulo indicatum putabant, quasi is de scripto Evangelio disseruisset. Quod idem in Mar-

(1) Dialog. *de Recta in Deum Fide* inter Opp. Origen. Tom. I. edit. Venet. p. 402.

Marcionitis genuinus iam Origenes Adamantius reprehenderat. *Addam praeterea*, inquit (1), *dictum Apostoli nunquam intellectum ab iis, qui Marcionem assectantur, quique propterea Evangelia e medio tollunt. Cum enim Apostolus dicat* (2): Juxta Evangelium meum in Christo Jesu; *non autem* iuxta Evangelia: *illi instant, & dicunt ideo Apostolum in singulari numero dixisse* Evangelium, *quia plura non sint Evangelia: non intelligentes, sicut unus est, quem plures praedicant; sic unum esse virtute, quod a multis scriptum est Evangelium.* Non erant his robustiora, sive minus contemnenda argumenta cetera, quae cum iidem Marcionitae, tum alii nonnulli primi temporis Sectarii adhibuere, ut unum aut alterum Evangelium e Canone divinorum Librorum esse expungendum docerent; sed post operam ad eorum futilitatem demonstrandam adeo utiliter a Patribus positam, in longiori fortasse iam huius argumenti tractatione, mihi ingratus, lectori inutilis labor poneretur; cum praesertim ex iam dictis satis pateat, quam inepte Freretus omnium consensui Christianorum, qui omni aevo Evangelia tanquam ab Apostolis edita venerati sunt, paucos Sectarios opposuerit, qui levissimis de caussis, & una haereseos tuendae caussa a ceteris recesserunt.

XLIV. Si autem ceterarum omnium via, quam exposuimus, tutissima & certissima est ad cognoscendum cuiusque libri auctorem, non video cur

Kk

(1) Tom. V. in Evang. Io.
(2) Rom. II. 16. & XVI. 25. II. ad Tim. II. 8. Galat I. 7.

haec eadem non queat esse certa & explorata ad intelligendum hunc librum esse Matthaei, illum non esse Thomae, hanc Epistolam esse scriptam a Paulo, illam scriptam non fuisse. Cum autem traditio illa Ecclesiarum Christianorumque consensus melius innotescat per Patres & Doctores Ecclesiae post Apostolos succedentes; & cum ex superioribus satis luculenter demonstratum sit, quam perpetuo iam inde vel ab Ecclesiae initiis Evangeliis nostris certa constiterit auctoritas; si iam libeat ad id plenius confirmandum Patrum testimonia adsciscere, qui sese Evangeliorum nostrorum notitia imbutos prodiderunt, clarius etiam veritas quam defendimus elucescet. Et vero quotusquisque eorum est, qui fidem Christi propugnans Evangelistarum oracula non allegaverit? Et merito quidem eorum auctoritas obducta est; cum semper adversus impiorum assultus habita fuerit tutissimum perfugium & velut Ancora sacra. Vidit optime id Freretus, qui propterea nullam operam praetermisit, ut ostenderet Patribus Apostolicis, quorum Epistolas paucas adversus edacem vetustatem studium hominum, vel potius supremi Numinis voluntas conservavit, Evangelia nostra prorsus incognita & incomperta fuisse, longeque alia quam illa, quae Apostolica dicuntur, suis in scriptis laudasse. Atque haec altera difficultas est, quam ille se habere iactitat adversus originem Apostolicam Evangeliorum Ecclesiae Christianae (1). Quamquam vero haec fa-

(1) *Pag.* 9. Une autre difficulté très-considerable contre nos Evangiles, c'est que les plus anciens Péres de la

tis in tuto sit, etiam si testimonia deessent Barnabae, Clementis, Ignatii, & Polycarpi, ut videbimus, enitendum tamen est, ut palam fiat ne horum quidem Patrum laude atque suffragio Evangelia nostra destitui, unde ex Auctorum censu manifestum cumulatius fiat ab ipso aevo Apostolico ad adultum iam in Orbe Christianismum pervulgatum fuisse Evangelia a Christi Legatis fuisse edita. Quod ut spero argumentis conficiemus, quae nullis argutiis divelli, nulla ratione labefactari possint; nec assensum quisque abnuere queat; praesertim si animum hic adhibeat non contumacem sed studiosum veritatis. Ea igitur explicando, quae ex Patribus Apostolicis corrasit undique Freretus, ut hos Apocrypha solum novisse demonstraret, ostendemus simul eosdem Patres sententiae nostrae suffragari, perpetuumque Christianorum consensum in excipiendis

Kk 2

Secte dominante ne paroissent pas avoir connu les quatres Evangiles qui nous restent, tandis qu'ils citent fréquemment, & avec une entiere confiance, des livres Apocryphes comme faisant autorité. On est obligé d'entrer ici dans des discussions peu agréables; mais nous esperons qu'on pardonnera la sécheresse de cet examen en faveur de l'importance de la matiere. Il est constant & personne n'en doute que les Péres Apostoliques ont eu connoissance des livres Apocryphes. L'Auteur de l'Epitre de Barnabé allegue, de l'aveu même du P. Menard, diverses paroles de J. C. qui ne sont point dans l'Evangile, ce qui donne lieu de croire qu'elles sont tirées de quelques uns de ces ouvrages qui n'ont pas été jugés dignes d'être conservés à la posterité. *Menard. chap. IV. pag. 59. chap. VII. p. 24.*

laudandisque Evangeliis stabilire. Barnabam ille primum, sive auctorem, quisquis demum sit, illius Epistolae, quae eidem inscribitur, nobis eripere tentat Freretus. Auctor istius Epistolae, inquit ille, nonnulla J. C. verba profert, quae vel ipso non diffitente Menardo, in nostris Evangeliis desiderantur: ex quo credere liceat ex libris fuisse laudata, quos indignos sequens aetas iudicarit, qui ultra ad posteros transmitterentur. Leguntur autem verba illa in Epistola latina ex vetere Interprete hunc in modum Cap. III. *Sicut dicit Filius Dei, resistamus omni iniquitati & odio habeamus eam*. Tum Cap. VII. *sic, inquit, qui volunt me videre & ad regnum meum pervenire, debent per afflictiones & tormenta possidere me*. Fateor equidem has sententias Christi in nostris Evangeliis non legi conceptis verbis, & κατὰ λέξιν, sed nego ab apocryphis Evangeliis acceptas fuisse. Sane eas illustrans Menardus non id quidem colligit, quod Freretus paullo acutius contendit, sed primam vel ab ipso Christo, aut aliquo eiusdem Discipulo accepisse censet Epistolae Auctorem, alteram autem quoad sensum in Evangeliis authenticisre periri testatur. En Menardi annotationem: *Sicut dicit Filius Dei resistamus &c. Hanc Christi sententiam in toto Evangelio non repereris, sed eam audivit ab ipso Christo, aut ab aliquo discipulo: qualis est haec Pauli sententia Act. XX. & meminisse verbi Domini Jesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere*. Ad alteram autem sententiam sic annotabat: *Sic inquit &c. nempe Jesus. Non profertur hic certus aliquis Evangelii locus, sed sensus multorum Christi dictorum, de tribulationibus perferendis ab eis, qui sunt aeternae vitae studiosi*, ut arcta est via, quae ducit ad vitam, qui vult venire post me &c. *& si-*

milia, quae passim in Evangelio reperire est. Idem tulit iudicium Menardus de altera Christi sententia eadem in Epistola Cap. V. memorata ὅταν πατάξω τον ποιμένα, τότε σκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης *cum percutiam pastorem tunc dispergentur oves gregis*. In qua promenda Barnabam secutum esse Matthaeum ille animadvertit inquiens: *Barnabas secutus est Matthaeum cap. 26. & Marcum cap. 14.* πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα *id est percutiam pastorem &c. excepto quod addit particulas*, ὅταν *&* τότε, *&* τῆς ποίμνης *explicationis gratia*. Et quidem veteres Ecclesiasticos Scriptores sacris in laudandis Litteris sensum magis quam verba expromere curavisse, ut iidem fecere N. T. librorum Auctores, dum vetus Instrumentum laudarunt, post pauca & Scriptorum auctoritate, & exemplis ostendemus. Quod si hunc morem tenuit Barnabas dum Prophetarum dictis est usus, mirum iam nemini videatur, si eumdem adhibuit dum sententias protulit Evangelistarum. Tenuisse autem observavit Menardus (1) qui posteaquam adnotasset quaedam Prophetarum Oracula aliter a Barnaba producta fuisse ac in Hebraico, atque Graeco textu legantur, haec verissime admonuit: *Apostolus protulit potius sensum quam verba: & quod dixit Propheta generatim, ille dixit speciatim. Hic mos est Apostolorum, & Virorum Apostolicorum, ut saepe citent sacram Scripturam non iuxta verba, sed iuxta sensum, ut docet de Veteri Testamento S. Hieronymus in caput quintum Amos Prophetae:* Et hoc in omnibus sanctis Scripturis observandum est, Apo-

(1) In not. ad cap. 1. Vers. latin. Vet. Interpret.

stolos & Apostolicos viros in ponendis testimoniis de V. T. non verba considerare sed sensum, nec eadem sermonum calcare vestigia, dummodo a sententiis non recedant &c. Quod deinde Menardus exemplis ab Evangelistis depromtis confirmat. Apostolorum vestigiis Patres institere Apostolici, ut multis exemplis infra declarabimus, & quemadmodum ii sensum potius quam verba suis in citationibus V. T. servaverunt, ita isti in Evangeliorum oraculis proferendis pari modo se gessere. Quid ergo verisimilius, quam sententiam illam *Sic inquit qui volunt &c.* ex consimilibus sententiis, quae nostris in Evangeliis reperiuntur, ab Auctore Epistolae tributae Barnabae, conflatam fuisse, ut Menardus putat? Facile hoc quisque concedet, qui adverterit alia pleraque ab eodem Scriptore ex nostris Evangeliis accepta fuisse, quae Freretus prorsus callide dissimulavit, ut arbitror; talia enim sunt, ut proferri non potuerint, nisi ab illo, qui eadem prae oculis haberet. Ex Matthaei certe Evangelio ea excepta sententia est, quam Cap. IV. his verbis effert: *Attendamus ergo ne forte sicut scriptum est: multi vocati pauci electi inveniamur* (1). De electione agens Apostolorum Cap. V. quos fuisse peccatores scribit, id a Christo esse factum ait, *ut ostenderet quod non venit vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam*, quae sententia pariter in Matthaei Evangelio reperitur (2). Capite XII. de aeneo serpente a Mose erecto verba faciens inquit: *Et iterum Moses facit figuram Jesu*

(1) XX. 4.
(2) IX. 13.

(*quod passurus esset & vitam praebiturus ipse, quem putabant periisse*) *in signo cadentis Israelis*. Quibus alludere videtur ad Christi sententiam, quam Joannes in Evangelio suo his verbis laudat (1): *Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto ita exaltari oportet filium hominis*. Eodem capite haec habet: *Quoniam ergo dicturi erant, Christum esse filium Davidis; reformidans & intelligens errorem sceleratorum ait: Dixit Dominus Domino meo &c.* Quae responsum indicant, quod Pharisaeis Christus dedit, ut Matthaeus narrat (2). Capite XIV. ad Christum refert Esaiae prophetiam illam (3): *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me; evangelizare humilibus misit me*, quam sibimetipsi Christum tribuisse ex Lucae Evangelio (4) discimus. Denique Cap. XIX. hanc Servatoris sententiam recitat *omni petenti te tribue*, quam Evangelista (5) idem memorat. Post haec testimonia, quorum aliquot iisdem quoque verbis in nostris Evangeliis leguntur, nemo prudens Frereto assentietur, dictitanti Auctorem Epistolae, quae Barnabae tribuitur, apocrypha solum scripta novisse. Quae enim adduximus non modo hanc praesidentiam exagitant & ostendunt Apostolica Evangelia Scriptori illi vetustissimo ad manus fuisse, sed praeterea ea uti divina agnovisse atque laudasse demonstrant. Formula enim illa, quam adhibuisse vidi-

(1) III. 14.
(2) XXII. 42.
(3) LXI. 1.
(4) IV. 18.
(5) VI. 30.

mus cum exceptam e Matthaei Evangelio sententiam extulit, *sicut scriptum est*, animadversione dignissima videtur, cum eadem usi fuerint ipsi Auctores Evangeliorum, atque Judaei dum V. T. oracula ut divina certe collaudarunt. In Matthaei Evangelio aiebat (1) Christus: *Scriptum est non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Quae sententia ex Deuteronomio derivata est (2). Eodem citandi modo utitur Servator apud Marcum (3): *Scriptum est: percutiam Pastorem & dispergentur oves gregis*. Quod in Zacharia legitur (4). Judaeis, ut alia exempla praetermittam, quae ex sacris Litteris proferre facile esset, modus idem divinas citandi Veteris Instrumenti Litteras familiaris fuit. R. Aben Ezra Hispanus, qui Anno Christi 1240 circiter mortuus dicitur, eumdem usurpavit, dum exponeret quid in Jacobi vaticinio (5) nomine *Schilo* intelligendum sit: *Donec, inquit, veniat finis Schilo; nam ita scriptum est: & reiecit Tabernaculum Schilo*. Quod e Psalmo LXXVII. desumtum fuit. R. Salomon Becchai, qui floruit Anno D. 1291. sic in Pentateuchum scribit (6): *Moses magister noster fuit redemptor primus, qui regnavit super Israel, sicut scriptum est: & fuit in rectitudine Rex, cum congregarent*

(1) IV. 4.
(2) VIII. 3.
(3) XIV. 27.
(4) XIII. 7.
(5) Genes. XLIX.
(6) Fol. 73.

garent se capita &c. Id vero in Deuteronomio legitur (1). Idem Epistolae auctor, quam versamus, eadem formula capite V utitur, Esaiae oracula quaedam (2) ad Christi passionem referens. Quae cum ut divina & prophetica laudarit, sic colligere aequum est eodem modo exscriptam ex Matthaei Evangelio sententiam laudare voluisse, cum parem utrobique adhibuerit formulam, quam Apostoli, Iudaeique scriptores adhibuerunt, dum divinos & propheticos Libros citarunt. Ita manifestum esse arbitramur antiquissimae Epistolae Scriptorem non agnovisse tantum Apostolica Commentaria, sed ea etiam uti inspirata divinitus celebrasse, quod Freretus inficiatur. Legas etiam in hac Epistola non pauca, quae ad Historiam Evangelicam spectant, ut illa habenda sunt quae de aceto & felle mixto Christo exhibito, tum de veste coccinea differit, & nonnulla alia quae Auctor ex traditione acceperat. Vera Christi passio eiusque Divinitas in eadem pluribus effertur una cum aliis Christianae doctrinae capitibus. Si morosus Criticus dubitare velit, an Marci, an Lucae, an Joannis denique ille Evangelia noverit, saltem an illud Matthaei viderit prudenter dubitare non poterit, cum ex eo iisdem prope verbis sententias quasdam depromserit, & praefixo Scripturae nomine laudarit. Suspicari cum Frereto has & alias ex apocryphis Evangeliis, quae non vidimus, derivasse, est malle inani coniecturae quam oculis suis credere, cum

(1) XXXIII.
(2) LIII.

illas in Matthaei Evangelio reperiri certo certius constet. Tota igitur difficultas prima in sententia consistit *Resistamus omni iniquitati &c.* in cuius origine stabilienda nec Menardum quidem doctissimum secum habet Freretus consentientem, cum putet illa & quidem rectissime ex Traditione laudatam fuisse. Cum ea est edita Epistola non pauci adhuc supererant, qui viderant Apostolos Christique Discipulos a quibus propterea cum illius Auctor, tum ceteri Patres Apostolici divina pleraque Servatoris apophthegmata, tum alia non pauca potuerunt addiscere, quorum nullibi Evangelistae meminere. Nemo enim nisi ridicule dixerit Christum nihil aliud dixisse, nullasque alias protulisse sententias praeter eas, quas Evangelistae memoraverunt. Certe S. Joannes suum obsignaturus Evangelium testatur praeter ea, (1) quae hactenus ipse prodiderat, multa alia etiam Christum fecisse, quae si scriberentur singula, non posset Mundus libros omnes comprehendere. Quae non de miraculis tantum, quorum alio in loco meminerat Evangelista, sed de dictis sententiisque esse intelligenda scite animadvertit Fabricius (2), & Veteres Patres docent, qui plerasque Servatoris Apophthegmata conservarunt, quae postea Fabricius idem, Grabius in Patrum Spicilegio, aliique simul collecta exhibuere. Inter haec illud maxime celebratur Δόκιμοι τραπεζῖται, γίνεσθε de quo Petrus Daniel Huetius (3) & Joannes Croius (4) videantur.

(1) XXI. 25.
(2) P. I. Cod. Apocryph. N. T. pag. 321. 1719.
(3) Dem. Evang. Prop. I. num. XVII. & lib. III. Origenian. cap. I. num. 6.
(4) Observation. in Novum Foedus P. I. cap. XXVIII.

XLV. Luculenta etiam nostrorum Evangeliorum usus argumenta in Clementis ad Corinthios Epistolis habentur, etsi Freretus totis viribus persuadere nitatur non alia, quam apocrypha Evangelia sanctissimum Pontificem ad manus habuisse. Quamquam Scriptores discrepent in anno constituendo quo prima ex duabus his Epistolis scripta fuit, hoc tamen conveniunt, neque ante Martyrium SS. Apostolorum Petri & Pauli, neque post Domitiani interitum scriptam esse. Plures autem occurrunt in hac Epistola, quae principem ferme post libros Apostolorum inter primaeva Ecclesiae monumenta locum obtinet, ex Evangeliis acceptae sententiae; ex quibus haud inepte colligas eadem scripta Apostolica iam tum non Romanis solum sed Corinthiis probe cognita fuisse, & honori habita, ceu quibus non secus ac V. T. Litteris usus sit Clemens, ut Romanae Ecclesiae nomine ad eos scriberet, unde nefarium schisma convelleret, quod tunc temporis Ecclesiam Corinthiacam foedissime lacerabat. En autem quae ille ex Evangeliis nostris ad usus suos transtulit. Capite in primis XIII secundum editionem Cotelerii (1) monet Corinthios ut sermonum Servatoris memores esse velint inquiens: μάλιϛα μεμνημένοι τῶν λόγων τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, οὓς ἐλάλησε διδάσκων ἐπιείκειαν καὶ μακροθυμίαν· οὕτως γὰρ εἶπεν. *Praecipue memores sermonum Domini Jesu, quos locutus est docens mansuetudinem & aequanimitatem. Sic enim dixit: Miseremini ut misericordiam consequamini: dimittite ut di-*

(1) Tom. I. PP. Apostolic.

mittatur vobis; ſicut facitis, ita vobis fiet; ſicut datis ita dabitur vobis; ſicut iudicatis, ita iudicabitur vobis; ſicut indulgetis, ita indulgebitur vobis; qua menſura metimini, in ea menſurabitur vobis. Porro nomine τῶν λόγων τῦ Ἰησοῦ Κυρίου deſignaſſe Clementem Servatoris ſermones non viva voce, atque traditione ſervatos, ſed ſcripto traditos praeterquam conſtat ex iiſdem ab eo productis teſtimoniis, quae in Evangelio Lucae (1) leguntur, mirifice etiam id arbitror elucere ex iis quae ſequuntur; in quibus V. T. litteras ſancti ſermonis nomine appellat aiens: φησὶν γὰρ ὁ ἅγιος λόγος *ait enim ſermo ſanctus*: *ſuper quem reſpiciam, niſi ſuper manſuetum & quietum, & trementem eloquia mea?* Quae ab Eſaia depromta ſunt (2). Non ſunt minus ſplendida Evangeliorum uſus argumenta, quae ex capite XLVI peti poſſunt, nam rurſus eoſdem Corinthios ſic Clemens hortatur Μνήσθητε τῶν λόγων Ἰησοῦ τῦ Κυρίου ἡμῶν. Εἶπε γὰρ *Recordamini Verborum Jeſu Domini noſtri. Dixit enim: vae homini illi: bonum erat ei ſi natus non fuiſſet, quam ut unum ex electis meis ſcandalizaret: melius erat, ut ei mola circumponeretur, & in mare demergeretur; quam ut unum de puſillis meis ſcandalizaret*. Heic Clemens plures ab Evangeliis Matthaei, Marci, & Lucae (3) acceptas ſententias exſcribit, ſimulque iungit, quod antiquis Patribus haud inſolens fuiſſe ex Clemente Alexandrino, Tertulliano, atque aliis monumentis

(1) VI. 36.
(2) LXVI. 2.
(3) Matth. XXVI. 24. Marc. IX. 42. Luc. XVII. 2. Matth. XVIII. 6.

probat Cotelerius. Testimoniis quoque ab iisdem acceptis Evangeliis secundam sui Clemens ditavit Epistolam ad eosdem Corinthios scriptam, quam genuinum eius foetum esse Viri doctissimi, & criticae facultatis perstudiosi multi arbitrantur; neque ulla fortasse caussa est, cur in spuriis debeat numerari; quemadmodum constabit si de illa Cotelerii iudicium perlegeris. Quae igitur in ea ex Evangeliis oracula proferuntur videamus. Capite III legitur λέγει δὲ καὶ αὐτός. *Ait vero etiam ipse* Christus*: qui me confessus fuerit in conspectu hominum, confitebor ipsum in conspectu Patris mei* (1). Capite IV *Non modo igitur ipsum vocemus Dominum, id enim non salvabit nos: siquidem ait: non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, salvabitur, sed qui facit iustitiam* (2). Et post pauca*: idcirco nobis haec facientibus dixit Dominus: si fueritis mecum congregati in sinu meo, & non feceritis mandata mea, abiiciam vos, & dicam vobis; discedite a me; nescio vos, unde sitis, operarii iniquitatis* (3). Capite VI *Dicit autem Dominus: nullus servus potest duobus Dominis servire.* Si nos volumus *Deo servire & mammonae* incommodum nobis est. Nam *quae utilitas, si quis universum mundum lucretur; animam autem detrimento afficiat?* (4) Capite VIII *ait quippe Dominus in Evangelio: si parvum non servastis, quis magnum vobis dabit? qui fidelis est in minimo, & in*

(1) Matth. X. 32.
(2) Matth. VII. 21.
(3) Matth. VII. 13. Luc. XIII. 27.
(4) Luc. XVI. 13. Matth. XVI. 26.

maiori fidelis est (1). Denique capite IX *Etenim Dominus dixit: fratres mei sunt ii, qui faciunt voluntatem Patris mei* (2). Nemo, cui cor sapiat, inficiabitur quae ex Clemente protulimus oracula Scripturarum ex authenticis esse accepta Evangeliis, quum eorum pleraque quoad verba ipsosque apices in iisdem habeantur. Fuit porro tanta Veterum Christianorum in has Epistolas existimatio, ut a quibusdam sacris divinorum librorum Codicibus fuerint adiectae; tum vero in Ecclesiis diebus Dominicis publice recitatae, id quod speciatim de Ecclesia Corinthiorum testatur eiusdem praeclarissimus Antistes Dionysius (3). Nec sane dubitandum quin Viri Apostolici monita instar Legum & sacrorum Canonum Corinthiis fuerint. Quod facile probabis si animadvertas utramque Clementis Epistolam proxime post Canonicos libros, ut modo innuimus, descriptam fuisse in vetustissimo sacrorum Bibliorum Exemplari Alexandrino, quod Theclae vocant, cuius scripturam ad IV. saeculum pertinere Eruditi arbitrantur. Cur vero id contigerit, laudatissimus Praesul Franciscus Blanchinius ita indagare & explicare conatur (4): *Ut breviter enunciem*, inquit, *quod sentio, cum videam Epistolam primam Clementis ita servatam & lectam apud complures Ecclesias & in antiquissimo illo Codice Bibliorum appositam post libros canonicos una cum secunda suspicor esse signaculum, quo*

(1) Luc. XVI. 12. 10.
(2) Matth. XII. 50.
(3) Apud Euseb. H. E. lib. IV. cap. XXIII.
(4) Tom. II. Anastas. in not. ad Clem. I. pag 48. col. 2.

traditio Apostolica firmaretur de numero librorum divinae Scripturae, eorumque lectione approbata: non secus ac saeculo IV. desinente Damasi Papae litterae sacris Bibliis apponi coeperunt cum Prologo B. Hieronymi Apostolicis Damasi iussionibus obsequuti in restitutione germanae lectionis divini Textus: neque aliter ac hodie fit post S. Pium V. & Clementem VIII. Pontifices Maximos, cum approbatae lectionis editioni eorumdem litterae praefiguntur, ostendentes Catholicae Ecclesiae summum Sacerdotem tradere Fidelibus universis eos libros eamdemque lectionem, quam ipse a suis Decessoribus, istique ab Apostolis receperunt. Quare non esset mirandum, ait Vir doctus, si hanc prae ceteris Clementis I Epistolam Romanae Ecclesiae nomine ad Corinthios datam providus ille descriptor Vtriusque Testamenti in eo Codice apponendam curarit, eamque tot in Ecclesiis lectitare studuerint statim ac edebatur; nam non poterat exhiberi illustrius documentum recepti sacrarum Litterarum census, quam illud quod petebatur ab assertionibus & usu Ecclesiae Catholicae & Apostolicae, omnium praestantissima auctoritate pollentis, ac principis universarum, ita scribentis aevo illo Apostolico, quo Joannes Evangelista superstes erat. Observavit autem post Clementis Epistolarum Editores Josephus Blanchinius (1), Francisci nepos, in priore, tum alterius, quae superest, parte, testimonia produci ex singulis ferme Libris V. T. nec non ex iis N. T. partibus, quae illa aetate prodierant, cum nondum Evangelium & Apocalypsim Joannes perscripsisset. Colligunt enim,

(1) *Vindic. Canonic. Script.* pag. 2.

ait, illius primae Epistolae Editores, datam fuisse vel paulo antequam Hierosolyma a Tito expugnaretur, stante adhuc Templo, vel non ita multo post; cum Evangelium & Apocalypsim serius edidisse Joannem testentur cum S. Hieronymo Interpretes universi; illud scilicet post natam Cerinthi haeresim, hanc vero post Annum IV Domitiani. Quare ex his postremis partibus N. T. nondum editis reperiri testimonia non poterant illa in Epistola maturius scripta.

XLVI. Nihil tamen horum vidit Freretus; tantumque abfuit, ut tot sententiarum ex authenticis Evangeliis a Clemente sine dubio exceptarum luce correptus, ab eo in partes suas pertrahendo abstinuerit, ut ex laudatis potius Epistolis se ostendere posse crediderit, longe alia, quam nostra, Apostolicum illum Virum, & Romanae Sedis Antistitem praestantissimum ad manus habuisse. Secunda inquit (1) Clementis epistola testimonio quodam definit

(1) *Pag.* 9. 10. Clément, le disciple des Apôtres, cite dans ses deux lettres un passage d'une Ecriture, différent des nôtres, & qui selon M. Castelier doit être de quelque Auteur apocryphe. Ce que nous avons de la seconde Epitre de S. Clément, finit par ce passage d'un Evangile que Clement d'Alexandrie nous apprend être celui des Egyptiens: le voici: „ Quelqu'un interrogea „ le Seigneur pour lui demander quand son royaume „ viendroit. Il répondit: lorsque deux ne feront qu'un „ lorsque ce qui sera dehors ressemblera à ce qui sera „ dedans, lorsque il n'y aura ni mâle, ni femelle ci „. Jules Cassien, auteur du second siecle, cite ces mêmes paroles & nous apprend que ce fut Salomé qui faisoit cette demande.

definit atque concluditur quod ab Evangelio apocrypho desumtum est. En Romani Clementis verba (1): *Interrogatus enim a quodam ipse Dominus, quando venturum esset regnum eius dixit: cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & masculum cum femina, neque mas, neque femina*. Hoc vero ab Evangelio *secundum Aegyptios* hausisse Clementem alter Clemens Alexandrinus est auctor (2). Sed haec Freti animadversio non evertit, quod firmissime modo stabilivimus. Cum recitata a Clemente testimonia in Canonicis Evangeliis reperiantur, modo vero exscriptum desideretur, id unum ex hac citatione concludi legitime potest, laudatum Pontificem praeter Apostolica Commentaria ceteros etiam de J. C. vita dictisque compositos libros agnovisse, ex iisque propositam Servatoris responsionem explicare curavisse. Quod sine piaculo praestare potuit; quin scilicet aut apocrypha tantum novisse Evangelia, aut parem apocryphis atque Apostolicis tribuisse auctoritatem videri possit. Clementem Alexandrinum quatuor tantum nostra Evangelia non probasse uti ab Apostolis conscripta, & inspirata divinitus, amens haberetur qui dubitaret: atqui is tamen non haesitavit illud Christi responsum interpretari, ut ex his eiusdem verbis luculenter patet (3). *Propterea, ait Cassianus, cum percontaretur Salome, quando cognoscerentur ea de quibus interrogabat, dixit Dominus*: Quan-

(1) Epist. II. ad Cor. cap. XII.
(2) Stromat. III.
(3) loc. cit. pag. 465.

do pudoris indumentum conculcaveritis, & quando duo facta fuerint unum, & masculum cum femina, neque mas neque femina, *πρῶτον μὲν ἐν, ἐν τοῖς παραδεδομένοις ἡμῖν τέτταρσιν εὐαγγελίοις ὐκ ἔχομεν τὸ ῥητὸν, ἀλλ' ἐν τῷ κατ' Αἰγυπτίυς. Primo quidem, in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus hoc dictum, sed in eo quod est secundum Aegyptios. Deinde mihi videtur (Cassianus) ignorare, quod (Evangelium illud) per masculum quidem significet iram, impetum; per feminam vero cupiditatem, quae cum operata fuerint poenitentia & pudor consequitur. Quando ergo neque irae quis, neque cupiditati obsequens; quae quidem & ex consuetudine & ex mala educatione incremento accepto, obumbrant ac contegunt rationem; sed exuens caliginem, quae ex iis proficiscitur, & pudore affectus ex poenitentia, spiritum & animam unierit in obedientia rationis, tunc, ut ait Paulus, non est in vobis nec masculus nec femina. Recedens enim anima ab ea forma, qua mas & femina discernuntur, traducitur ad unionem cum neutrum fit.* Similia Aegyptiaci Evangelii citantur, & exponuntur ab Alexandrino presbytero. Idem Origenem fecisse suo loco, declarabimus; nam is quoque licet quatuor dumtaxat Ecclesiae Christianae tradita Evangelia, & Commendata ab Apostolis cognosceret, quae etiam commentariis illustravit suis, non dubitavit tamen pro re nata altero Evangelio, quod *secundum Hebraeos* appellatum fuit, uti, ex eoque depromtas sententias interdum adhibere. Haec sola exempla complures Frereti argutias dissipant atque conturbant, cum iis constet Veteres Patres quamquam quatuor tantum Evangelia nostra ceu canonica noscerent colerentque, sine tamen crimine aut inscitiae nota eorum etiam Evangeliorum uti auctoritate potuisse, cum illa ab hominibus minime ma-

lis edita fuissent, tum ea continerent quae probabilem [illegible] interpretationem, tum denique propter vetustatem, rerumque [illegible] certe non contemnendam copiam repudiari non mererentur. Quae de duobus modo nominatis Evangeliis canonicis dici posse Viri eruditissimi censuere. Certe nisi rem ita sese habere constituamus, vix cuiquam credibile fuerit cum Clementem tum alios in illius Evangelii, quod *secundum Aegyptios* dicebatur, exponendis extricandisque sensibus laborasse. *Quamquam haeretici veteres*, inquit Cotelerius (1), *ad stabiliendum odium suum in nuptias, Evangelii iuxta Aegyptios testimoniis uterentur, non tamen ea talia sunt, quae non queant ad pium sensum adduci, ex sententia utriusque Clementis; ut dicta habeantur, & litteraliter; & mystice*, ὡς ἐν παραβύστῳ μυστηριωδῶς, *inquit Epiphanius, more Aegyptiaco ac de Christi regno duplici, intra nos, atque in futura vita, ubi summa erit corporis & animae unio, ubi spiritale corpus gestabimus, ubi perstantibus sexibus cessabunt sexuum officia. Profecto, si ab aliquo eorum, qui temporibus Apostolicis prohibebant nubere, compositum fuit Evangelium Aegyptiorum dictum, admodum ille virus erroris sui occultavit, qui a Viris doctissimis iuxta ac sanctissimis deprehensus non fuit, sed laudatus ac expositus. Unum affirmare possum, pseudo Evangelistam ex solemni apud apocryphorum Scriptores consuetudine imitandi canonicos libros, allusisse ad Apostoli verba Galat. III. 28. quod & innuit Clemens Stro-*

(1) In Not. ad cap. XII. Epist. II. Comment. T. I. PP. Apostolic.

mateus; *atque etiam forte ad Ephes. II.* 15. Quamquam quod hoc Evangelio Haeretici [illegible] hostes abutebantur non video cur illorum opera studioque prodiisse dici queat. Ecquae enim est vel sanctior Scriptura, quam ad firmandos errores pertrahere insanus tuendae haeresis furor non dubitarit? Non videtur ergo iure Romanum Clementem culpari posse, si exceptam ex Evangelio illo Aegyptiorum sententiam conatus est explicare. Quae interpretatio si integra ad manus nostras pervenisset constaret fortasse eiusdem Pontificis illo de Evangelio iudicium atque sententia, eo modo quo compertum habemus, alterum Clementem idem Aegyptiorum Evangelium ab iis apertissime secrevisse Apostolicis Commentariis, quos Ecclesia alumnis suis tradidisset. Sensisse eadem & scripsisse etiam Romanum Clementem non immerito suspicari fas est; nam quis facile sibi persuadeat Romanum Pontificem, & Apostolorum discipulum nescivisse quosnam hi libros conscripsissent, aut parem non authenticis tribuisse auctoritatem & fidem? Divino consilio factum Viri docti aiunt, ut Joannes Apostolus extremis Domitiani temporibus Romam, Tertulliano teste, perrexerit, quo testari posset, quinam libri essent Apostolici, tum suas ipsius Epistolas Romanae Sedi tradere, iam tum custodi ac promicondae sacri Eloquii a Petro & Paulo suscepti, atque sacri Scripturarum Canonis proxime claudendi cum libris dilecti a Christo Discipuli, qui Evangelii fluenta de Dominici Pectoris fonte potaverat. Nam ab Vrbe relegatus non multo post tum Evangelium tum Apocalypsim mandavit litteris. Quas partes Novi Foederis librorum postremas Romanae Ecclesiae statim fuisse concreditas cum ceteris divinis Libris colligere licet ex

Hieronymo, qui Martyrem Juſtinum & Irenaeum Apocalypſim interpretatos fuiſſe teſtatur. Cum enim hi duo Scriptores & Apocalypſeos interpretes, ut appoſite monet laudatus Franciſcus Blanchinius (1), Romae verſati ſint, & hunc poſtremum N. T. librum ita habuerint perſpectum ut illum etiam interpretationibus ſuis illuſtrarint, manifeſtum eſt collectionem integram Scripturarum Eccleſiae omnium praeſtantiſſimae ſtatim concreditam fuiſſe. Quare hoc etiam nomine eiuſdem ſuffragium & auctoritas ad internoſcendos divinos libros expetebatur, cum iam ſecundum Tertulliani ſententiam talis Romana Eccleſia haberetur, cui *totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profudiſſent*. Aegre propterea a me impetrare queo, ut Clementem genuina Apoſtolorum ſcripta aut ignoraſſe, aut parem non canonicis ac illis auctoritatem detuliſſe putem. Si teſtimonia omnia, quae ex eiuſdem Epiſtolis produximus a libris apocryphis, fabulis ſcilicet Romanenſibus, ut id nominis fere interpretatur Freretus, auctor depromſit, tantus honos nunquam iiſdem tributus fuiſſet; nunquam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, pietate & doctrina conſpicuus, primam ex illis inſigni encomio celebraſſet. De Dodwello & Millio agens Clericus, eadem fere ac Freretus de Clemente ſcribentibus, haec in eos animadvertebat (2): ***Dubitant iidem Viri docti, an non indidem hoc eſt ex incerta auctoritate librorum Apoſtolicorum factum ſit ut primaevi poſt Apoſtolos Scriptores, cum aut Evangeliorum aut Epi-***

(1) l. cit. Anaſtaſ. in Clem. I.
(2) Hiſt. Eccleſ. ad A. C. LXIX. num. V.

exorsus est Ἐπειδήπερ πολλοὶ ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι διήγησιν κ. τ. λ. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem quae in nobis completae sunt rerum: sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: visum est & mihi assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere, optime Theophile, ut cognoscas eorum verborum, de quibus eruditus es veritatem.* Non perstringit his Lucas ullo modo illorum labores, qui in J. C. rebus perscribendis sibi praeiverant, sed id innuit dumtaxat, se eorum exemplo excitatum ad idem conficiendum accessisse. Freretus tamen iusto ingeniosior, tum in Christianos primitivos iniquissimus longe alia eo in Lucae testimonio cernere sibi visus est; cumque haberet praeconceptum Christi primos Adseclas impostores & falsarios fuisse, tum Christo crucifixo, mendacibus libellis fabulisque totum Aesopum olentibus Orbem universum complevisse, quo cum Legislatoris sui famam augerent, tum proprias propagarent opiniones, illud avide arripuit, credíditque satis iis verbis indicasse Lucam sibi haud fecisse satis, qui ante se rerum a Christo gestarum parum conscii J. C. vitam scribendam suscepissent. Quae interpretatio si admitteretur, iam suspicari quis posset Evangelia Matthaei & Marci, quos ante Lucam animum ad scribendum appulisse constat, illo exordio reprehensa & improbata fuisse (1). Sed temere prorsus, & per summam iniuriam cumprimis Freretus,

(1) *Pag.* 26. C'est au sujet de la vie de J. C. que les faussaires ont le plus exercé leurs talens: à peine fut il crucifié, que les Chretiens inondèrent le public d'hi-

primis illis sanctissimis veritatis Cultoribus in re tanti momenti, unde invidia flagrasset Evangelium cum aeterna Christiani nominis infamia, crimen affingit, quod paucorum aevi insequentis fuit. Doli huiusmodi adeo a Frereto exaggerati, ut probe sciunt qui sacra in historia sunt exercitati, non quadrant in mores disciplinamque Maiorum, quorum primo saeculo nobilitata est sanctimonia; sed levitate & ignorantia hominum, & praepostero quodam Religionis studio consecutis postea aetatibus paulatim irrepserunt. Primi illi Christiani proxime a Christo edocti, atque inde ab eius Discipulis instituti omnia vera diligebant, id est fidelia, simplicia, & constantia sibi; tum vana ac falsa execrabantur, ut produnt sincera

stoires dans les quelles ils n'avoiént d'autre bût, que d'inspirer de l'admiration pour le legislateur, & d'autoriser leurs sentimens particuliers sans se mettre en peine de consulter la vraisemblance. S. Luc nous apprend que plusieurs auteurs assez peu instruits avoient entrepris de faire la vie de J. C. & il nous fait entendre, qu'il n'étoit point content des écrits qui avoient paru jusqu'alors sur ce sujet, quoique cependant on convienne que son Evangile n'à été publié qu'aprés ceux de S. Matthieu & de S. Marc. S. Ambroise, Bede, Théophilacte, & presque tous les Intérprêtes de S. Luc, assurént que cet Evangeliste n'a entrepris son ouvrage que pour arrêter le progrés des faux Evangiles qui avoient dejà un très-grand cours. Le nombre en étoit si grand, que S. Jerôme apprehendoit que la simple énumération n'augmentât trop la preface de ses Commentaires sur S. Matthieu, *enumerare longissimum est* &c.

ſincera Martyrum Acta, & quantum labore contenderis, merces huiuſmodi fallaces, & fucoſas, cum primum Eccleſia eſt conſtituta nuſquam credo apud noſtros reperias. Memoriae dumtaxat proditum eſt Aſianum quemdam Presbyterum *Itinerarium Pauli & Theclae* conſcripſiſſe; qui mendacii inde a Joanne Apoſtolo convictus & ſacerdotio exauctoratus meritas temeritatis poenas luit, ut poſt Tertullianum (1) refert Hieronymus (2); unde hoc exemplo queas Eccleſiae diſciplinam, quae fraudes atque mendacia ſemper deteſtata eſt, perſpicue cognoſcere. Plinium Iuniorem omnem nervum intendiſſe ſcimus A. C. CXII. circiter, ut aliquam in Chriſtianis noſtris antiquioribus labem deprehenderet, ſed oleum atque operam perdidiſſe eiuſdem docent ad Traianum Litterae, monumentum utique aere perennius actae ab iiſdem vitae ad verae virtutis & Religionis praeſcriptum; affirmabant ſcilicet praeter alia ſupra iam exſcripta ſolitos fuiſſe ſe *Sacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati abnegarent*: Adhibuit tormenta, ut aliquid eliceret; *Verum*, inquit, *nihil aliud inveni quam ſuperſtitionem pravam & immodicam*. Ita nempe quod vitium execrabile pro invehendo novo cultu, atque lege fugit olim lynceos hoſtium oculos, Chriſtianorum mores atque inſtituta ſpectantes, hodierni increduli & Critici poſt plurima tandem ſaecula ani-

N n

(1) Lib. de Baptiſm. cap. XVII.
(2) De Viris Illuſtr. cap. VII.

madverterunt. Haec persuadent Lucam Christianos notare non potuisse, qui in falsis confingendis Evangeliis prima illa aetate adlaborassent. Sed nec illa Evangelistae huius mens atque sententia fuit, ut mendacia & falsa de J. C. Acta eo prooemio perstringere voluerit. Patres quidem Ambrosius & Beda, imo his antiquior Origenes, a Frereto laudati Lucam conscribendo Evangelio suo manus admovisse, ut falsa ab Haereticis, inprimisque a Basilide, Apelle, aliisque conficta Evangelia refutaret, plerumque senserunt; sed cum horum heterodoxorum aetas Lucae Evangelio posterior sit, quemadmodum tota docet Historia, iam apparet quid de hac sententia pronunciari possit. Iniuria tamen huiusce Freretus meminit, cum ea non Christiani, sed haeretici ceu falsorum librorum auctores perstringantur. *Theophilactus*, inquit Maldonatus (1), *Evangelium secundum Aegyptios, & aliud quod duodecim vocabatur, intelligit. Quod ideo est probabilius, quod nec probari, nec refutari potest. Neque enim constat aut quo tempore, aut a quibus auctoribus ea duo extiterint Evangelia. Illud fere omnes affirmant Matthaeum & Marcum, qui prius scripserant, non designari, ut Origenes, Ambrosius, & Theophilactus admonuerunt. A qua sententia non quod certa mihi ratione probari posse videatur, sed quod omnibus vulgo probari videam, nolo discedere. Nam ratio illa, quae omnes pene movet Interpretes, quod Evangelista dicat* ἐπεχείρησαν, conati sunt, *fateor me non movet. Neque enim graecum verbum proprie significat temere aggredi, ut quidam interpretantur, nec id*

(1) Comment. in Evang. Lucae cap. I.

efficere conari, quod perficere non possis; sed generaliter aggredi, suscipere, manum ad opus admovere. Itaque non magis in vitio ponitur quam in laude, idque sexcentis Graecorum Scriptorum exemplis probari potest; quas quia graece scienti passim occurrent, non recensebo. Etsi fateor non solum Ambrosium & Bedam hoc loco, & D. Augustinum lib. 4. de Consens. Evangelistar. c. 8. *Latinos Auctores, sed Graecos etiam Origenem* Hom. *in hunc locum I. Eusebium* lib. III. H. E. cap. 18. *Epiphanium* Haeresi 51. *Theophylactum, Euthymium in Commentariis, & Nicephorum* lib. 2. c. 45. *ita interpretari, quasi aut temerarii aut irriti, & frustrati conatus culpam contineat.* Progreditur inde Interpres doctissimus, & loci illius, quo tantopere abutitur Freretus, hanc affert interpretationem. *Quod si iuxta propriam verbi significationem in laudem potius, quam in vitium dictum accipimus, non video cur non Matthaeum & Marcum indicari hoc loco intelligamus, quos non ut reprehenderet, sed ut laudaret Lucas designaverit, & ut eorum exemplo similem suum conatum approbaret, quod nec solus, neque primus scribere aggrediatur Evangelium. Tres enim cur scribat rationes reddere videtur, quod idem alii ante se fecerint, & liceat sibi eorum exemplo idem facere; quod res, quibus constat Evangelium, exploratas habeat; quod rem gratam & utilem Theophilo amico suo facturus sit. Certe hanc interpretationem verbum illud quod sequitur v. 3. valde confirmat* visum est & mihi. *Quo verbo eodem consilio indicat se Evangelii scriptionem aggredi, quo alii, de quibus dixerat, aggressi fuissent. Hanc enim vim habet particula illa* Et: *ipse autem non malo utique, sed bono prorsus & laudabili consilio Evangelium aggrediebatur; laudat ergo aliorum etiam consilium, non reprehendit.* Nullum revera in Lucae verbis indicium de-

prehendas, ex quo possis agnoscere Evangelistam eorum improbasse historias tanquam mendaces qui sibi praeiverant; & cum multos fuisse pronunciarit, qui Evangelium scribere sunt conati; quia plures uno erant, nec sit propterea necesse, ut magno fuisse numero intelligamus, hinc placuit nonnullis doctis viris Maldonati sententia qua in eo Lucae prooemio Matthaeum & Marcum indicatos fuisse constituitur. Quo modo perversa Frereti interpretatio convellitur, qui Lucam haud probasse eorum labores putat, qui ante se Christi historiam conscripserant, adeoque & Matthaeum & Marcum tanquam parum accuratos historicos notasse, quos ante illum constat Evangelium condidisse. Certe si mendaces eos Lucas habuit Historicos, quorum exemplo excitatus se Evangelii perscribendi munus suscepisse ait, procul dubio eosdem refutasset, nec probasset ea, quae Matthaeus & Marcus iam pridem edidissent. Quod tamen non fecisse constat. Et quî enimvero Lucas id fecisset, qui eo in prooemio supponit Scriptores illos testes oculatos fuisse eorum, quae tradiderant? Eadem docuere Viri alii perdocti, qui verbum illud Ἐπιχειρέω a Luca adhibitum rectum in sensum accipi, tum cetera pari ratione intelligi posse animadvertentes, ea in haeresi fuerunt ut crediderint Evangelistam de libellis iis minime malis locutum esse, quos Christiani primitivi conscripserant, ut rerum a Christo gestarum memoria servaretur. Horum in censu ponunt Evangelium illud *secundum Aegyptios* appellatum, ex quo decerptam sententiam Clementem I. interpretatum esse diximus. Hac in sententia fuit auctor Commentariorum in Lucam, qui sub Titi Bostrensis nomine in Biblio-

theca Patrum leguntur (1). Hunc alii veterum secuti sunt, tum recentiores inde non pauci, inter quos Hugo Grotius, qui πολλὰς illos a Luca nominatos considerans scribit (2): *Quos inter numero Aegyptiaci Evangelii vetustissimum Scriptorem, nam quae alia circumferuntur Evangelia, putidissima sunt figmenta aevi multo posterioris*. Quam opinionem admodum verisimilem efficere Eruditus Grabius postea conatus est (3). Monet Evangelium de quo dicimus a primis eius auctoribus nomen accepisse, quos Christianos Aegyptios fuisse ipse illius textus, mysticis verbis more Aegyptiorum pleraque involvens, satis indicat. Quod Epiphanius admonuit & fragmenta quae supersunt, manifestant. Cumque in antiquissima Evangelii Lucae Syriaca Versione legatur graece in *Alexandria Magna* Evangelistam hunc & Verbum Dei annunciasse & scriptis prodidisse, hinc arbitratur eumdem, quem eo consilio Evangelium scripsisse putat, ut scriptiones alias non malas licet neque mendaces, sed minus accurate, atque ordine compositas emendaret, ad idem Aegyptiorum Evangelium in prooemio suo digitum intendisse. Tum satis probabiliter explicatis, quae de Luca scriptoque ab eo Evangelio Hieronymus habet (4), hunc scilicet in Achaiae Baeotiaeque partibus Evangelium condidisse, ita de Aegyptiaco Evangelio pronunciat: *Posito autem quod verior sit Hieronymi traditio de Acha-*

(1) Tom. XIII. pag. 762. Edit. Morell.
(2) Annot. ad Prooemium Lucae.
(3) Tom. I. Spicilegii PP. pag. 31. & seqq.
(4) Praefat. Comment. sup. Matth.

ia, aut ullo alio in loco Evangelista scripserit, nihilominus cum in Aegypto eum fuisse, & Ecclesiae istic curam gessisse in antiquis monumentis memoriae sit proditum; cumque insuper certissimum sit, historiam Evangelicam isto fini ab eo litteris consignatam fuisse, ut alia quae tunc extabant ὑπομνήματα *Evangelica minus accurata, minusve perfecte scripta emendaret, ac suppleret, inter alia istud* secundum Aegyptios *tunc in ea gente extitisse haud inepte coniectare licet. Accedit quod iam Clemens Romanus, vel quisquis est auctor II. Epistolae ad Corinthios certe antiquissimus, isto Evangelio usus esse ex fragmento mox recitando colligatur, quodque alter Clemens Alexandrinus, cum a Julio Cassiano aliisque haereticis textus quidam Aegyptiaci Evangelii contra Matrimonium allegarentur, istud quidem haud in canone esse monuerit, nec tamen reiecerit, quin potius ex obscuris & durioribus verbis planum commodumque sensum reddere conatus fuerit, id minime facturus, sic ex male sano cerebro, vel manibus haereticorum primo prodiisset.* Praeter hoc Evangelium, alterum etiam, quod *iuxta Hebraeos* dictum fuit, a Luca designatum fuisse idem Grabius putat, congruam Patribus Hieronymo & Origeni, qui utrumque Evangelium inter haereseon principia retulerunt, explicationem adhibens, & interpretationem. Unum modo ex dictis colligi posse arbitramur nullius criminis Clementem I. incusandum esse dum sententiam quamdam ex Evangelio Aegyptiaco depromtam explicavit, quasi scilicet aut apocrypha solum noverit, hoc est fabulosas de Christo historias, aut scripta non canonica pari veneratione exceperit, quo Apostolica & canonica excepisse compertum est.

XLVII. Fidenter id quidem pronunciat Freretus, & disputationem confusissime instaurans persuadere ni-

titur cum Clementem, tum alios Apostolicos Patres non aliis fuisse Evangeliis usos quam iis quae insequens aetas repudiavit atque contemsit. Argumentum, quod ex conformitate ducimus textuum, qui in eorum Epistolis recitantur, cum sententiis Evangelistarum, nullius esse momenti arbitratur, cum illos a scriptis apocryphis acceptos fuisse sit verisimile, quae Evangeliis nostris pleraque consentanea complectabantur (1). Tum esse incertum statuit an

(1) *Pag.* 12. *& seqq.* La confiance, avec laquelle parlent les defenseurs de la religion Chretienne, viens sans doute de ce que les Péres du premier siecle alleguent quelquefois des passages qui sont assez conformes à ce que nous disons dans nos Evangiles, mais il ne s'ensuit pas qu'ils les aient connus, & il y a plutôt lieu de croire, qu'ils sont tirés des livres apocryphes, dans lesquels il y avoit plusieurs des sentences qui se trouvent dans les Evangiles qui nous restent. Il est même incertain si la plûpart des axiomes de J. C. répétés par les premiers Péres, sont tirés de quelques livres, ou si ce sont des sentences de J. C. qui se sont retenues de vive voix, & qui ont été transmises aux disciples par le canal de la tradition. Mais supposons, que ces paroles de J. C. aient été prises dans quelque Evangile, on n'a aucune raison de décider que ce soit dans les nôtres, plutôt que dans ceux que nous avons perdus. Les plus anciens Péres, comme on l'a dejà remarqué, disoient & alléguoient fréquemment les livres apocryphes, or il est constant qu'il y avoit dans ces ouvrages de mensonges plusieurs choses conformes à ce que nous lisons dans nos Evangiles, & même en propres termes. C'est ce qu'il est facile de démontrer par le cinquieme chapitre de la seconde Epître de Clément, pag. 185, où on lit les paroles, sui-

potior J. C. dictorum pars, quorum veteres meminere Patres, ex libris editis fuerit depromta, an vero traditionis beneficio ad posteros propagata. Quamquam etsi concedatur, inquit, verba illa Christi Domini ab aliquo excepta Evangelio fuisse, nulla tamen ratio suppetet definiendi ex nostris potius, quam ex deperditis Evangeliis fuisse depromta. Patres vetustiores, addit, & legerunt, & frequenter apo-

vantes: *Ait enim Dominus* &c. Tout le monde convient que ces paroles sont tirées de quelques livres apocryphes; il est constant, que cette conversation de J. C. & de S. Pierre n'est point dans nos Evangiles: le sens s'y trouve cependant *Ecce ego mitto vos*, &c. Quoique le cinquieme chapitre de la seconde Epître de Clément ait beaucoup de rapport avec quelques endroits des Evangiles de S. Matthieu & de S. Luc, il est cependant constant, qu'il n'en est pas tiré, de même, quoique Barnabé & Polycarpe employent quelques termes semblables à ceux des Evangiles, on ne peut pas prouver qu'ils les aient connus; car quelque ressemblance qu'il y ait entre les textes de ces Péres & les Evangiles, il n'y en a pas davantage qu'entre la conversation de St. Pierre avec J. C. qui est dans Clément, & qui n'est certainement pas tirée des Evangiles, & les passages paralleles de S. Matthieu, & de S. Luc, que nous avons rapportés. On peut faire la même réflexion à l'occasion du huitieme chapitre de la seconde Epître du même Clément; il cite ce discours de Jesus d'après un Evangeliste qu'il ne nomme pas *ait quippe Dominus in Evangelio*, &c. Ces dernieres paroles se trouvent dans S. Luc cap. 16. ℣. 10. Cependant ce n'est pas cet Evangeliste que S. Clément avoit en vue, puisque le commencement de la citation ne s'y trouve point,

apocrypha citarunt: at firma constansque opinio est mendaces hosce libellos pleraque & quidem iisdem verbis continuisse consentanea & similia iis, quae nostra Evangelia complectuntur. Quod probari facile posse sibi persuadet ex capite V. secundae Epistolae ad Corinthios eiusdem Clementis I. in quo haec leguntur: *Ait enim Dominus: eritis sicut agni in medio luporum. Respondens autem Petrus dixit: si ergo lupi agnos discerpserint? Dixit Jesus Petro: ne timeant agni post mortem tuam lupos, & vos nolite timere qui occidunt vos, & postea nihil possunt vobis facere; sed timete eum qui postquam mortui fueritis habet potestatem animae & corporis mittere in gehennam.* Hisce recitatis omnium unam esse sententiam ait Freretus ex libris apocryphis haec Clementem accepisse, etsi eorum sensus nostris in Evangeliis habeatur. Idem esse ferendum iudicium de textibus arbitratur, qui in Barnaba & Polycarpo leguntur, idem dicendum de iis, quae ex eiusdem Clementis Epistola secunda capite octavo supra decerpsimus

Oo

---

point, & qu'elle doit avoir été tirée en propres termes de quelque Evangile. La conformité de quelques passages des anciens Péres ne prouve donc pas que ces premiers Auteurs l'aient voulu citer lorsqu'ils écrivoient; il seroit bien suprenant qu'ils eussent connu nos Evangelistes sans en avoir jamais parlé. Le silence dont le savant Dodwell (sur saint Irenee p. 67.) est convenu, depose d'autant plus contre l'ancienneté des Evangiles qui nous restent, que les Péres en ont connu & cité d'autres que le mepris des siécles suivant a fait disparoître, &c.

ait quippe Dominus in Evangelio si parvum &c. Postrema quidem huius J. C. sermonis verba in Luca reperiri concedit: *Qui fidelis erit in minimo & in maiori fidelis erit*; sed longe diversum Evangelium prae oculis habuisse Clementem putat, cum initium prolati ab eo sermonis in Lucae Evangelio neutiquam reperiatur. Hinc textuum sententiarumque, quas exscripsere Patres, cum Evangeliis nostris conformitatem haud probare posse concludit voluisse eos eadem laudare; eo vel maxime quod nostrorum nunquam meminerint Evangelistarum, neque ex eorum scriptis quidquam suas in Epistolas transtulerint, ut Dodwellus dissertatione in Irenaeum prima constituit. Quo has omnes Frereti observationes refellamus, atque eam maximam illis eripiamus firmitatem, quam eisdem plerique liberaliter admodum concessere, dicimus inprimis, rectissime Religionis Christianae Apologistas, quos immerito lacerat Freretus, ex illa textuum conformitate deduxisse Apostolicos Patres authenticis fuisse usos Evangeliis; optime enim noverant, quod Freretus, quod alii increduli aut ignorarunt, aut se nescire simulaverunt, Patres nimirum ex memoria plerumque sacras laudasse Litteras, tum iis, sensus magis quam verborum sollicitos, aut paraphrasis uberiorisque explicationis gratia addidisse quaedam interdum, aut quaedam brevitatis gratia sensu servato detraxisse. *Ad citationes quod attinet*, inquit Joannes Clericus (1), *duo sunt animadvertenda, nimirum saepe Veteres ex memoria loca recitare; quo fit ut synonima synonimis facile substituant,*

(1) Art. Critic. vol. II. pag. 391.

& in ordine verborum nonnihil mutent. Deinde eos saepe sensum quam verba proferre. Itaque varietas citationum non potest semper urgeri, quasi varietas lectionis, quae esset in Codicibus, quibus veteres utebantur. Et in *Bibliotheca Selecta* eiusdem varietatis caussas commemorans (1) putat esse difficillimum ex diversis lectionibus, quas antiqui PP. suppeditant, aliquid statuere, cum ipsi Scripturam plerumque *tumultarie* ac *memoriter* vel accommodandi caussa recitarent. Quibus illius aetatis genium accedit, MSS. quae rara erant, & angustiae, queis Viri sanctissimi vexabantur, quaeque raro concedebant, ut sacras N. T. paginas, quas consulerent, inter scribendum paratas haberent. Eamdem citandi rationem in Patribus agnoscit Joannes Morinus citationum, quas ipsi divina referentes oracula suis in libris fecere, a sacro Bibliorum textu discrepantiam hisce etiam caussis adscribens (2); quod scilicet *memoriter describentes dictionem dictione aequipollente permutaverint; aut sensum eadem memoriae caussa, de verbis parum solliciti, quod tamen raro admodum contingit, sectati fuerint; vel quod verbis suis verba Scripturae inserentes, dictionem numerosque, ut reliquo contextui accommodarentur, nulla sensus iactura mutaverint; vel quod sententiam aut periodi membrum, quoniam ad caussam nihil conduceret, brevitatis caussa omiserint, quod sane ab Ecclesiasticis tractatoribus & antiquis & neotericis quotidie praesta-*

Oo 2

(1) Tom. XVI.
(2) *De Heb. Graecique Textus sinceritate* lib. I. Exercit. 9. cap. 4. n. 2.

tur. Natalis Argonensis de methodo pertractans, a Patribus in laudandis sacris Litteris servata, haec ad rem nostram scribit (1): *Quam levis momenti sit accusatio in Ecclesiae Patres conflata de falsa sacri Textus prolatione eiusque verborum mutatione, vel una invicte persuadet Veterum Scriptorum consuetudo, quibus familiare fuit, ac receptissimum loca ex antiquioribus Auctoribus, ut eis in mentem venit, proferre, nulla verborum, sed sola sensus habita ratione. Eccur enim id non praestiterint Patres, quod in proferendis Scripturis facere consueverunt Apostoli & Evangelistae? Ut enim ait Hieronymus* (2): in multis testimoniis, quae Evangelistae vel Apostoli de libris veteribus assumserunt curiosius attendendum est, non eos verborum ordinem secutos esse sed sensum. *Scripturas aliquando Patres amplificant paraphrasi, quandoque contrahunt; ut plurimum vero non iisdem referunt, sed similibus verbis, quibus tamen illarum sensus pateat, ac magnopere illustretur*. Unde admonuit *Vindiciarum Hebraicae Veritatis* auctor (3), ubicumque sacri Scriptores sive a LXX. Interpretum, sive a textu Hebraico discrepant, generalem hunc canonem tenendum esse, *Apostolos & Evangelistas in citandis Scripturae testimoniis sensum spectare, non verba numerare, utpote de quibus nec admodum solliciti fuerunt, nec esse debuerunt, cum rei veritas non in verbis consistat sed in sententiis. Hinc verba quandoque alia substituerunt, menti suae ex-*

(1) *De Optima legend. Ecclesiae PP. Methodo*. P. I. cap. X. latin. edit.

(2) In cap. VII. Esaiae & alibi.

(3) P. II. cap. III. pag. 444.

primendae accommoda. Interdum etiam quaedam de suo ut Interpretes addiderunt ad illustrandam sententiam. Eadem sentit Sabathierius, eadem alii, qui uno ore confirmant Patres Apostolicos in citandis sacris Litteris morem secutos fuisse, quem ipsi Apostoli tenuerunt. Et vero cum illi etiam non tractatus, sed pias fere ad Christianos Ecclesiasque scripserint Epistolas, quibus illos in suscepta fide confirmarent, necesse non erat, ut exactissime atque ad verbum prorsus sacrarum interfererent oracula Scripturarum, quas memoria etiam non pauci Christianorum tenebant, quasque sacris in coetibus lectitari frequentissime audiebant. Et quoniam morem exposuimus, iuxta quem Patres Scripturas citarunt, ut Clementem I. praecipue tueremur, ex quo maiora praesidia opinionis suae Freretus petiit, ideo operae pretium fuerit ostendere eidem methodo eumdem inhaesisse; nempe varia simul Scripturarum loca iunxisse, eodemque modo denique se gessisse quo alii Patres aevi insequentis, imo quo antea auctores Evangeliorum. Apparet id in capite III. primae eiusdem ad Corinthios Epistolae, in quod plura Deuteronomii commata in hunc modum contulit: *Omnis gloria, & distensio data est vobis, & impletum est illud Scripturae edit, & bibit, & dilatatus est, ac incrassatus, & recalcitravit dilectus.* Ad quae Fellus Oxoniensis annotabat: *Hoc autem loco semel observetur Clementem in laudandis sacris Scripturis Apostolos imitatum, qui subinde sensa magis quam verba reddebant, nec id quidem distincte & seorsim, sed permixtim, & quasi per spicilegium decerptis suffragiis, nec adeo ab Hebraeis fontibus, quam LXX. Interpretum profluente minus fortasse limpido, sed magis accommodo omnibusque exposito, hausisse.* Eo modo vir Apostolicus Apostolorum ve-

ſtigia legebat, quibus mos fuit eadem uti citandi ratione, quin dubium ullum reliquerint an ſacros ad Libros alluderent quos etiam nunc habemus, & quorum iamdudum ſacroſancta auctoritas habebatur? Qua de re ſi quis haereret anceps, percurrere eum oporteret locorum catalogum V. Inſtrumenti in Novo citatorum, eoſque cum Hebraicis, aut Graecis etiam ſeptuaginta Senum textibus conferre, ut admonebat Fellus, cuius ſenſus pluribus explicavit illuſtravitque Joannes Clericus ad eumdem Clementis locum haec animadvertens: *Brevis hic locus complectitur ſummam trium integrorum commatum Capitis XXX. Deuteronomii. Haec eſt conſuetudo Clementis & plerorumque poſt eum Patrum proferre verba Scripturae non verbo tenus, quemadmodum erant concepta, cum exiſtimarent Scripturae auctoritatem tantam eſſe apud Auditores & Lectores, ut ſatis eſſet adhaerere verae eorum ſententiae & conſilio; quamvis ipſa eorum verba non proferrent, ſed uterentur interdum non quidem diſſentientibus quamvis eadem non eſſent* ῥητῶς καὶ αὐτολεξεί. *Juriſconſulti nos docent L.* 17. *D. de legibus* ſcire leges non eſſe verba earum tenere ſed vim & poteſtatem. *Si hoc ſatis eſſe non videatur ad Patres excuſandos, ipſi Apoſtoli (quorum maxime exempla ſequi nos decet, & quibus maxime nos tueri poſſumus) ſic ſine controverſia ſcripſerunt; ut Junius recte ad hunc Apoſtolicum Scriptorem adnotavit, & quivis novit qui V. T. citationes in Novo non indiligenter contulit. Illi etiam eadem auctoritate freti ſententiam aut* περιοχὴν *integram conficiunt ex pluribus locis Scripturae, quaſi in una orationis ſerie coniunctim invenirentur. Sic & ipſe D. N. J. C. Matthaei XXI. 5. ſe geſſit, ubi profert verba*: Dicite filiae Sionis, en Regem tuum ad te venientem & inſidentem aſinae & pullo filio ſubiugalis. *Priora*

enim verba dicite filiae Sionis *desumta sunt ex Esaiae LXII.* 11. *posteriora vero inveniuntur Zachariae IX.* 9. *Quae observatio erit veluti* προθεραπεία, *quae satis sit ad parandum, vulgarem lectorem minus peritum, impediendumque ne perturbetur, si invenire nequeat loca omnia citata, quae hic in sequentibus proferuntur, consentanea Bibliis, quae nostris manibus teruntur. Quod nisi quis animadverterit* fieri non potest quin impingat, *ut ait vir eximius Daniel Heinsius Exercitat. Sacrar. lib. III. cap. IV.* Cum igitur Clemens in more positum habuerit Sacras litteras ita laudare, ut ex pluribus textibus diversis e libris locisque sumptis unam veluti sententiam sermonemque conficeret, iam constare arbitror sermonem illum J. C. & Apostolorum Principis, cui tantopere Freretus fidit, quemque in exemplum adducit, ut de aliorum Patrum citationibus iudicium fiat, non aliis quam Apostolicis & authenticis Evangeliis acceptum esse, cum eiusdem sensus, non diffitente ipso Freteto, in iisdem reperiatur, ut Evangelistarum Matthaei & Lucae verba, ex quibus illum confecit, id manifestissime declarant: *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum* (1): *ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos* (2): *nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest animam & corpus perdere in gehennam* (3). *Dico autem vobis amicis meis ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post haec non habent amplius quid*

---

(1) Matth. X. 16.
(2) Luc. X. 3.
(3) Matth. X. 28.

faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timete. Abundant quidem eadem in sermocinatione, ita uti a Clemente profertur, pauca illa verba *Respondens autem Petrus dixit: si ergo lupi agnos discerpserint &c.* quae tamen nemo non facile agnoscat explicationis, sive argumentationis gratia adiecta esse; nam cum cetera in laudatis Evangeliis singula reperiantur, absurdum fuerit ex libris apocryphis, quos nullus hominum vidit, accepta esse ariolari. Eodem modo protulit quae ex Veteri Testamento laudavit oracula; nec fuit tamen quisquam imperitus adeo rerum, aut tam insigniter impudens, qui crediderit aliis ex fontibus eadem hausta esse. Alium Clementem in laudandis e V. Testamento sacris Oraculis, alium in Novi Foederis libris citandis tenuisse morem nemo suspicetur. Utrasque litteras eodem modo citavit, & quidem varie cum easdem sententias repeteret, quod cum invictissimum suppeditet adversus Freretum argumentum exemplo confirmare necesse est. In prima Epistola Capite XII. haec habet: *Longe a nobis sit Scriptura illa, ubi dicit: miseri sunt, qui animo sunt duplices, & incerti, qui dicunt: haec audivimus etiam a Patribus nostris, & ecce consenuimus, & nihil eorum nobis accidit.* Tum easdem sententias secunda in Epistola capite XI. recitans ita profert: *Dicit enim sermo propheticus: miseri sunt, qui animo duplices, & corde incerti sunt; quique dicunt: haec omnia audivimus etiam a Patribus nostris, nos vero diem de die exspectantes, nihil horum vidimus.* Quae Clementem utriusque T. litteras eodem modo laudasse, & quidem sensum magis, quam verba expromere curavisse monstrant. Videtur in recitatis testimoniis ad

illa

illa S. Petri verba respexisse (1) *Dicentes, ubi est promissio, aut adventus eius? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae*; tum ad Ezechielis altera (2) *Fili hominis, ecce domus Israel dicentium: visio quam hic videt in dies multos, & in tempora longa iste prophetat*. His animadversionibus cetera per se corruunt, quae Freretus attulit ut Clementi ceterisque Patribus Apostolicis non Evangelia nostra sed apocrypha tantum cognita & probata fuisse persuaderet. Si sententiam illam demas, quam Clemens ex Evangelio Aegyptiaco laudavit, alteramque fortasse quam ex Evangelio *secundum Hebraeos* dicto depromsit Ignatius Martyr, ut dicetur, nihil falsius a Frereto potuisse dici intelliges, quam Apostolicos Patres solum apocrypha frequenter confidenterque citasse. Duo illa Evangelia mendaces fabulosaeque Scriptiones non erant, neque sunt cum apocryphis Evangeliis iis confundendae, quae Haeretici, aut alii procuderunt, quaeque Patres semper contemsere. At duobus ex locis, quae Patres ab Evangeliis non canonicis accepere, concludere eosdem apocrypha solum agnovisse Evangelia, non Apostolica est res velle calumniando pervertere. Plura Barnabam & Clementem ex nostris Evangeliis accepisse vidimus, idemque Polycarpum & Ignatium fecisse demonstrabimus. Iniuria obtruditur omnia haec Patrum loca aut ex iis apocryphis, aut ex traditione laudata

(1) II. Petri III. 3.
(2) XII. 27.

fuisse. Scriptores veteres, quibus apocrypha Evangelia praesto fuerunt, rem veluti singularem narravere, quod semel Clemens Evangelio *secundum Aegyptios*, semel Ignatius altero *secundum Hebraeos* usus fuerit. Si cetera quae iidem protulerunt, Oracula Scripturarum, & quae nos ab Apostolicis Commentariis derivasse contendimus, aut in his duobus Evangeliis, aut in aliis apocryphis lecta fuissent, pari ratione antiqui illi Scriptores meminissent; id vero cum non fecerint, satis declararunt praeter duo testimonia a non Canonicis Evangeliis accepta, cetera ex genuinis, probatisque ab Ecclesia profluxisse. Si Frereto certo certius est Clementem & Ignatium apocrypha citasse Evangelia, quia loca duo ab his prolata in iis reperiuntur, cur aeque non constabit canonica etiam novisse, cum plurima ab iis laudata oracula in his clarissime reperiantur? At fieri potuit ut haec etiam apocrypha continerent. Sed an ex eo quod fieri potest, argumentari eo modo licet? Quid certum erit in antiqua historia, quidve non fingetur, si satis sit dicere quidpiam posse fieri ut verisimile videatur? Paucae fabulae reiici poterunt, atque contemni, si satis sit eas potuisse contingere, ut admittantur quasi non absimiles vero; quemadmodum simili in caussa Dodwellum olim Clericus urgebat. An similes sententiae in apocryphis Evangeliis legerentur me nescire fateor; nec magis Freretus sciet; hoc unum compertum habeo reperiri eas saltem quoad sensum in Evangeliis Canonicis; quod cordato prudentique viro satis esse debet, ne aliis ex libellis profectas suspicetur. Traditione fuisse conservatas aeque falso contendit Freretus. Si id de iis sententiis testimoniisque sensisset, quorum in Evangeliis neque vola neque vestigium

reperitur, nihil iam esset quod posset eius in adfirmatione reprehendi, sed cum iniquam suscipionem omnes ad textus extenderit, quorum aliquot iisdem pene verbis in Evangeliis legas, ceterorum autem vim atque sensum evidenter in iisdem perspicias, merito confidentia hominis tanta contemnenda est, & repellenda. Scripto tradita oracula se laudare Patres haud obscure monuere iis loquendi formulis *Ait Dominus in Evangelio*: *Sicut scriptum est*: *Alia quoque Scriptura ait*; tum longis J. C. sermonibus, quos ex traditione non fuisse recitatos, cum eorum plerumque prolixitas, tum insignis cum Evangelicis sententiis conformitas ostendit. Videtur autem incredibile Frereto (1) Patres Apostolicos Evangelia nostra novisse, nec tamen ullibi Matthaei & Marci, tum Lucae ac Joannis meminisse. Sed vero longe mihi incredibilius apparet, virum Eru-

(1) *Pag.* 11. C'est une chose digne de grande attention, que quoique les premiers Péres fassent fréquemment usage des faux Evangiles, jamais ils ne nous parlent de ceux qui nous restent. Matthieu, Marc, Luc, & Jean ne sont cités ni dans Barnabé, ni dans Clément, ni dans S. Ignace, ni enfin dans aucun des écrivains des premiers siecles.... Saint Justin est le premier de ceux qui nous restent qui ait eu connoissance des quatre Evangelistes que nous avons entre les mains. Ce que l'on avance ici est un fait dont il est aisé de se convaincre par la lecture des Péres Apostoliques; ce qui fait voir combien il faut se défier de la bonne foi ou de la ctitique des Apologistes de la religion Chrétienne. Il semble en les lisant que les premiers Peres ont rempli leur écrits de citation des nos Evangelistes, &c.

ditum id argumenti saepius urgere non dubitasse, quod vereor tamen ne latius pateat, quam idem velit. Certe si illud obtineret, concludendum esset quamplurima Oracula quae in Evangeliis e Veteri desumta Testamento leguntur, tum alia pleraque, quae Justinus, Irenaeus, aliique Patres ex utriusque Instrumenti litteris certissime decerpserunt, ab apocryphis accepta esse, cum fere nullibi Auctores citentur, sed horum nominibus silentio pressis, tum servato sensu sententiarum, oracula legantur Scripturarum. Ut ergo contra Canonem librorum V. T. ex hujusmodi silentio nihil posse colligi Fretus necessario fateri debet, nisi velit innumera apocrypha V. Testamenti arbitrio suo fingere & omnia susdeque commiscere; ita etiam ex silentio Patrum Apostolicorum nihil adversus Novi Foederis libros, horumque publicam lectionem & usum erui potest. Paucae nobis supersunt Patrum Apostolicorum Epistolae; quarum ea natura est, ut locorum scriptorumque citationes non postulet, si ii praesertim, ad quas mittebantur, sacri libri perspecti satis essent & explorati. Si Evangeliorum scriptoribus, si saeculi secundi alteriusve aetatis auctoribus Ecclesiasticis licuit sacras paginas quoad sensum tacitisque Auctorum nominibus proferre, non satis video cur Patribus Apostolicis non licuerit eamdem methodum adhibere. Quamquam quo tuus te aestus rapit Frerete, ut auctorum nomina prorsus a Viris sanctissimis doctissimisque postules, unde Apostolica novisse commentaria constet? Cum apocrypha Evangelia agnovisse velis quorum tamen & nomina & auctores reticuere atque id extra controversiam esse positum tuearis, cur id negas quod tale revera est, atque Evangelistas fuisse iisdem incognitos temere

imprudenterque contendis, quia tacitis illorum nominibus sententias tantummodo protulerunt? Sed ne id quidem verum est, quod tamen tanta osservatione esse verissimum arbitraris; nam docebimus te alios praeter Justinum, & quidem isto apertius nostra Evangelia habuisse comperta, eorumque Auctores, quod adeo tibi cordi est, propriis nominibus appellasse. Quod hac in re tecum habeas, Dodwellum consentientem, nihil moror. Nam hoc homine nihil in hoc genere confidentius fuit, cuiusque propterea coniecturae eo minus faciendae sunt, quo magis sunt plenae ineptiarum. Et quid enimvero ea opinione, & coniectura ineptius esse potest, qua factum est, ut statui oportere putaverit Apostolorum scripta in latebris delituisse, donec seniorum nescio quorum testimonio, imperante demum Traiano honorem Canonis meruere? Quid falsius quam Justinum omnium primo quaternarium numerum Evangeliorum suobscure, tum neminem clare antè Irenaeum indicavisse? Nonne Eusebio teste Papias Hierapolitanus Antistes, Joannis Evangelistae auditor, sodalis Polycarpi Matthaei & Marci Evangelia authentica habenda esse declaravit, Auctorum nomina protulit, & caussas scriptionis illorum explicavit? Quid? an quia paucissima nobis supersunt primi Ecclesiae saeculi monumenta fas erit asserere Justinum atque Irenaeum omnium primo Evangeliorum numeri meminisse, atque haec ad Traiani usque tempora spuriis mendacibusque libellis fuisse commixta? Quamquam Justinus cum Evangelia partim ab Apostolis, partim vero a Christi discipulis conscripta fuisse dixerit, tum sententias plurimas laudarit, quae solum in Evangeliis ab Ecclesia receptis invenias, non obscure certe quaenam & quot essent authentica Evangelia

significavit. At vero haec ad Traiani usque tempora non latuisse Barnabae, Clementis, atque Ignatii Epistolae docent, in quibus testimonia ex iisdem accepta laudantur; docent animadversiones plurimae, quibus (1) uterque Basnagius, Joannes Clericus, & alii Dodwellum exagitarunt, docet denique Eusebius Caesareensis, cuius insigne testimonium totam huiusce confidentissimi Scriptoris hypothesim evertit. Is namque Ignatii enarrato martyrio, memoratoque Quadrato & Philippi filiabus, ita pergit (2): *Praeter hos alii quoque complures eodem tempore viguerunt, inter Apostolorum successores principem locum obtinentes. Qui utpote Discipuli tantorum virorum admirabiles plane ac divini Ecclesiarum fundamenta, quae variis in locis Apostoli prius iecerant, additis aedificiis extruxerunt: praedicationem Evangelii magis ac magis promoventes, & salutaria Regni coelestis semina per universum terrarum Orbem late spargentes. Siquidem illius temporis discipuli, quorum animos ardentioris philosophiae desiderio verbum divinum incenderat, Servatoris nostri praeceptum iam antea expleverant, divisis inter egentes facultatibus suis. Deinde relicta patria peregre proficiscentes, munus obibant Evangelistarum iis, qui fidei sermonem nondum audivissent, Christum praedicare, & Sacrorum Evangeliorum libros tradere ambitiose satagentes.* Recte Clericus observat (3), Evangelistas hoc loci

---

(1) Samuel Basnagius *Annal. Politico Eccles.* ad A. D. 115. Dissert. IX. num. XVII. & seqq. Jacob. Basnag. *Histoire de l'Eglise* liv. VIII. chap. IV.
(2) H. E. lib. III. cap. XXXVII.
(3) Dissert. III. Harm. Evang. subiecta.

ab Eufebio laudatos inter difcipulos Apoftolorum & quidem eximios effe numerandos quemadmodum Ignatius, Quadratus aliique eodem numero habentur; cum principem locum inter fucceffores Apoftolorum tenuiffe Hiftoricus ille fcribat. Exiftimandum propterea eft primo faeculo vixiffe, cum intra id tempus Apoftolos omnes obiiffe recepta fententia fit, & ante tempora Traiani, ad cuius annum fecundum Joannes folus maxime longaevus vitam produxiffe dicitur. Sed & cetera ab Eufebio de Evangeliftis iis commemorata indicant non de recentioribus, ut Dodwellus credit, fed de antiquiffimis fermonem effe, qui diu ante reportatas a Traiano de Parthis victorias Gentes plurimas Chriftianam doctrinam edocuere iifque libros Evangeliorum impertiverunt.

XLVIII Ex his, quae hactenus edifferuimus, ut Clementem I. Apoftolica noviffe Evangelia tueremur, fatis conftat poffe iam nos tuto Ignatii, & Polycarpi pro eadem re fuffragia advocare, eofque etiam ut teftes citare Apoftolicae originis Evangeliorum, quod Freretus nollet. Atque ut ab Ignatio exordiamur, quanta viri auctoritas fit vix quemquam ignorare puto. Conftat ipfum audiviffe Apoftolos, atque ex puriffimis hifce Chriftianifmi fontibus doctrinam illam haufiffe, quam eius in genuinis Epiftolis fufpicimus & miramur. Accedit eximia viri dignitas, qua non modo Apoftolorum difcipulus, fed eorum infuper iudicio fit probatus, ut Antiochenae ideft omnium quae apud Gentes erant Ecclefiarum antiquiffimae, ad haec ob Civitatis in faeculo amplitudinem atque praeftantiam nobiliffimae, praefici meruerit. Quid de eius poftremo Martyrio dicam, quod paucis poft Joannis Evangeliftae

obitum annis Romae fecit; quo opere nihil unquam apud nostros excellentius, aut praeclarius habitum fuisse scimus? Quam is vero apertissime caussae nostrae faveat, Freretum ipsum agnovisse ex eo suspicor, quod septem eius genuinas Epistolas in νοθείας suspicionem vocare non dubitaverit, atque illas a Criticis peritissimis, & quidem gravissimis de caussis momentisque reiici impudenter & falso affirmarit. Nisi comperisset Freretus virum Apostolicum genuina Apostolorum commentaria prae manibus habuisse, rem testatissimam pervertere non esset aggressus; nam hominis, qui sibi proposuerat ostendere Patres Apostolicos summa in ignoratione versatos fuisse Evangeliorum, e re potius fuisset illarum Epistolarum authenticitatem totis viribus propugnare, ex iisque conficere, quod temere susceperat. Tentavit id primum, sed paucos assensuros sibi iure timens eo demum confugit, ut insignes Criticos Ignatii Epistolas uti spurias aspernari scriptitarit (1). Quam sententiam ne ii quidem, qui primis, ut aiunt, labris sacra haec studiorum genera degustarunt, conclamatam iam esse, extinctamque iacere ignorant. Quotusquisque enim est non Hypercriticorum quidem (nam Blondellos, Dallaeos, Salmasios,

(1) *Pag.* 37. Secondement, que celles qui sont regardées comme étant de S. Ignace, par le plus grand nombre de critiques, sont rejettées par de très-habiles gens, sur de fondemens très-graves. Elles avoient tellement été altérées il y a plusieurs siecles qu'il n'étoit pas possible de reconnoître ce qui y avoit été ajouté &c.

fios, Larroquanos Epiſtolas VII. non interpolatas Ignatii ab Uſſerio primum, tum a Voſſio e Mediceo Codice Graece editas, explendi ſui in Romanam Eccleſiam odii cauſſa, genuinas eſſe aut negantes, aut in dubium vocantes, nihil moror) ſed Criticae facultatis peritorum ut Cotelerii, Coutantii, Noury, Tillemontii, exque Proteſtantibus Pearſonii, Hammondi, Beveregii, Felli, Dodwelli, Joannis Alberti Fabricii, ſexcentorumque aliorum, qui ſeptem ipſas Epiſtolas Ignatii Euſebio Hieronymoque probatas, non eſſe ab Antiocheno Epiſcopo perſcriptas confiteatur? Ac ſatis quidem eſt ut Vindicias a Pearſonio confectas conſulas, ut pernoſcas nullum opus γνησιώτερον Epiſtolis iiſdem eſſe. Neque enim quemquam φιλαληθῆ, qui in hoc genere litterarum vel mediocriter verſatus ſit, de Epiſtolis illis tantillum dubitare facient ſophiſticae obſervationes quas in Pearſonium Larroquanus edidit. Fruſtra omnino vir iſte diſperſos, & profligatos Dallaei ſui ordines reſtituere, atque inſtaurare niſus eſt. Quare eo in iudicio, quod Freretus tulit, non Criticum hominem, non doctum, ſed temerarium & cauſſae ſuae diffidentem licet agnoſcere. Cum ergo vel eo invito ſeptem illae Epiſtolae Ignatii genuinum opus ſint, quid in illis ex noſtris Evangeliis depromtum legatur, videamus. In Epiſtola ad Epheſios capite XIV. hanc ſententiam profert, quae in Matthaei Evangelio continetur (1): *manifeſta eſt arbor ex fructu ipſius*, ut ſignificet Chri-

Qq

(1) XII. 33.

stianos similiter ex iis quae faciunt, agnoscendos esse. Ad sententiam eodem in Evangelio contentam (1) respicit in Epistola ad Magnesianos capite IX. cum ait: *Et propter hoc is, quem iuste praestolabantur, adveniens suscitavit ipsos ex mortuis*. In ea, quae est ad Trallianos capite XI. Christi sententiae sensum a Matthaeo pariter memoratae (2) videtur complecti dum ait: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus coelestis, eradicabitur*. Lucae Evangelii locum indicant (3), quae in eiusdem ad Romanos Epistola Capite V. leguntur: *Ignoscite mihi: quid utile mihi sit ego novi. Nunc incipio discipulus esse. Visibilium & invisibilium nihil expetam, ut J. C. assequar*. In Epistola ab Philadelphenos Capite VII. satis innuit ab Joannis Evangelio se (4) accepisse, quae hunc in modum profert: *At spiritus non seducitur a Deo existens. Novit enim unde veniat, & quo vadat, & secreta coarguit*. Ad Smyrnaeos scribens capite primo ait: *Filium Dei secundum voluntatem, & potentiam Dei natum vere ex Virgine; baptizatum a Joanne*, ut impleretur ab eo omnis iustitia &c. Quae in Matthaei Evangelio leguntur (5); quemadmodum & altera eiusdem Epistolae Capite VII. contenta *qui capit capiat* (6). Denique in Epistola ad Polycarpum Capite II. Christi monitum a Matthaeo (7) relatum

(1) XXVII. 52.
(2) XV. 13.
(3) XIV. 17.
(4) III. 8.
(5) III. 15.
(6) XIX. 12.
(7) X. 16.

amico suo ad memoriam revocat: ***prudens esto sicut serpens*** in omnibus, *& simplex ut columba*. Nemo non imbutus perversa Frereti logice descriptas hactenus sententias ab illo ex Evangeliis commemoratas fuisse negabit, qui Apostolica monumenta perlegerit, atque non facile largietur Apostolicae Ecclesiae Antistitem longe prastantissimum illorum origini suffragatum fuisse. Sed & idem Evangelicam firmavit Historiam in Epistola ad Ephesios, in qua Capite XIX. praeclari sideris mentionem facit, quo ad Praesepe Domini fuere Magi perducti; nam explicans qua ratione Dei filius sese hominibus patefecerit inquit Αςὴρ ἐν ὐρανῷ ἔλαμψεν κ. τ. λ. *Stella in coelo fulsit, splendore exsuperans omnes stellas, & lux illius ineffabilis erat; & stuporem incussit ipsius novitas*. Cui Ecclesia assentitur dum in Christi Natali ita cum Aurelio Prudentio canit:

Haec Stella quae solis rotam
Vincit decore & lumine
Venisse terris nunciat
Cum carne terrestri Deum.

Neque minus splendida pro Evangelicae Historiae confirmatione ea sunt, quibus idem Epistolam ad Smirnaeos suam exorditur: *Cognovi enim vos perfectos in fide immota, ut affixos cruci Domini Nostri J. C. & carne & spiritu, & firmatos in caritate, in sanguine Christi; plene persuasos in Dominum nostrum; vere exsistentem de genere Davidis, secundum carnem; Filium Dei secundum voluntatem & potentiam Dei; natum vere ex Virgine; baptizatum a Joanne;* ut im-

pleretur ab eo omnis justitia (1): *vere sub Pontio Pilato & Herode Tetrarcha clavis confixum pro nobis in carne*. Freretus tamen hisce omnibus dissimulatis altoque silentio pressis, quum hoc unum haberet praeconceptum, quod sibi esset ostendendum, Apostolicos nempe Patres apocrypha solum perlegisse, & citasse frequenter, ea in expendenda sententia moras traxit, quam Ignatium ex illius generis libellis hausisse putat. Is, inquit (2), in Epistola ad Smirnaeos capite III sententiae cuiusdam tanquam a Christo prolatae meminit, quae nostris in Evangeliis desideratur, scribit enim quod cum ad eos Servator accessisset, qui cum Petro erant, ait illis: λάβετε ψυλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι ὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον *Apprehendite palpate me, & videte quod non sum Daemonium incorporale, & confestim ipsum tetigerunt; atque crediderunt, convicti carne ipsius & spiritu*. Laudavit idem J. C. dictum, inquit Freretus, quasi ab

(1) Matth. III. 15.
(2) *Pag*. 10. Ignace rapporte dans l'Epître aux Smyrnéens un discours de J. C. dont nos Evangiles ne font aucun mention. Lorsqu'il vient à ceux qui étoient avec Pierre, il leur dit: *Touchez moi & voyez que je ne suis point un esprit*. Ils le touchérent & ils crurent aussitôt, *ayant étés convaincus par sa propre chair*. Eusebe cite l'endroit d'Ignace où se trouve cette citation; mais il ne savoit pas dans quel Evangile ce disciple des Apôtres avoit pris le discours de J. C. S. Jerôme plus instruit, nous apprend qu'il se trouvoit dans l'Evangile *selon les Hebreux*, ouvrage très-fameux dans ces premiers tems, & qui a été connu d'Hegesippe & de Pappius disciples de S. Jéan &c.

Ignatio memoratum Eusebius, sed undenam illud accepisset se nescire fassus est. At instructior Eusebio Hieronymus ab Evangelio quod *secundum Hebraeos* dicebatur, depromtum fuisse docuit; libello nimirum primis Ecclesiae temporibus notissimo, quod Hegesippo & Papiae, Joannis Evangelistae discipulis, probe cognitus ac perspectus fuit. Haec Freretus cuius tamen caussae non magis prodest citatio isthaec ab Ignatio facta, quam altera Clementis I ex Evangelio Aegyptiorum, de qua iam diximus. Certe falleretur qui ea concludi posse putaret ceteras etiam sententias, quas Ignatium ex Apostolicis Evangeliis protulisse vidimus, inde esse depromtas, aut virum Apostolicum divinam illi *secundum Hebraeos* Evangelio tribuisse auctoritatem; aut denique laudasse librum qui mendaciis fabulisque scateret. Tot crimina Viro sanctissimo tribui non debent, nec vero possunt, nisi etiam alios in Patres ineptissime prorsus regerantur, qui etsi quatuor tantum Evangelia nostra ut authentica profiterentur, eo nihilominus Evangelio impune & quidem merito uti se posse censuerunt. Vindicias fere nobis Freretus idem instruit atque suppeditat. Hegesippi illustris saeculi Ecclesiae secundi Scriptoris, diligens inprimis fuit veritatis Catholicae Religionis investigatio. Is confirmandi sui, tuendaeque strenue adversus impios verae fidei caussa, Romam, ubi Pontifex unitatis centrum, caputque Ecclesiae adspectabile agebat, iter instituit. Cumque in itinere ad coetus Orthodoxorum singulis in locis constitutos divertisset, exque eorum Antistitibus quid quaque de re sentirent quaesivisset, unam omnium eamdemque doctrinam esse se com-

perisse apud Eusebium testatur (1). Est ne vero credibile hominem veritatis doctrinaeque Catholicae adeo perstudiosum Evangelium illud probare potuisse, si a Christi doctrina rebusque ab eo gestis enormiter discrepasset? Idem de Papia sentiendum est, cuius erga Apostolicorum virorum dicta studium & amor insignis fuit, quique quatuor tantum ut divina & authentica Evangelia esse excipienda amplissimo testimonio infra proferendo confirmavit. Sed ut eorum temporum memoriam replicemus, quibus Evangelia nostra in Ecclesia obtinuisse nec Freretus inficiatur, Origenes Adamantius etsi quatuor tantum cum Ecclesia Catholica exciperet servaretque Evangelia, non dubitavit tamen eodem uti *iuxta Hebraeos* Evangelio, non quasi illorum auctoritas esset incerta, aut istius tueretur canonicitatem, sed quod scriptum Ecclesiasticum ad usus suos se transferre posse crediderit ob rerum in eo contentarum probabilitatem. Huiusce rei cum ipsius scripta fidem faciunt, tum plenissime declarat Petrus Daniel Huetius, qui de Scripturae Sanctae agens Editionibus, quibus Origenes utebatur, haec voluit adnotare (2): *Scripturae testimonia ab eo saepe numero aliter relata reperies ac in Editionibus concepta sunt, quae hodie circumferuntur; quod & ex memoriae perfidia aliquando contigit. Par in Evangeliorum depromtis ab eo locis discrimen occurrit; nam praeterquamquod variantes suas lectiones N. T. quoque Codices habebant, ut hodieque habent: utebatur ad haec*

(1) H. E. lib. IV. cap. XXII.
(2) Lib. III. *Origenian.* cap. I. num. 6.

saepe numero Adamantius Evangelio secundum Hebraeos, *ut tradit Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis capite* 4. *Certe inde discrepantiam illam extitisse coniicio*. Hactenus vir doctissimus, qui etiam in Annotationibus ad Origenis Commentaria in libros Evangelicos illud dictum Christo tributum expendens (1): *Estote probi Nummularii* cum ab eodem Adamantio, tum a Clemente Alexandrino, Epiphanio, Hieronymoque usurpatum, früstraque in nostris quaesitum Evangeliis, par iudicium profert, & quaedam alia adiicit, quae exscripsisse iuvabit, quia nonnulla iam a nobis dicta confirmant: *Existimat Crojus*, inquit, *observat. in N. T. capite* 28. *verba haec non* αὐτολεξεί *a Patribus Christo tribui, sed e Parabola de talentis, quae habetur Matth. c.* 25. *& Lucae c.* 19. *sententiam fuisse collectam a Patribus & conflatam. Ego secus sentio. Nam si sententiam solum Patres excepissent, quomodo in eadem plane verba Christo tribuenda conspirassent? Verisimilius ergo mihi fit excerpta haec fuisse ex Evangelio* secundum Hebraeos, *in quod plurima inseruerant Nazaraei, quae sibi ab Apostolis eorumque successoribus ore tradita fuerant. Multa certe ex hoc Evangelio depromta fragmenta Hieron mus nobis sparsim in libris suis repraesentavit, qui Evangelii huius exscribendi facultatem a Nazaraeis Beroaeam habitantibus impetraverat. Sexcenta antiqui PP. Christi Apostolorum dicta vel facta memoriae prodiderunt, quae in N. T. libris non comparent; quaequé ex eo* secundum Hebraeos *Evangelio propagata vel ex traditionibus profecta sunt. Nos quidem plurima huiusmodi*

(1) Tom. II. Opp. Orig. pag. 114. edit. Colon.

in Origene deprehendimus. Quot putas facinora edidisse Christum, vel dicta protulisse, quae scriptis tradita non sunt: quae si quis singula voluisset persequi, ne Mundus quidem ut ait Joannes cap. XXI. 25. tot libros capere universus potuisset? Quid quod innumera veterum Prophetarum Apophthegmata memoriae non litteris mandata, Scriptores sacri Prophetis illis recentiores usurparunt? Quod ergo Patres alii salva Canonis scripturarum reverentia atque custodia praestiterunt, immerito Ignatium praestare potuisse denegatur. Atque id eo vel maxime vero proximum apparet, quod a primis Christianis Hebraeis, qui degebant Hierosolymis, Evangelium illud esset litteris consignatum; ab iis scilicet qui rerum a Christo gestarum fuerant oculati testes, atque adeo ex eorum numero, quos primo ad J. C. conscribendam historiam accessisse Lucas memorabat. Qua de re aliisque, quae ad idem Evangelium pertinent, Grabius consulatur (1) qui de eo omnium accuratissime edisseruit. Non tamen desunt qui opinentur Ignatium dum laudatam J. C. sententiam protulit, nullum aliud Servatoris dictum indigitare voluisse, quam illud quod a Luca hisce verbis expressum est (2): *Palpate & videte me, quia spiritus carnem & ossa non habet sicut me videtis habere.* Ad haec allusisse S. Martyrem volunt, & longiorem sententiam verbis brevioribus reddidisse. Fabricio verisimile est ex traditione ab Ignatio

(1) T. I. Spicileg. PP. pag. 15. & seqq.
(2) XXIV. 39.

Ignatio laudatam fuisse (1); ita enim scribit: *Quoniam itaque ex Apostolicorum virorum consuetudine notissimum esse Ignatio potuit tale aliquid post resurrectionem e Christi ore fuisse prolatum, & auditum, quis demum iure miretur, hoc eum in tam molesto itinere, inter manus militum ex memoria potius, quam ex scripto Lucae discipuli Apostolorum voluisse depromere?* Idem Casaubono antea arriserat ita scribenti (2): *Quin est fortasse verius, non ex Evangelio Hebraico Ignatium illa verba descripsisse, verum traditionem allegasse non scriptam; quae postea in litteras fuerit relata & Hebraeorum Evangelio, quod Matthaeo Ebionitae tribuebant, inserta.* Placuit Casauboni animadversio Pearsonio, qui ea exscripta sic differit (3): *Et hoc quidem multo mihi verisimilius videtur. Nam licet Hieronymus testimonium illud ex eo Evangelio petitum esse dixerit, tamen Eusebius unde illud habuerit nescire se professus est, cum tamen ipse Evangelium secundum Hebraeos optime novisset. Et quidem recte. Nam illa verba non in eo tantum Evangelio reperiebantur, sed & in aliis libris, ut in illo qui* Doctrina Petri *dicebatur. Origenes* Περὶ ἀρχῶν *lib. I.* Si quis vero velit nobis proferre ex illo libello, qui *Petri Doctrina* appellatur, ubi Salvator videtur ad discipulos dicere, quod non sit *Daemonium incorporeum*, primo respondendum est ei, quoniam ille liber inter libros Ecclesiasticos non habetur. *Multa sane Christi dicta in ore vetustissimorum Chri-*

Rr

(1) Cod. Apocryph. N. T. P. I. pag. 360.
(2) Exercit. XVI. in Baron. num. CXXVI.
(3) Vindic. Ignat. P. II. cap. IX.

stianorum fuerunt, quae in Evangeliis nostris non reperiuntur, neque in aliis ullis fortasse scripta sunt. Quale erat illud Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται *quod a multis veterum tanquam Christi mandatum, & quidem a S. Pauli admonitione distinctum, saepe citatur; ex nullo tamen scripto apocrypho citatur, nec tamen in nostris Codicibus reperitur, nec a Patribus ex parabolis Christi collectum est, cum etiam haeretici illud usurparent, & quidem ante Catholicos, ut constat ex Apelle apud Epiphanium*. Sic itaque Hieronymum cum Eusebio conciliari posse coniicerem. Cum Nazareni, ut observavit Huetius, plura Evangelio illi addiderint & Christi & Apostolorum dicta, illud etiam, de quo disputamus, post Ignatii tempora adiecisse verisimile est. Inde propterea palam fit quomodo Hieronymus, qui illius Evangelii exemplar a Nazarenis acceperat, indicare potuerit illam Christi sententiam ab Ignatio laudatam in eo reperiri, quam tamen unde ille acceplsset Eusebius ignorabat. Hic enim etsi optime idem novisset Evangelium, & excussisset etiam, in exemplar tamen incidens quod Hebraeis in usu erat, quodque nondum eam fuerat additionem passum, quod affirmavit Hieronymus, admonere non poterat. Est igitur verisimile sola traditione edoctum Ignatium illam Christi ad discipulos sententiam commemorasse. Cave tamen ne idem de tot aliis Christi Servatoris dictis atque sententiis arbitrere, quas a Patribus ex Evangeliis nostris laudatas fuisse defendimus. Sunt enim notae certae, sunt indicia perspicua, ut vidimus, quibus id merito factum non esse tueamur. Jam si Antiochenus Antistes sola traditione fretus Christi dictum extulit, in quo exsultat Freretus, tota in Patres Apostolicos accusatio, seu verius calumnia, quod scilicet nunquam no-

ſtris, saepiſſime apocryphis ſint uſi Evangeliis, unicum Clementem feriet, quem in ſecunda ad Corinthios Epiſtola Evangelium *ſecundum Aegyptios* ſemel citaſſe conceſſimus. Sed cum ubique Freretus ſcripta non canonica cum eius generis apocryphis imperite confuderit quae impietates continerent, quaeque nihil aliud quam fabulas atque mendacia complecterentur, videtur etiam eadem accuſatione iniuſte laceratus Clemens, cum Aegyptiacum Evangelium longiſſime ab iſtiuſmodi apocryphorum natura genioque diſcreparet. Qua tamen eſt confidentia atque temeritate Freretus nihil frequentius vehementiuſque inculcat quam Patres noſtrorum Evangeliorum neſcios prorſus atque ignaros, apocrypha & mendacia ſolum ſcripta confidenter, frequenterque, tamquam magnam obtinerent auctoritatem, ſuis in Epiſtolis buccinare. Atqui eius in libro nihil reperias, quo tantam affirmationem veriſimilem eſſe poſſis agnoſcere. Et quî enimvero id efficere potuiſſet, cum Veteres Scriptores accuratiſſimi, qui longe locupletiora quam nos Patrum monumenta ad manus habuere, qui conficta ab Haereticis Evangelia verſarunt, teſtati ſint nunquam haec a Patribus laudata fuiſſe? Teſtis erit inſtar omnium Euſebius, qui poſteaquam Scripturas omnium conſenſione probatas enumeraſſet, tum quae dubiae ſunt habitae auctoritatis recenſuiſſet, ſuſcepti ab ſe conſilii, atque operis hanc rationem reddit (1): ***Atque hi ſunt libri qui in dubium revocantur. Quorum tamen***

(1) H. E. lib. III. cap. XXV.

indicem contexere, idcirco necessarium putavi, ut cum ex Ecclesiae traditione, veras ac sinceras Scripturas, & omnium consensu probatas, ab iis distinxerimus, quae dubiae quidem auctoritatis sunt, nec in Novi Testamenti corpus relatae, a plerisque tamen Ecclesiasticis Scriptoribus agnoscuntur: hoc modo tum hos ipsos libros facilius dignoscere possimus, tum alios sub Apostolorum nomine ab haereticis vulgatos, qui Petri, Thomae, Matthiae, & quorumdam aliorum Evangelia, Andreae quoque, Joannis, aliorumque Apostolorum actus continent. Quos quidem libros nullus umquam, qui continuata ab Apostolis successione in Ecclesia docuit, in scriptis suis commemorare dignatus est. Haec sola praeceps Frereti iudicium potuissent cohibere si ea, aut ipsa Patrum Monumenta, quibus enormiter abusus est, integris animis expendisset.

XLIX. In his enim quam multa appareant sacrorum usus Evangeliorum exempla perspicue satis, uti reor, ostensum est. Pertinebat ad Critici personam, quam induerat, loca omnia accurate expendere, tum eadem haud fuisse a Canonicis scriptis accepta invictis rationibus monstrare; non eas in medium animadversiones adducere, quae eius dedecerent perspicacitatem, tum nulla ingenui animi argumenta praeseferrent. Constant haec etiam luculenter in iis, quae de Polycarpo subiecit, ut Virum celeberrimum, invictissimumque Martyrem nulla fuisse nostrorum Evangeliorum notitia imbutum demonstraret. Nam cum institutum posceret, ut omnium consensu receptam eiusdem ad Philippenses Epistolam paullulum consideraret, nihil minus egit; sed hoc praetermisso examine, paucisque tantum antea generaliter dictis de textuum Patrum Apostolicorum cum Evangelicis litteris conformitate, ex qua

uſum noſtrorum Evangeliorum haud probari poſſe arbitratur, fragmenta tantum eius, quae Fevardentius ex Victoris Capuani catena primus edidit, falſi ſuſpicione laborare post Tillemontium admonuit. Atqui tamen in laudata Epiſtola ſententia non una reperitur, quam Auctor certiſſime ex Evangeliis depromſit. Capite enim I. Philippenſes monet, ut memores eſſe Domini Sermonum velint, quos ex Matthaeo (1) & Luca (2) hoc modo commemorat: *Memores autem eorum, quae dixit Dominus dicens: nolite iudicare ne iudicemini: dimittite & dimittetur vobis*. Miſeremini ut miſericordiam conſequamini. *In qua menſura menſi fueritis remetietur vobis, & beati pauperes, & qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam: quoniam ipſorum eſt regnum coelorum*. Matthaei item ſe uſum Evangelio fuiſſe ſignificat cum ait capite VI. *Si ergo deprecamur Dominum ut nobis dimittat; debemus & nos dimittere* (3). Et rurſum cum ex eodem capite VII. hanc pericopen ibidem laudat: *Precibus rogantes omnium conſpectorem Deum*, ne nos inducat in tentationem: *ſicut dixit Dominus*: ſpiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma. Denique Joannis, a quo Smyrnae Epiſcopus ordinatus fuit, etſi Evangelium non laudarit, videtur tamen agnoviſſe Epiſtolas ut ea probant, quae profert eodem capite. *Omnis* enim, *qui non confeſſus fuerit Jeſum Chriſtum in carne veniſſe Antichriſtus eſt*; reſpondent enim fere iis, quae ille ad-

(1) Matth. VII. 1. V. 3. 10.
(2) Luc. VI. 37. 20.
(3) VI. 12. 14. 13. XXVI. 41.

versus eosdem Gnosticos & Phantasiastas divino actus spiritu pronunciaverat (1): *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est, & hic est Antichristus*. Quae Polycarpus integro servato sensu eo modo extulit, quemadmodum supra quoque descripsimus. Constat igitur in paucis iis omnibus monumentis Patrum Apostolicorum, quae temporum iniurias evaserunt, sententias reperiri ex Apostolicis haustas Evangeliis; quod firmo argumento est iis, qui cum Apostolis, atque Christi discipulis vixerunt, quae isti edidissent probe cognita atque comperta fuisse. Dixi in omnibus Monumentis PP. Apostolicorum veritatis quam tuemur argumenta reperiri; nam etiam in *Hermae Pastore* quaedam sunt, quae innuant Scriptorem huiusce libri Evangelia nostra non latuisse. Quamquam si nihil ab Evangeliis accepisse dicatur, silentio eius iuvari non poterit caussa incredulorum, duabus praesertim de caussis, & prima quidem quod is liber visiones tantum, atque sermones Angelorum complectatur, a quibus certe necesse non erat, ut Scripturae loca proferrentur ut probarent quod vellent; altera vero quod nullus in eodem Hermae libro e V. T. locus afferatur, cum tamen illud omnium manibus tereretur. Ut ergo silentium eiusmodi Veteris Instrumenti canonem haud laedit, ita Novi Foederis librorum non evertit authenticitatem. At quae de Patribus animadvertimus verissima esse magis magisque comperiet qui eorum Epistolas diligenter ex-

---

(1) Epist. I. IV. 3.

penderit; quae enim in Evangeliis habentur in iis contracta reperiuntur. Eadem ubique Evangelicae Historiae praecipua capita enarrant, eosdem fidei articulos docent quos cum Evangelia tum ceteri N. T. libri complectuntur. J. C. e regia Davidis stirpe descendisse, regnante Herode ex Virgine esse natum; a Joanne suscepisse baptisma, in Judaea docuisse, insignia patrasse miracula, tum duodecim legisse Apostolos, Patres Apostolici in Epistolis suis profitentur. Referunt praeterea Servatoris passionis nonnullas circumstantias, & prophetica quaedam Esaiae oracula producunt, quae eamdem esse futuram praedicebant, quaeque Evangelistae ipsi quoque attulerant. Crucis supplicio Christum affectum fuisse aiunt, inde redivivum sese Discipulis suis conspiciendum praebuisse, manducasse cum iis atque bibisse, ac demum cum coelum ascendisset in eosdem Divinum Spiritum misisse, cuius gratia afflatuque roborati & confirmati ministerium inde Evangelicum obire coeperunt. Idem de dogmatis dicito; eadem enim docent quae nos credimus, quaeque in Symbolo Apostolico credenda proponuntur. Magnum nimirum Trinitatis mysterium, Incarnationem J. C. Mundique per eum redemtionem, divinitatem eiusdem & Messiae dignitatem, iudiciumque demum, quod extremo Mundi tempore in vivos mortuosque exercebit, clarissime praedicarunt. Necessitatem Baptismi, realem J. C. in Eucharistia praesentiam, Matrimonii Christiani sanctitatem, Ecclesiasticam Hierarchiam, & alia docuerunt non minus aperte. Quid vero de morum doctrina dicam, quam iisdem prope verbis a Patribus Apostolicis traditam videas, quibus Auctores librorum N. T. eamdem tradidere? Si haec & alia Christianae fi-

dei, atque institutionis capita Patres Apostolici ex duobus supra memoratis Evangeliis, quorum alterum *iuxta Aegyptios* alterum *secundum Hebraeos* appellatum fuit, exceperunt, inde consectarium fluit haec Evangelia eadem facta, eamdemque doctrinam continuisse, ac ea complectantur quae dicuntur Apostolica, adeoque ex iis, & Patrum citationibus nullum incommodum in nostrorum Evangeliorum authenticitatem redundare. Quamquam si horum Epistolas cum scriptis Apostolicis conferas, digito veluti monstrari animadvertes non aliunde Viros illos sanctissimos, quam purissimis hisce fontibus doctrinam suam ebibisse, & praecepta, quae in iis continentur, in sanguinem veluti ac succum convertentes in Epistolis postea expressisse suis. Hinc illa eximii ac omnino mirabilis animi candoris, pacis, humilitatis, charitatis in omnes, & ardoris pro Christiana doctrina effundendi sanguinis argumenta praeclara derivarunt. Ex his alterum proficiscitur pro nostrorum Evangeliorum Apostolica origine argumentum, quod antea innuimus. Patres Apostolici saepissime Pauli, aliorumque Apostolorum Epistolis usi sunt & ea quidem ratione ac methodo, qua ex Evangeliis sententias exceperunt, praetermissis scilicet nominibus Scriptorum, servatoque sententiarum sensu, quas exscribebant. Igitur si Freretus velit sententias omnes textusque Patrum hoc modo laudatos ab Evangeliis apocryphis acceptos esse, idem erit quoque sentiendum de ceteris, quos ab Epistolis hauserunt, atque eae fictae erunt, quas sub nominibus habemus Apostolorum, totidemque erunt procudendae, quibus sententiae respondeant quas Patres attulere. At id nemo ad animum admittet, qui veritatis amore ducatur, nam nec vivo Paulo,

neque

neque vita functo id potuit evenire, ut invictissime Apologistae ii ostendunt quos Freretus laceravit. Complectuntur autem Apostolorum Epistolae eorum summam, quae in Evangeliis continentur, adeo ut ex hoc capite etiam cognosci possit Apostolicam prorsus eam esse doctrinam, quam eorum Auctores commendarunt.

L. Praeter Clementem, Barnabam, Ignatium, & Polycarpum nullos alios ex collectione Patrum Apostolicorum probatos Scriptores recensemus, & ceu testes laudamus Apostolicae Originis Evangeliorum, nec vero alios memoravit Freretus, ut rem testatissimam subverteret. In hanc aevi Apostolici Auctorum inopiam quum inquireret pius doctusque Nourrius haec praeclarissime scribebat (1): *Mirum sane ac forsitan incredibile nonnullis videbitur, quod tam pauca ad nos pervenerint primae Christianorum aetatis Opera. Extra dubium namque est plures huius temporis Scriptores varia edidisse opuscula, epistolas, tractatus, vel alias huiuscemodi lucubrationes. Qua ergo Dei providentia, inquies, fieri potuit, ut tam pretiosa divinorum hominum monumenta, quae primi esse debebant traditionis nostrae canales penitus interierint? Verum his quaerimoniis cito modum impones, si aliunde damnum illud quantumvis lugendum, plene resarcitum intelligas. Etenim omnes Novi Foederis Libri scripti sunt hoc saeculo, atque eo plurimum adulto, & pene labente, Joannes Apostolus Evangelium Apocalypsimque suam publicavit. Quid quod & eadem Dei providentia factum est,*

(1) Apparat. ad Biblioth. PP. Dissert. I. cap. I.

ut iis acerbius in nascentem Ecclesiam saevientium persecutionum temporibus, plures cum ex Apostolis, tum ex iis, qui cum Christo carne nostra induto conversati sunt, longum in tempus vitam produxerint, eosque qui in secundo saeculo floruerunt habuerint discipulos. Hos ergo sacris doctrinae Christianae praeceptis potuerunt imbuere, nec aliis Ecclesia indiguit Doctoribus, queis tanquam canalibus, eadem voce & ore sine scripto de manu, ut aiunt, in manum ad nos transmitterentur. Denique hac tot tantique pretii iactura docemur, non aliud divinae Providentiae fuisse consilium, nisi ut ii Scriptores sanctissimi, qui omnes plerique sanguinem pro Christiana fide tuenda, & propaganda fuderunt, illam sanguineis effusi cruoris guttis altius, quam charta & calamo & atramento inscriberent infigerentque. En caussas cur testes e primo saeculo numero plures excitare nequeamus originis Evangeliorum. Quamquam satis multos citavimus dum haec iis omnibus cognita & perspecta fuisse ostendimus, quorum monumenta aetatem tulerunt, & dum monstravimus Ecclesias omnes atque Christianos in iisdem excipiendis semper consensisse. Absurdum est cum hac de re, tum de aliis, eorum temporum magno numero Scriptores poscere, quibus vel Christiani latebant, ut supplicia declinarent, vel praeparatum ad scribendum otium non habebant, cum id maxime laborarent, ut Ethnicos ad Sacra nostra perducerent, restituerentque Ecclesiae eos, qui lapsi vi tormentorum fuissent. Quod si Ignatius captus ab inimicis extremo vitae suae tempore non fuisset, totque Ecclesias non peragrasset, ut ante fecerat, nunquam fortasse animum ad scribendas septem Epistolas induxisset, propterea quod ei ab instituendis verbo Antiochenis minime vacasset. Sed praeter haec, atque iniurias tempo-

rum, quae nobis insignium aliquot Virorum libros inviderunt, aliae etiam caussae extiterunt inopiae, qua laboramus, veterum monumentorum. Videntur Christiani primitivi satis habuisse fidem suam inculpatae vitae fulgore & sanguine, quem pro Christo effundebant libentissime, in hominum cordibus imprimere, de libris vero scribendis parum fuisse sollicitos. Christianismum innocentia vitae honestateque morum potius, quam pigmentis oratoriis propagari & retineri putabant, seque exemplo Christi tuebantur, qui cum falsis testimoniis premeretur obticuit, nihilque demum ad obiecta crimina esse reponendum plerumque credebant, cum persuasissimum haberent, tota vita sua melius accusationes dilui, & crimina repelli, quam si sese multis sermonibus & Apologiis editis defendissent; ut dictum ab Origene novimus (1) cum ad Celsi calumnias repellendas urgeretur. Idoneam etiam caussam, ob quam paucissima prostant illius aetatis monumenta repetere fas est ex maxima, qua primi Christiani laborabant, imperitia Litterarum. Quod vel de ipsis Apostolis fuse ab Joanne Lamio ostensum & demonstratum fuit; Servatorem nempe eos elegisse ex humili abiectaque hominum conditione & sorte. Neque hos modo, sed & primitivos Christianos humili, ut plurimum, admodum genere fuisse, imperitosque propterea fere, & rudes Litterarum idem copiosissime evincit; sapientissimam scilicet divinae Incarnationis oeconomiam, rationesque divinae Sapientiae admirabiles igno-

(1) Praefat. in lib. I. c. Celsum.

rantiam & humilitatem in Apostolis poposcisse suis; sapientiamque eorum non fuisse sapientiam huius saeculi, sed sapientiam in mysterio absconditam, per Spiritum Sanctum revelatam, & donatam a Deo. Quod & divini auctoritate Codicis, & apertissimis sanctorum Patrum testimoniis confirmat. Ipsi iidem Apostoli pauca scripserunt, cum in id unum incumberent ut terras multas Evangelii caussa peragrarent. Quo in munere praeclara multa gessisse commentario dignissima dubitari non potest. Atqui si ea excipias, quae Lucas divinitus inspiratus de Petro & Paulo in Actis Apostolicis complexus est, reliquorum Acta Apostolorum nulla fere certa ac fide digna historia comprehensa in obscuro latent, ut ait Petavius. Cum tamen eodem omnes spiritu agerentur, ex iis quae Petrus Paulusque gessere quid etiam ceteri praestiterint, ut divinam Religionem propagarent, coniectare licet. Nobili hoc ministerio fungentes in suorum describendis rebus nullam operam posuere. Praeclare Eusebius (1): *Admirabiles illi prorsusque divini Servatoris nostri Apostoli, cum essent vita quidem ac moribus castigatissimi, & omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent atque inculti: freti divina & mirifica virtute a Servatore concessa, artificiosa verborum ornatu magistri sui vestigia exponere neque noverant, neque item conabantur. Sed adiuvantis ipsos Spiritus Sancti demonstratione, & virtute Christi, quae per ipsos plurima perpetrabat miracula, tantummodo utentes, notitiam regni coelorum orbi terrarum nuntiabant. Neque curae illis erat libros scribere, quippe qui longe prae-*

(1) H. E. lib. III. cap. XXIV.

stantiore ministerio, & supra humanas vires posito fungerentur. Paulus certe qui inter omnes Apostolos, & verborum apparatu & sententiarum pondere facile praestabat, praeter pauciſſimas Epistolas, nihil omnino scriptum reliquit: tametsi innumera mysteria exponere potuerit, quippe qui ad earum rerum, quae in tertio sunt Coelo, contemplationem pertigiſſet, & ad ipsum usque divinum Paradisum raptus, arcana quaedam verba ibi auscultare meruiſſet. Sed & reliqui Servatoris nostri adiutores, duodecim videlicet Apostoli & septuaginta Discipuli, alii denique praeter eos innumerabiles, earumdem rerum minime expertes fuerunt. Soli nihilominus ex cunctis Christi discipulis Matthaeus, & Joannes scriptos nobis rerum Commentarios reliquerunt: quos quidem necessitate quadam ad scribendum impulsos fuiſſe perhibent. Inde illa praeclariſſimi Historici initio Historiae suae de paucitate monumentorum expostulatio; deque via, quam nullis adhuc vestigiis tritam ipse omnium primus calcare debebat. Quominus etiam multum operae studiique conferrent ad scribendum primitivi Christiani praepediebant opiniones illae de mox futuro, aut iam praesente Antichristo, in cuius adventu supremum diem imminere plerique eorum autumabant, citiusque defuturum rebantur Mundum, qua adversus Ecclesiam impetum Tyrannorum. Magni revera nominis Auctores Neronem existimavere Antichristum, qua ratione nedum apud Gentiles, verum & apud nostros vulgata erat fama subductum ipsum fuiſſe non occisum, uti conquestus est Augustinus (1). Quae fama augebatur, multum-

(1) De Civ. Dei lib. XX. cap. XIX.

que invalescebat ubi ingrueret Tyrannorum & persecutionum furor; tunc enim apud Fideles non paucos opinio denuo verisimilis admodum habebatur adpropinquasse Antichristum; futurum idcirco brevi Mundi interitum, diemque exitio terras daturum (1). Quae non solum pseudoapostolorum vox erat, ut discipulos ad sua largienda redderent promtiores, sed nonnullorum quoque inter orthodoxos maxime illustrium, aliis tamen de caussis. Opiniones illas aliqui de senectute, defectione, fineque Mundi eo libentius complectebantur, quo cum Platonicismo & Stoicismo, receptis illa aetate philosophicis Sectis convenire viderentur (2). Origenianis certe in Operibus, & praesertim in libris περὶ Ἀρχῶν, paulo diversam a Platonica & Stoica intelligas Mundi renovationem. Alii autem non Platonicum sed diversum, adhuc tamen mox adventurum exspectabant Millenarium, quo in terris cum Christo fruerentur, e male videlicet acceptis Apocalypseos verbis; opinione in Apollinari damnata, quod resurrecturos idem diceret per mille annos homines ad Legem & circumcisionem & Sabbata servanda; ad cibos ut olim electos comedendos; ad materiale templum construendum. Hinc Clericus de primis Religionis Christianae annis & initiis agens aiebat (3): *Utinam Lucas horum quoque temporum historiam perscripsisset! Forte curam posteritatis nullam esse contigit, quod brevi, Mundo ipsi finem impositum iri eo aevo crederent*; *ac proin-*

(1) Euseb. H. E. lib. VI. cap. VII.
(2) Vid. Lactant. Epitom. divin. Inst. cap. XI.
(3) Hist. Eccles. ad A. LXVII.

de operae pretium non esse Apostolicam Historiam in exiguum tempus scribere. Si hac plerique Christianorum erant imbuti opinione cur tot libros conscripsissent, qui scribendi facultate potiebantur? Sed & iis quos scripsere Tyrannorum saevitia fatum attulit non paucis extremum, Diocletiani praecipue, quo nullum tristius monstrum,

Nec saevior ulla
Pestis & ira Deum stygiis sese extulit undis.

Quod antea etiam Gentilibus exprobrarat Arnobius (1); prohibebant nempe Provinciarum Praesides ne Martyrum quaestiones publicis cum actis reservarentur quod se Martyrum constantia fuisse superatos victosque erubescerent. Sed sacris Codicibus Martyrumque Actis, ac ceteris Ecclesiasticis libris ingens, cunctisque maior clades contigit furore immani Diocletiani, cuius iussu tam multa Ecclesiae Monumenta fuere consumta. Hinc praeter Scriptorum paucitatem, qua prima alteraque Christiani nominis aetas laboravit, angustior tantum ob tot declaratas caussas & vastationes Eusebio Ecclesiasticam Historiam scribere aggresso ex illa aetate praesto esse potuit. Qua tamen erat diligentia, doctrina, atque eruditione instructus Opus confecit, ob quod ipsi plurimum debet Ecclesia Catholica; cum rerum Ecclesiasticarum quamplurima antiqua monumenta maxime insequentium temporum magno labore collegerit, fi-

(1) Sub finem lib. adv. Gentes.

deliterque posteris consignarit (1). Ex iis porro fragmentis, quae e Veterum Scriptorum libris decerpta suae inseruit Historiae, aliquot sunt, queis Evangeliorum authenticitas firmissime confirmatur. Inter haec illud primo, quod ex Papiae quinque libris *De Interpretatione Oraculorum Dominicorum* exscripsit (2), memorare heic praestat. Quod tamen antequam exsequamur Papiae studium in ea, quae Apostoli horumque Discipuli gessissent, ipsius eiusdem verbis memorandum est, ita uti ab eodem Eusebio recitantur. Sic igitur aiebat ille in suorum Prooemio librorum. *Nec pigebit ea, quae quondam a senioribus didici, ac memoriae mandavi, cum interpretationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione firmetur. Non enim, ut plerique solent, eos unquam sectatus sum, qui verbis affluerent, sed eos potius qui verum docerent: nec eos qui nova quaedam & inusitata praecepta, sed illos, qui Domini mandata in figuris tradita, & ab ipsa Veritate profecta memorabant. Quod si quis interdum mihi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiose sciscitabar, quaenam essent seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthaeus, quid ceteri Domini discipuli dicere soliti essent: quidnam Aristion & Joannes Presbyter, discipuli Domini praedicarent. Neque enim ex librorum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantam ex hominum adhuc superstitum viva voce*,

(1) Baron. ad A. C. CCCXL. num. XXXVIII.
(2) H. E. lib.III. cap. XXXIX.

voce. Reprehendit quidem postrema verba Joannes Clericus (1) quasi Papias Apostolorum Commentarios minus utiles iudicarit prae sermonibus Discipulorum, sed iniuria; nihil enim aliud ille innuere voluit, quam quod cum multo plura sint ea, quae Christus Dominus, eiusque Apostoli in terris gessere, quam quae fuere litteris prodita, maiora utique viva voce se ab Apostolorum discipulis scire posse confidebat. Is igitur plures traditiones ab his perceptas in libros suos transtulit, inter quas eam quae ad Evangeliorum Scriptores pertinet, ita memoravit Eusebius: *Alias quoque supradicti Aristionis enarrationes sermonum Domini, & Joannis Presbyteri traditiones refert in suis libris. Quas discendi studiosis indicasse contenti, rem illam, quam de Marco Evangelista idem Scriptor commemoravit, superioribus eius verbis subnectemus. Aiebat etiam, inquit, Presbyter ille, Marcum Petri interpretem, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter perscripsisse, non tamen ordine praetexuisse, quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat, aut sectatus fuerat unquam: Sed cum Petro ut dixi, postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut Sermonum Domini historiam contexeret, Evangelium praedicabat. Haec de Marco Papias narrat. De Matthaeo vero sic habet. Matthaeus quidem, inquit, Hebraico Sermone divina scripsit Oracula: interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit*. Et vero cum mortuo Christo Domino maximo tenerentur Christiani desiderio res ab eo ge-

Tt

(1) Dissert. III. laudat.

ſtas cognoſcendi, vix eo edito a Matthaeo Evangelio in gratiam Hebraeorum, alii inde Chriſtiani Helleniſtae maxime, idem Graecas in litteras vertendum curaverunt. Quod unice indicare voluiſſe videtur Papias, qui inter Graecos agebat. Una autem Verſione diligenter, atque accurate ad ſimilitudinem primigenii textus confecta, obtineri inde coepit frequenti uſu Chriſtianorum, ut hinc cauſſam habeas propter quam ceterae Graecae Verſiones a Papia laudatae obſoleverint ita ut nullum modo illarum veſtigium ſuperſit. Remanſere quidem Latinarum Verſionum aliquot reliquiae, ſed hae aut paulo ſerius elaboratae fuere, aut certe eo tempore quo in Archivis Eccleſiarum recondi ſervarique potuerunt. Quare immerito iterum Papiam Clericus reprehendit, dum ex nullo veſtigio Graecarum Verſionum, quas ille laudat, anſam arripuit fidem hominis ſollicitandi. Ex Papiae autem libris non exſcripſit Euſebius, quae vir Apoſtolicus aliis de duobus Evangeliis a Luca atque Joanne praeſcriptis enarraverat. At Euſebii omiſſio egregie ſuppletur altero Papiae Operum fragmento, edito a Muratorio (1) quod plane eo loci incipit quo illud exſcriptum ab Euſebio deſinit. Ita igitur habet: *Quibus autem interfuit, & ita poſuit* (2). *Tertio Evangelii librum ſecundum Lucam. Lucas iſte Medicus* (3). *Poſt aſcenſum Chriſti cum eo Paulus, quaſi ut iuris ſtu-*

(1) Tom. III. Antiquit. Medii Aevi col. 854.
(2) Haec de S. Matthaeo eiuſque Evangelio.
(3) Samuelis Baſnagii opinio de Luca Medico ab Evangeliſta diverſo nondum erat exorta.

diosum (1) *secundum adsumsisset numeni suo ex opinione concrîset* (2). *Dominum tamen nec ipse vidit in carne, & idem prout assequi potuit. Ita & a nativitate Johannis incipet dicere. Quarti Evangeliorum Johannis ex discipulis* (3). *Cohortantibus condiscipulis & Episcopis suis dixit: conieiunate mibi hodie triduo, & quid cuique fuerit revelatum, alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctis Johannis suo nomine cuncta describeret* (4). *Et ideo licet varia singulis Evangeliorum libris principia doceantur, nihil tamen differt* (5) *credentium fidei, cum uno ac principali spiritu declarata sint in omnibus omnia de Nativitate, de Passione, de Resurrectione, de conversatione cum discipulis suis, & de gemino eius adventu. Primo in humilitate despectus, quod ro . . . . secundum potestate regali praeclarum quod futurum est. Quid ergo mirum si Johannes tam constanter singula etiam in Epistolis suis proferat dicens in semetipso* (6): Quae vidimus oculis nostris, & ma-

(1) Τȣ̃ *νόμȣ Legis*.

(2) Ὀνόματι αὐτȣ̃ δόξης συνέγραψε *nomine suo cum laude conscripsit*.

(3) Papiae stilus *Apostolos τῶν μαθητῶν* appellatione designandi; non item Caii Presbyteri in his quae supersunt.

(4) Ὥςε ἀναγινωσκόντων πάντων τὰ τȣ̃ Ἰωάννȣ αὐτȣ̃ ὀνόματι πάντα ἀναγράφειτο *ut legentibus omnibus scripta Ioannis, ipsius nomine cuncta evulgaret.*

(5) Διαφέρει *interest*.

(6) Κέχρηται δ' ὁ αὐτὸς μαρτυρίαις ἀπὸ τȣ̃ Ἰωάννȣ προτέρας ἐπιςολῆς: *porro idem* (Papias) *testimoniis utitur ex priore Ioannis Epistola*. Euseb. H. E. lib. III. 39.

nus nostrae palpaverunt haec scripsimus. *Sic non solum visorem, sed & auditorem* (1), *sed & scriptorem omnium mirabilium Domini per ordinem profitetur &c.* Edidit hoc fragmentum de Canone scripturarum, in quo etiam *Sapientiae* liber memoratur, Muratorius ut diximus, illudque Caio Presbytero, qui saeculo III. ineunte floruit, adscripsit. Sed longe alia adrisit opinio Simoni de Magistris, Romani Oratorii doctissimo Presbytero, qui cum e Codice Chisiano annorum supra IↃCCC. Danielis librum secundum LXX. ex Tetraplis Origenis Romae editurus esset, illud idem sub Papiae nomine multo verius vulgavit (2), has consilii sui rationes proferens: *Ab Amicis Salomonis conditum fuisse* (*Sapientiae* librum) *vetustissimus auctor Christianus prodidit, cuius fragmentum ex Bibliotheca Ambrosiana in* Antiquitatibus Medii Aevi, *posteaquam privato studio descripseramus, iterum est in* Bibliotheca Patrum Veneta *exhibitum. At longe a Muratorio editore distamus, quamvis ipsius iudicium alii sint secuti.* Caio *enim* Presbytero *fragmentum ipse tribuit, quasi vero istud latine fuerit ab Auctore conscriptum, aut Caius eodem sermone sua scripta ediderit; quorum neutrum est verum. Quoniam vero certis indiciis ac prope verbis,* Papiae Hierapolitani *dicendi characterem deprehendisse videmur, ipsius nomine multo confidentius recudi voluimus, quam usque adhuc sub* Caii *nomine factum sit. Illius enim simplicitas ac aevum apparet, quando* Hermae Pastorem *ait nuperrime suis temporibus fuisse conscriptum.* Haec

(1) *Αὐτόπτην καὶ ἀκροατήν.* Papiae locutio.
(2) Dissert. IV. pag. 467. Romae fol. 1772.

Fragmenti Editor, qui latino ſcripto nihil prorſus adimens, ne menda quidem graviſſima interpretis ac librarii, praeclarum illud pro canone Scripturarum monumentum cum adiectis notis ſub viri Apoſtolici nomine excudendum putavit. Ad Frereti quidem manus idem pervenire non potuit, ceu qui iam ab Anno MDCCXLIX. fatis ceſſiſſet; at ab Euſebio quemadmodum didicit Papiae Evangelium *ſecundum Hebraeos* exploratum fuiſſe, ſic ab eodem diſcere potuiſſet falſiſſimum eſſe quod pluries repetit, Juſtinum nempe omnium primum noſtrorum Evangeliſtarum notitiam tradidiſſe (1); cum Juſtino antiquior Papias, ceu qui primo Eccleſiae ſaeculo florere coepit, Matthaeum & Marcum Hiſtoriam Chriſti conſcripſiſſe dixerit, adeoque Juſtino clarius etiam meminerit Evangeliſtarum; quum hic horum nominibus praetermiſſis, ab Apoſtolis & Diſcipulis res a Chriſto geſtas in Commentarios fuiſſe relatas ſolum memorarit. Quod ſi Evangeliorum notitia Juſtino omnium primo tribuatur; quia eius in libris plura ab Evangeliis depromta oracula leguntur, nemo tunc intelliget cur eadem Clementi & Ignatio &c. Patribus Juſtino vetuſtioribus denegetur, qui pari fere ac Juſtinus modo uſi ſunt Oraculis Evangeliorum. Si vero de nominibus Evangeliſtarum quaeſtio inſtituatur, Juſtino prius Papias meminit; qui licet ſecundo etiam ſaeculo floruerit, nemo tamen dubitat quin ſit inter Aevi Apoſtolici Patres, primique ſae-

(1) *Pag.* 11. Saint Juſtin eſt le premier de ceux qui nous reſtent qui ait eu connoiſſance des Evangeliſtes que nous avons entre les mains &c.

culi Scriptores numerandus. Hinc viri docti non Papiam solum, sed Quadratum Aristidem & Polycarpum, qui Apostolos aut cognorunt, aut propter temporum propinquitatem cognoscere potuerunt, ad primum Ecclesiae saeculum spectare posse opinantur; quo nimirum sunt scribendi facultatem, atque scientiam consequuti. Nemo autem hac de re non magni faciet Papiae testimonium, ceu qui Irenaeo teste fuerit (1) Apostoli *Joannis auditor*, *Polycarpi autem contubernalis*, etsi nonnulli contra sentiant, Eusebium secuti, qui non Apostolum, sed Presbyterum, seu seniorem Joannem Papiae institutorem fuisse disputat (2). Sed laudem illam Papiae satis cum Tillemontius, tum Grabius vindicarunt (3). Ingenio quidem tenui & mediocri admodum fuisse, tum *fabulis propiora* scripsisse affirmavit Eusebius (4); sed erat optandum ut is paulo plus sibi Historicus constitisset, cum antea Papiam hoc ornasset elogio (5) *ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιϛα λογιώτατος καὶ τῆς γραφῆς εἰδήμων Vir imprimis disertus & peritus Scripturarum*; quae verba quamquam in Rufini versione tum plerisque Codicibus desiderentur, & adiecta propterea ab imperito Scholiaste Valesius putet, reperta tamen sunt in Regio Codice, ex quo Eusebii Historiam Robertus Stephanus vulgavit; nullaque praeterea additionis ratio excogitari potest,

(1) Lib. V. cap. XXXV. edit. Oxon.
(2) E. H. lib. III. cap. XXXIX.
(3) Spicileg. PP. tom. I.
(4) loc. cit.
(5) Lib. III. cap. XXXVI.

cum in eodem Papia Hieronymus, etsi Millenariorum opinioni, cui Papias impense favit, infensissimus sermonis elegantiam & venustatem in Epistola ad Lucinium commendarit. Tota igitur Eusebiana illa censura restringenda est ad mysticos quosdam Scripturae sensus, & Apostolorum narrationes, quibus non bene expensis, aut certe non bene intellectis, integros vitae homines cum Christo in terris post iudicii diem annos mille regnaturos esse censuit, ut explicat haud inepte Grabius. At scimus homines doctos lapsos interdum errore fuisse, nec propterea de gradu eruditorum esse deiectos; quod si res posceret, quam sit Eusebius ipse non semel lapsus perspicue demonstrari posset. Eadem ac Papias imbuti opinione sive errore fuerunt Justinus, Irenaeus, Tertullianus, & nonnulli alii. Sed id neque Ecclesiae traditionem extenuat, neque infringit Patrum auctoritatem. Cum alii Patres summo consensu, asseveranter perpetuo aliter docuerint, paucorum qui reclamarunt, auctoritas consensum illum non evertit, neque impedit traditionem in Ecclesia inveteratam, cui semper ea Papiae & ceterorum opinio improbata est. Non infringit autem Patrum auctoritatem; ipsi enim nobis notas exhibent, quibus propria uniuscuiusque opinio a commissa Ecclesiae traditione secernatur; exploratumque est, quid privatim iidem sentiant, quid tanquam fidei dogma proponant. Denique cujuscumque ingenii Papiam fuisse nonnullis Criticis videatur, saltem satis habuit iudicii & acuminis, & satis bonae fidei ad enarrandum a quibusnam & quo sermone Evangelia fuerint conscripta. Quod si ii velint magno opus fuisse ingenio ut quis exeunte primo saeculo, ut quis cum Apostolis aut saltem horum Discipulis conver-

satus, cognoscere posset quinam edidissent Evangelia, quo usi sermone essent, Hebraico ne an Graeco, quo Papias ipse utebatur, ii multo tenuioris iudicii, quam Papiam fuisse contendant, merito videbuntur. Sit igitur summa viri Apostolici auctoritas, in re praesertim tam facilis cognitionis, adeoque constet vel in paucissimis etiam primi Ecclesiae saeculi monumentis mentionem haberi Apostolicae originis nostrorum Evangeliorum. Quamquam etsi nullus eius aetatis meminisset, praeclara eorum origo & auctoritas non nutaret, cum praeclarissima Scriptorum Aevi insequentis testimonia praesto sint, quae rem certam faciunt, abundeque supplent silentium paucorum, ut modo videbimus. Indignor autem propemodum Freretum & alios incredulos synchronos Auctoribus Evangeliorum Scriptores postulare, cum tamen nobis superesse non ignorent nonnullos Veterum egregios libros, quorum tamen ἀυθεντίας nulli testes suppares laudari nunc possunt. Phoedri, Augusti Caesaris Liberti, meminit demum Festus Avienus, qui Theodosii Magni temporibus floruit; ante eum nemo qui ad manus nostras pervenerit. Historiam Alexandri a Q. Curtio scriptam nemo veterum memorat, locus ex ea nullus ab ullo antiquo Grammaticorum profertur. At hunc quidem recentiorem Vespasiano, ait Clericus (1), illum vero Tiberio nemo existimat; elegantia enim stili in utroque Scriptore ea est, ut credamus ab iis minime falso aetates suas indicatas esse. Sed ut ab Eccle-

(1) Art. Critic. P. III. sect. II. cap. III. num. 17.

Ecclesiasticis Scriptoribus, quod instituto nostro magis convenit, exempla depromamus, Athenagorae nomen & Opera Eusebio Hieronymoque, qui Ecclesiasticorum Auctorum Catalogos confecerunt, ignota fuerant; quamquam a Methodio Patarorum, deinde Tyri Episcopo, sub finem saeculi III. memorata. Marii Mercatoris, ut laudatus idem Clericus monet, Augustino aequalis, nemo mentionem fecit quasi Scriptoris, cuius tamen Opera e tenebris eruit Jesuita perdoctus Joannes Garnerius & Lutetiae Parisiorum MDCLXXIII. edidit dissertationibusque illustravit. At in hisce Scriptoribus stilus & universa scribendi ratio ostendunt minime suppositos esse, sed vere temporibus iis vixisse, quibus se vixisse testantur. Quamquam ergo nulli e primo saeculo citari testes possent, qui Evangeliorum lectionis usus que ea in aetate meminissent, non liceret propterea de eorum existentia atque authenticitate dubitare, cum secundo saeculo Scriptores gravissimi eo modo meminerint ac si diu antea eorumdem in Ecclesiis lectio obtinuisset summaque auctoritas esset, ac praeterea in iis omnia elucescant indicia & argumenta Apostolicae aetatis, ut palam fiet. Quo magis etiam aequum apparet, ut si Auctores omni seposita dubietate prudenter suscipimus, quos nulli synchroni Scriptores commendarunt, non haerere debeamus in agnoscenda Evangeliorum authenticitate, quae vix ab eorum editione Patribus ad manus fuisse vidimus. Erant haec eius generis scripta ut supponi non possent. Novam Religionis formam, praecepta carni & sanguini adversa, insignia denique ac omnium splendidissima miracula complectebantur; quae omnia neminem non excitassent ad inquirendum, an veritate niterentur, & an si-

bri, qui talia vulgabant, eorum vere essent, quibus tribuebantur. At hos nulla mora excepere Christiani, omnes Ecclesiae consecrarunt, Ethnici ferociores eorum agnovere originem & Auctores cum multis haereticis, paucis tantum ex his dissentientibus, qui demum inter sese ne quidem convenêre. Plures Ecclesias, plures Apostolorum discipulos Justinus vidit, qui demum circa annum CLXVIII. passus est, ut existimat Tillemontius. Nullus veterum Patrum, qui proximo ab Apostolis saeculo floruerunt, primaevae Liturgiae ordinem eo descripsit luculentius, aut plura ad eam pertinentia litterarum monumentis consignavit, ut pene violasse arcani disciplinam religiose ab aliis Patribus custoditam videri possit. Quamquam enim probe intelligeret mysteria vulgari non debere, hac tamen silentii lege adstrictum se esse non putavit cum caussa Christianorum eorum oculis exponenda fuit, qui rerum summa potiebantur. Hinc ut de Liturgia ceterisque quae agebantur in Synaxibus paullo apertius edisseruit, ita de libris, qui in iis legebantur, sic egit ut Auctores etiam, Apostolos nimirum & Discipulos J. C. indicaverit, docueritque horum de vita rebusque Servatoris Commentaria pari a Christianis honore cultuque fuisse affecta, quo Scripta Prophetarum (1). Plures ex iisdem decerpsit sententias, easque aliquando simul ex uno alterove Evangelio iunxit, ut Clementem I. fecisse supra vidimus. In Apologia I. (2) haec ex Matthaeo

(1) Apolog. I. num. 66. 67.
(2) l. cit. num. 16.

& Luca profert (1): *Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, introibit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est. Nam qui me audit, & quae dico facit, eum audit qui misit me. Permulti autem dicent mihi; Domine Domine, non ne in nomine tuo edimus & bibimus, & virtutes praestitimus? Et tunc dicam eis: discedite a me qui operamini iniquitatem. Ibi tum erit fletus & stridor dentium, cum iusti quidem ut sol fulgebunt, iniusti autem mittentur in ignem sempiternum.* Si Justinus, qui scribente Frereto omnium primus novit laudavitque Evangelia nostra, ex iis deprompta sic citavit Oracula, cur eadem ignorasse Clementem dicemus qui pari modo extulit dicta Servatoris? Evangelia eadem protulit Justinus in Dialogo cum Tryphone Judaeo, atque sic protulit ut Judaeus hic celeberrimus non illa contemserit, sed & legisse fateretur: *Sed & vestra illa*, inquit (2), *in eo quod vocatis Evangelio, praecepta ita magna & mirabilia esse scio, ut suspicio sit neminem ea posse servare, mihi enim curae fuit ut ea legerem*. Cum in his tum in aliis, quae eo in libro leguntur, nullum indicium videas, quibus doceare Judaeum hominem minus illa Commentaria fecisse, quae ab Apostolis fuisse edita Justinus praedicabat. Quare quod haec ille probaret eo libentius se iis uti S. Martyr affirmabat (3): *Quoniam enim legisti, Trypho, ut ipse confessus es, quae*

(1) Matth. VII. 21. 24. Luc. XIII. 26. Matth. XIII. 42.
(2) Dialog. laud. num. 10.
(3) l. cit. num. 18.

noster ille Salvator docuit; *non absurde mihi fecisse videor*, *ut brevia quaedam illius Oracula propheticis adiungerem*. Quae quidem ita profert, ut non aliis quam nostris usum Evangeliis fuisse pateat. Occurrit tamen eo in Dialogo locus, quem Dodwellus ex traditione, Editor vero S. Martyris Operum ab apocryphis derivasse contendit. Agens enim Justinus de Joannis baptismate a J. C. in Jordane suscepto ait (1): *Cumque tum Jesus ad Jordanem fluvium venisset*, *ubi Joannes baptizabat*, *descendente Jesu in aquam* καὶ πῦρ ἀνήφθη ἐν τῷ Ἰορδάνῃ *etiam ignis accensus est in Jordane*, *eique ex aqua prodeunti Spiritum Sanctum instar Columbae involasse scripserunt huius ipsius Christi nostri Apostoli*. Nulla revera nostris in Evangeliis prodigii huiuscemodi mentio occurrit; sed non erraret qui diceret extitisse olim eo in Codice Graeco quo est usus Justinus; quemadmodum in Latinis Codicibus nonnullis extitisse compertum est. Apparet id ex celeberrimo Evangeliorum Vercellensi Codice, manu S. Eusebii Episcopi & Martyris exarato, quem Mediolani evulgavit eruditissimus Iricus; Matthaei siquidem in Evangelio columna XII. haec apertissime leguntur: ***Et cum baptizaretur*, *lumen ingens circumfulsit de aqua*, *ita ut timerent omnes qui aderant***. Idem legebatur in pervetusto S. Germani codice a Millio in Prolegomenis ad N. T. allegato, ut haec lectio plane cum Eusebiana conveniens manifestat: ***Cum baptizaretur Jesus*, *lumen magnum fulgebat de aqua*, *ita ut timerent omnes qui congregati erant***. Scimus, Eusebium non

(1) Num. 88.

ſolum tot labores, pericula, pugnas itinera, exilia Chriſti cauſſa exantlaſſe, ſed etiam in Graecis litteris egregie eruditum Euſebii Caeſareenſis in Pſalmos commentarios latine reddidiſſe iuſſuque Julii Romani Pontificis latine ſimiliter quatuor Evangelia vertiſſe (1). Quae indicant in Graeco Codice reperiſſe quae de lumine ex aqua erumpente in Chriſti baptiſmo memoriae commendavit. Videtur autem prodigium huiuſmodi in aliquot Graecos Codices irrepſiſſe ex Evangelio *ſecundum Hebraeos*, quo nonnullis additis ac etiam detractis uſi ſunt praeter alios Ebionitae; quemadmodum patet ex fragmento quod ſervavit Epiphanius (2); in eo namque deſcripto J. C. baptiſmate haec ſubiiciuntur: *Statimque eo in loco lux ingens affulſit*. Non igitur ex traditione, aut libris apocryphis, ſed ex Codice protulit Juſtinus, quae de igne ex aqua ſurgente commemoravit. Loci omnes, quos ex Evangeliis complures S. Martyr excepit, laudavitque tacitis Evangeliſtarum nominibus, in Apoſtolicis noſtris Commentariis reperiuntur, ut inde etiam appareat non alia Evangelia illum ad manus habuiſſe, nec alia extitiſſe ab his diverſa, quae Apoſtolorum inſignita nominibus apud Eccleſias obtinerent. Idem dicito de Evangelicis ſententiis, quas extulit Athenagoras in *Legatione*, ſive in *Apologia pro Chriſtianis*, quam Marco Aurelio eiuſque filio Commodo anno CLXXVII. obtulit iuxta Baronii, Petavii, & Tillemontii calcu-

(1) Vide Blanchini *Evangeliarium Quadruplex* tom. I. in Proleg. ad Cod. Vercellenſem.
(2) Haereſi XXX.

los. Idem denique de iis, quae recitavit Theophilus, qui circa annum M. Aurelii octavum, idest annum Christi CLXVIII. Antiochenae Sedi praefectus est, tribus in libris ad Autolycum. Idem Theophilus Commentaria in Matthaei Evangelium scripsit, quae Hieronymus se legisse testatur. Ut vel ex his intelligas quam falso affirmarit Freretus a Justino ad Clementem usque Alexandrinum Patres apocrypha iuxta ac ea, quae Apostolica & Canonica dicuntur, Evangelia laudavisse. Sed & aeque falsus est cum Justinum omnium Patrum primum nostrorum Evangeliorum notitiam habuisse scribit. Narrat Martyr invictus cum Prophetarum libris sacris in Synaxibus Evangelia perlecta fuisse; quod libris recens procusis contigisse nemo credat. Ita illorum meminit, ut nullum indicium novitatis, nullum tum primo usitatae eorumdem lectionis usus que argumentum deprehendere possis. Oracula ex iis ita decerpit, ac laudat ut Christianis omnibus ceu normam Fidei habita fuisse plane cognoscas. Mirum prorsus haec libris accidisse qui a falsariis recenter obtrusi essent, quique a nemine ante Justinum commemorati fuissent. Mirum Ecclesias universum per Orbem institutas illico in iis excipiendis consensisse: Mirum denique Ecclesiae hostes, quibus doctrina in iis tradita displicebat, non iam larvam Auctoribus detraxisse, sed admissa authenticitate nisu omni eorumdem auctoritate opiniones suas stabilire curavisse.

LI. Sed ut evidentius contra Freretum ostendamus non alia quam nostra Evangelia, ut canonica & genuina Apostolorum Opera habita fuisse testes alios gravissimos excitabimus, ex quibus quaenam esse hac de re veterum Ecclesiarum Christia-

norumque ſententia eſſet luce meridiana clarius conſtet. Sublato M. Aurelii perſecutione Pothino Lugdunenſium Epiſcopo, in eius locum ſuffectus eſt Irenaeus, Lugdunenſis Eccleſiae lumen & ornamentum, qui ad ferendas Martyrum litteras, quibus eorum de Montaniſtis iudicium continebatur, in Aſiam & Phrygiam, & ad Eleutherum fuerat deſtinatus, Romano Pontifici in iiſdem litteris commendatus, & inſigni ornatus elogio (1). Polycarpum adoleſcens audierat, & quas ab eo rectae Fidei inſtitutiones acceperat & Apoſtolicas de Chriſti doctrina & virtutibus traditiones quum *non in charta* ſed *in corde* deſcriptas retineret, eaſdem per Dei gratiam aſſidue revolvebat ac repetebat, monebatque graviſſime atque continuo ab Apoſtolica doctrina deſciſcentes, & reprehendebat, ut ex Epiſtola noſcitur ad Florinum περὶ Μοναρχίας *de Monarchia*, ſeu quod Deus non ſit conditor malorum; nam ille duo principia invexerat, Marcionis ac Cerdonis placitis adhaeſerat, & alterum Deum quidem bonorum, alterum mali auctorem affirmabat. In hac igitur ita illum compellat (2): *Haec vero dogmata, Florine, ut parciſſime & leviſſime dicam, non ſunt ſanae doctrinae. Haec dogmata diſſentiunt ab Eccleſia, & in maximam impietatem eos coniiciunt, qui illis aſſentiuntur. Haec dogmata ne ipſi quidem haeretici extra Eccleſiam poſiti proferre unquam auſi ſunt. Haec dogmata hi, qui ante nos vixere, Presbyteri, qui etiam Apoſtolorum diſcipuli extiterant, nequaquam tibi tradi-*

---

(1) H. E. lib. V. cap. IV.
(2) Apud Euſeb. H. E. lib. V. cap. XX.

derunt. Vidi enim te cum adhuc puer essem, in inferiore Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, & magnopere laborantem ut te illi approbares. Etenim ea quae tum temporis gesta sunt melius memoria teneo, quam illa quae nuper acciderunt. Quippe ea quae pueri didicimus simul cum animo ipso coalescunt, eique penitus inhaerent. Adeout & locum ipsum possim dicere, in quo beatissimus Polycarpus sedens disserebat: processus quoque eius, & ingressus, vitaeque totius formam & corporis speciem, sermones denique quos ad Populum habebat, & familiarem consuetudinem quae illi cum Joanne, ut narrabat, & cum reliquis, qui Dominum ipsum vidissent, intercesserat: & qualiter dicta illorum commemorabat: & quaecumque de Domino ab iisdem audierat. De miraculis quoque illius ac de doctrina prout ab iis qui Verbum vitae ipsi conspexerant Polycarpus acceperat, eodem modo referebat, in omnibus cum Scriptura sacra consentiens. Haec ego divina mihi largiente clementia tunc studiosus audiebam, non in charta sed in corde meo audita describens; eademque per Dei gratiam assidue repeto ac revolvo. Et in conspectu Dei affirmare possum beatum illum & Apostolicum Presbyterum siquid eiusmodi unquam audivisset, exclamaturum continuo & obturatis auribus suis dicturum fuisse pro ut ipsi moris erat: Deus bone! Quae me in tempora reservasti ut haec sustinerem, atque ex hoc ipso loco aufugiturum, in quo seu stans, seu sedens, eiusmodi sermones audiisset. Eiusdem erga Apostolicas Traditiones studium & alienum ab omni novitate animum ipsius quoque luculentius adversus haereses Libri singulis ferme paginis satis superque testantur. Scripsit autem hos non eodem tempore, aut continuo, ut ex Praefationibus videtur. Tertium librum se sub Eleuthero scripsisse testatur cum

cum ait (1): *Duodecimo ab Apostolis loco Episcopatum nunc obtinet Eleutherus*. Hic autem suffectus est Soteri Papae A. C. CLXX. cumque annos XV. diesque XXIV. in Petri Cathedra sedisset A. C. CLXXXV. mortuus est. Videamus ergo quid Vir insignis atque Scriptor adeo vetustus de nostrorum scripserit origine & Auctoribus Evangeliorum. Posteaquam praemisisset non per alios salutis dispositionem homines cognovisse quam per eos, qui Evangelium annuntiarunt, & postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, quinam ex iis id operis susceperint ita declarat (2): *Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii, quum Petrus & Paulus Romae evangelizarent & fundarent Ecclesiam*. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον *Post vero horum excessum, Marcus discipulus & interpres Petri & ipse quae a Petro annuntiata erant, per scripta nobis tradidit. Et Lucas autem sectator Pauli, quod ab illo praedicabatur Evangelium, in libro condidit. Postea & Joannes discipulus Domini, qui & supra pectus eius recumbebat, & ipse edidit Evangelium, Ephesi Asiae commorans*. Cum aliorum Veterum Scriptorum testimoniis constet Marcum vel approbante, vel saltem non dissentiente Petro Evangelium scripsisse, laudata vero Irenaei verba id evertere videantur, plura viri eruditissimi, Fogginius praesertim (3), in medium attulerunt, quibus difficultas huiusmodi satis

(1) Lib. III. cap. III. apud Euseb. lib. V. cap. VI.
(2) Lib. III. cap. I.
(3) *De Roman. D. Petri Itinere &c.* Exercit. XI.

verisimiliter solvitur & explicatur. Sed his praetermissis atque concesso etiam Irenaeum solius numeri Evangeliorum sollicitum ad exactam eorumdem editionis Chronotaxim minus attendisse, quod alii Viri doctissimi arbitrantur, illud ex eius apertissimo atque splendido testimonio elucescit non alia Evangelia eximium Virum agnovisse, non alia apud Christianos atque Ecclesias Apostolorum Commentaria auctoritatem esse consecuta declarasse, quam quae Matthaeus & Marcus, tum Lucas atque Joannes conscripsissent. Qua de re adeo constabat, ut adversus homines stilum acuens, qui suis fulciendis erroribus novas scriptiones etiam proferebant, integro capite, cuius haec est vetus inscriptio *Ostensio quod neque plura, nec minus quam quatuor possunt esse Evangelia*, ostendendum susceperit exemplis a quatuor mundi partibus, ceterisque similibus rebus desumtis quatuor solum, quae memoraverat, esse Evangelia recipienda. *Neque autem*, aiebat (1), *plura numero, quam haec sunt, neque rursum pauciora capit esse Evangelia. Quoniam enim quatuor regiones mundi sunt, in quo sumus, & quatuor principales spiritus, & disseminata est Ecclesia super omnem terram, columna autem & firmamentum Ecclesiae est Evangelium, & spiritus vitae; consequens est quatuor habere eam columnas undique stantes incorruptibilitatem & vivificantes homines*. Quaero autem a Frereto num Irenaeus adeo confidenter quaternarium numerum Evangeliorum potuisset statuere in suis adversus Haereses Libris, si haec nuper evulgata fuissent, si Justini

(1) Lib. III. cap. XI. pag. 220. edit. Oxon.

ſolum diebus in vulgus emiſſa, ſi non credita Opera Apoſtolorum, ſi denique promiſcua atque par eorumdem cum libellis apocryphis fuiſſet auctoritas. Corruiſſet fere tota aedificii extructi moles ſi vel levis ſuſpicio novitatis & Apoſtolicae originis Evangeliorum invaluiſſet. Atqui tuto horum advocavit ſuffragium cum noviſſet non Chriſtianos tantum, ſed & haereticos in iis excipiendis conſentire, uſuque ſuo pleniſſime ſtabilire, quod de numero & authenticitate eorumdem pronunciaret. *Irenaei*, inquit Clericus (1), *firma eſt ratiocinatio, & luculentum teſtimonium de numero Evangeliorum; at eam certiſſimam veritatem poſtea futilibus collectionibus dehoneſtat, dum eam vult probare ex numero partium Mundi & Cheruborum. Sed ſi moroſiores Critici pergant tandem ea adhuc carpere, eos oportet meminiſſe, nos heic non quaerere quomodo ratiocinetur Irenaeus, ſed quid crederent eius aevi Chriſtiani, de numero Evangeliorum, quod ex eius verbis manifeſtum eſt*. Eadem in Irenaeum ceteroſque Patres, qui allegoricas Evangeliorum numeri rationes quaeſivere, Critici alii intorſerunt, ſed immerito, ut Grabius, Maſſuetus, aliique docti viri demonſtrant. Voluit Iranaeus pro more genioque ſaeculi eas allegoricas uſurpare rationes, illudque philoſophandi genus pro re nata adhibere, quod a pluribus in pretio tunc temporis habebatur. Idem cum hac in re tum aliis Patres non pauci fecere, cum ut ſuperbos animos ſibi facilius conciliarent, ſemel perſuaſos Religionem Chriſtianam a recta phi-

(1) Diſſert. ſup. cit.

losophandi ratione non abhorrere; tum ut eos propriis mucronibus, ubi se se occasio daret, configerent. Et id quidem, inquit Massuetus, ab Irenaeo potiori iure usurpatum fuit, quod Gnostici Pythagoraeorum Platonicorumque principiis imbuti plurimum numeris tribuerent, & in variis eorum copulationibus haud exiguum caussae suae praesidium collocarent. Ad quorum proinde philosophemata eo sese consilio Patres saepe componunt, ut ea in Auctorum ipsorum caput aliquando non infeliciter contorqueant. Quare quid & quantum valeant huiusmodi rationes, ut aequa lance definiatur, proponentis aetas, scopus, adversarii, ac litigantium hypothesis semper prae oculis haberi debent; ad quae quisquis attenderit fateri non dubitabit id fere egisse sanctos Patres, quod in iis temporum ac disputationum circumstantiis recta ratio ab iis exigebat. Sed quam parum huiusmodi numerorum rationibus tribueret Irenaeus clarissime patet ex iis, quae pluribus in locis eadem de re disserit; in quibus scilicet ex professo probat, Dei opera ad numeros exigi non debere, sed potius numeros ad res divinas, rationem & veritatis argumenta exigendos esse, curiosamque illorum inquisitionem numerorum, & ex his ducta argumenta infirma, vana plerumque, & periculosa esse. Est vero adeo certum Irenaeum quaternarium numerum Evangeliorum non ratione necessaria, sed convenienti tantum atque probabili eo, quem exposuimus, modo voluisse colligere, ut diserte etiam affirmaverit potuisse Ecclesiam sine ullis Evangeliis consistere, & revera doctrinam eius sine ullis litteris apud Gentes plu-

timas propagatam fuiſſe: *Quid autem* aiebat (1) *ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multae Gentes Barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charta vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes, in unum credentes fabricatorem coeli & terrae & omnium quae in eis ſunt per Jeſum Chriſtum Dei Filium . . . . . Hanc fidem qui ſine litteris crediderunt, quantum ad ſermonem noſtrum barbari ſunt, quantum autem ad ſententiam & conſuetudinem & converſationem, propter fidem perquam ſapientiſſimi ſunt, & placent Deo converſantes in omni iuſtitia & caſtitate*. Et rectiſſime quidem haec ſcripſit Irenaeus. Nam cum in confeſſo eſſe debeat apud omnes Catholicos, veram Religionem nullo unquam tempore ab orbe condito inter omnes omnino defeciſſe, neceſſario dicendum eſt illam ab Adamo uſque ad diluvium, a diluvio uſque ad Moſen ſine ullo librorum ſubſidio integram perſtitiſſe. Videtur enim certum nullos libros Moſaicis antiquiores dici poſſe. Quamvis ab ipſo Moſe liber *Bellorum Domini* laudatus ſit (2) tamen librum hunc nonniſi temporibus ipſius Moſis, & poſt tranſitum maris rubri ſcriptum fuiſſe ſive a Moſe ipſo, ſive ab aliquo alio Iſraëlita perſpicuum puto; haec ſiquidem in eo legebatur prophetia (3):

(1) Lib. III. cap. IV. pag. 205. edit. Oxon.
(2) Num. XXI. 14.
(3) Loc. cit.

Sicut fecit (Dominus) *in mari rubro*, *sic faciet in torrentibus Arnon*. Quod autem habet Epistola Judae canonica Enochum, qui septimus ab Adamo fuit (1), *prophetasse dicentem*: *ecce venit Dominus in sanctis millibus suis* non probat scriptum fuisse librum aliquem sacrum ante Mosis tempora; hanc enim Enochi prophetiam, inquit Germonius (2), mandatam fuisse litteris, aut si litteris mandata fuit, ab ipso mandatam fuisse Enocho, nec docet Beatus Judas, nec ulla ratio evincit. Censent autem plurimi Interpretes, tam antiqui quam recentiores, illam ab Apostolo vel revelatione cognitam, vel traditione acceptam fuisse. Nihil ergo prohibet quominus affirmemus Mosem primum omnium ea, quae ad Religionem pertinent, litteris mandasse, atque adeo veram Religionem usque ad ipsius tempora sine litteris perstitisse. Conservabatur autem tum continuata Patrum traditione, tum etiam revelatione divina, qua priscis illis temporibus pios viros identidem potitos & illustratos fuisse ab ipso eodem Mose didicimus. Quod si tam Synagogam quam Christi Ecclesiam Deus Optimus Maximus instructam litteris voluit; tamen dubitari non potest etiam post Adventum Christi, a quo divina mysteria multo uberius, quam antea percepimus, apud barbaras Gentes multas fidem Christianam & propagatam fuisse, & aliquandiu sine litteris custoditam, ut in adducto Irenaei testimonio declaratur, & initio factum scimus, antequam scilicet Evan-

(1) Jud. 14.
(2) *De Vet. Haeret. Eccles. Cod. Corrupt.* P. II. cap. VI.

gelia ſcriberentur. *Animadvertendum eſt* ait appoſite Henricus Holdenius (1) *viam ſeu methodum, qua primo diſſeminata fuit Evangelica & revelata Chriſti doctrina, peculiarem valde fuiſſe. Poſtquam enim Chriſtus Jeſus ſanctiſſimis & efficaciſſimis mediis (quae Chriſtianum neminem latent) ſuum ſeviſſet, & panxiſſet Evangelium, proprioque lethali ſanguine, tanquam Teſtamenti Codicem ſignando rigaſſet, miſſo de coelis in Apoſtolos ſuos aeterni Patris Spiritu, ad univerſum Orbem in varias mundi plagas diffuſe & ſparſim legati ſunt coeleſtes hi Nuncii, qui longum ſatis temporis ſpatium (quod triennium fuiſſe annotavit S. Paulus Act. 20.) inſumſerunt in qualibet Eccleſia & Civitate ad fidem Chriſtianam, & Evangelicam doctrinam Proſelytorum ſuorum & Neophytorum cordibus inſerendam. Hoc & evidentiſſimis miraculis & ardentiſſimis exhortationibus ac monitis cum vi lacrymarum ac ſpiritus fervore profluentium, die ac nocte laborantes effecerunt, ita ut auditorum ſeu diſcipulorum ſuorum intellectus pleniſſime convicerint, & voluntates vehementiſſime commoverint. Hanc ſane doctrinam triennali ſpatio firmiſſime ſtabilitam fuiſſe dubitare non licet, cum ea, quae credere evincebatur Populus fidelis, operibus & actionibus ſuis aſſidue exercuerit & continenter firmaverit, adeoque in omnibus edoctus & perſuaſus fuerit, ut huic evangelicae Veritati inhaerendum eſſe vel ad ſalutis aeternae conſecutionem omnino requiſitae conſtantiſſime crediderit. Hoc ipſum opus Evangelicum eodem tempore praeſtitum fuit in plurimis & diverſis partibus ac regionibus, longe ab invicem diſtantibus, abſque omni ſcripto*

(1) *Analyſ. Divin. Fidei* lib. I. cap. VIII.

vel libro (praeterquam apud Judaeos, quibus V. T. auctoritas canonica fuit, ac ideo conceptis verbis in medium afferebatur) quarum nulla sub initio id ipsum alibi fieri ullatenus sciebat; nec commercium aut communicationem aliquam invicem habuere summotae procul hae Nationes, qua in eiusdem Fidei professione & Religionis exercitio unionem, & concordiam inire potuissent; sed unaquaeque Ecclesia in quovis regno, & in qualibet regione, ab invicem longinquo remota eam, quam sibi praedicatam audiverat doctrinae disciplinam, fide & opere amplectebatur. Quae omnia firmari possunt Evangeliorum editionis Chronologia, quam ex Annalibus Paulinis Pearsonii, & Joannis Millii Prolegomenis ad N. T. sic consignari posse censet Joannes Albertus Fabricius (1) ut Evangelium Matthaei anno Christi LXI. Neronis VII. editum sit, Marci LXIII. Neronis IX., Lucae LXIV. Neronis X. Joannis postremo XCVII. Nervae I. cum ab eo Auctor Ephesum redeundi facultatem obtinuisset. Quod ergo Spiritus Sancti gratia & inspiratione perfecit Deus inter Gentes barbaras, ut ex Irenaeo vidimus; quod initio Ecclesiae primisque Apostolicae praedicationis annis inter Graecos, & Romanos & alios Populos contigisse scimus, hoc utique perpetuo similiter efficere potuisset. Noluit tamen: Apostoli enim, quemadmodum antea Prophetae (2) *Evangelium quod praeconiaverant, postea per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, funda-*

(1) Lib. VI. Biblioth. Graec.
(2) Lib. III. cap. I.

fundamentum & columnam fidei nostrae futurum. Suae ergo Ecclesiae Deus a temporibus Mosis praeter veterum Patrum traditionem, firmissimum etiam sacrarum Litterarum praesidium concessit; quod summae fuit erga homines benignitatis & singularis Providentiae monumentum. Nam cum lege Mosaica, ut supra laudatus animadvertit Germonius, plura imponerentur praecepta, plures sacri ritus ac ceremoniae inducerentur; Evangelio autem arcana Dei mysteria retegerentur apertius, hominesque ad perfectam magis magisque virtutem vocarentur & perducerentur, cum Lege veteri & nova contineretur quoddam pacti genus Deum inter & homines; decebat utriusque Legis haberi instrumenta, & beneficio litterarum certam magis & accuratam eorum memoriam conservari; quae hominibus Deus vel per se vel per servos suos Prophetas esset locutus; praesertim cum teste Apostolo (2) *omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* Christus quidem Evangelium, quod primum proprio ore promulgavit, nullum scripsit; nam cum ad Legem veterem complendam advenisset satis habuit divinam sui missionem & originem amplissimis prodigiis confirmasse. Neque etiam ut ullum scriberent Evangelium apertissime Apostoli iussi sunt; at quum imperatum sibi esse cognossent, ut discipulos facerent & coelestem quam hauserant doctrinam omnes in terras regionesque perferrent, eam viam divino ad-

(1) II. Timoth. III. 20.

flante Spiritu selegerunt, quae Magistri sanctissimi iussis exsequendis aptior commodiorque videretur. Hinc a praecepto Evangelii promulgandi Apostolis indicto scriptionem Evangeliorum & originem derivavit Tertullianus (1): *Constituimus imprimis*, aiebat, *Evangelicum Instrumentum Apostolos auctores habere, quibus hoc munus Evangelii promulgandi ab ipso Domino sit impositum. Si & Apostolicos non tamen solos, sed cum Apostolis, & post Apostolos. Quoniam praedicatio Discipulorum suspecta fieri posset de gloriae studio si non adsistat illi auctoritas Magistrorum, imo Christi qui magistros Apostolos fecit*. Cum ipsi per se terras omnes peragrare non possent, & singulis in Vrbibus tantum commorari, ut viva voce omnia docerent quae vel ad faciendam sibi fidem, vel ad eam confirmandam erant necessaria, ne in promulgatione Christianae doctrinae diuturniores moras necterent, expediebat ut historia Christi, atque doctrina litteris commendaretur, unde totus qua late patet Orbis facilius rerum tantarum notitia imbueretur; praesertim cum Ethnici Judaeique multis inanibus opinionibus praeconceptis, gravissimisque erroribus praepediti, paucis verbis curari non possent, sed multi in eam rem saepiusque repetiti sermones necessarii prorsus essent, ut firmior solidiorque eorumdem fides evaderet. Doctrina etiam Evangelica, quae ad ultimum usque rerum finem transmittenda erat, non potuisset satis tuto committi soli hominum memoriae, eaque ratione per tot saecula incorrupta conservari. Norunt quippe omnes, memoriam non modo na-

(2) Lib. IV. c. Marc. cap. II.

tura non satis tenacem esse, sed etiam affectibus perturbari, saepiusque velint nolint homines eam experiuntur labilem, & in concinnandis rerum narrationibus, quas vel audiverunt iamdudum, vel oculis conspexere suis, multis lapsibus obnoxiam esse, tum vacillare & fluctuare animadvertunt. Quo fit, ut multis erroribus fraudibusque historia pateat, quae memoriae dumtaxat commissa nullis servetur monumentis litterarum. His adde eas caussas, quae Evangelistas singulos ad Evangelium conscribendum magis magisque compulerunt. Non aient increduli Apostolos fictas esse personas, de quarum existentia sine stultitiae nota dubitare liceat. Non negabunt Christi doctrinam ubique praedicasse, eamque etiam eorum aliquot effuso sanguine obsignasse. Quid ergo verisimilius quam Magistri sui doctrinam resque ab eo gestas litteris prodidisse? Quid vero magis consonum, quam illa Evangelia eorum opus esse, quae Ecclesiae ab iis excitatae tanta semper religione servarunt? Sed, ut aiebam, quia gemino & traditionis & divinorum Librorum praesidio, tam Synagogam quam Ecclesiam Christi munitam fuisse cognovimus, non est idcirco existimandum non potuisse omnino utramque firmam ac stabilem permanere absque litteris. Poterat utique Deus, si voluisset, facere, ut neque Moses neque Prophetae, neque Apostoli Scripturas nobis relinquerent. Poterat sine isto adiumento Litterarum Ecclesiam suam *aedificare super petram*, atque abundantiori Spiritus Sancti illustratione & repetitis saepius revelationibus providere ne *portae inferi praevalerent adversus eam*.

LII. Ante Irenaeum, cui post Henricum Dodwellum & Guillelmum Cave frustra Samuel Basnagius

Haerentem capiti multa cum laude coronam

Martyrii conatur detrahere, scripserant Viri in Ecclesia celeberrimi Quadratus, Aristides, Agrippa Castor, Melito, Dionysius Corinthiorum, & Hegesippus; sed cum horum libri perierint, solaque nomina vel epistolarum fragmenta apud Eusebium supersint, non possumus eosdem ad dicendam caussam adducere. Irenaeus ipse nullas ex istorum libris sententias decerpsit, & ad testimonium adversus Haereticos ferendum adhibuit, ut erudite admonuit Pearsonius (1). Si Frereti logicen placeret amplecti, consequens videretur incognitos sanctissimo doctissimoque Martyri prorsus fuisse, quod ab illo in libris, quos nunc habemus, cum plures perierint, non commemorentur. Quod de viro tamen nemo concedet, quem *omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem* appellavit Tertullianus. Quadrati & Aristidis Apologiae notissimae omnibus carissimaeque fuerunt, quod Hadriano Imperatori oblatae persecutionem restinxerint. Agrippa Castor erat Eusebio γνωριμώτατος συγγραφεὺς, Hieronymo *vir valde doctus*. Melitonis *elegans & declamatorium ingenium* laudavit Tertullianus: Dionysius *magnae eloquentiae fuit*. Hegesippus *vicinus Apostolicorum Temporum*, teste Hieronymo. Scriptores igitur tam praeclaros ignorare non potuit Irenaeus: quare iidem nec nominati nec ignoti fuere, & perperam plane inferretur, aliquem fuisse Irenaeo penitus ignotum, quod ab eo in his, quos habemus, eius libris non fuerit nominatus. Quae

(1) Vindic. Epist. S. Ignatii P. I. cap. VI.

eo maiorem vim habere comperies, quod in Scriptoribus ab Irenaeo praetermiſſis quamplurima ſatis probabi liter reperirentur, quae ſtudium eius haereſes profligandi adiuviſſent, ut laudatus Pearſonius argumentatur. Epiphanius etiam in ſuis de Haereſibus libris quamplurimos Auctores laudatiſſimos, & ad rem ſuam accommodatiſſimos non citavit, quos tamen eum ignoraſſe credibile non eſt. Quales fuere Ignatius Antiochenus Epiſcopus & Martyr, Papias, Hegeſippus, Theophilus, Athenagoras, Pantaenus, Agrippa, Melito, Caius, Dionyſius Corinthius, Dionyſius Alexandrinus, Philippus Epiſcopus Cretenſis, Muſanus, Modeſtus, Rhodon Miltiades, Apollonius, Serapion, Theophilus Caeſareenſis. Hi aliique ſane quamplurimi ad argumentum Epiphanii opportuniſſima ſcripſere; quorum nullius ille meminit; nemo tamen eum hos omnes, alioſque quos praeteriit, aut ignoraſſe, aut contemſiſſe dicet. Etiamſi ergo Clemens I. Barnabas, Ignatius, & Polycarpus nullas ex Evangeliſtis noſtris ſententias decerpſiſſent, non eſſet propterea colligendum aut illorum aetate conſcripta ab iis de vita J. C. Commentaria non extitiſſe, aut a laudatis Patribus vel ignorata vel contemta fuiſſe. Quominus non miremur in Patribus Apoſtolicis non legi noſtrorum nomina Evangeliſtarum cum cauſſae plures faciunt iam adductae, tum quod non omnia ad manus noſtras pervenerint, quae illi conſcripſerunt. Clementis ad Corinthios Epiſtola II. mutila eſt. Plures ſcripſiſſe Epiſtolas Polycarpum nemo dubitat: atqui ſola, quam ad Philippenſes dedit, aetatem tulit, & beneficio veteris Latini Interpretis integrior ad poſteros pervenit. Sed & alterum mirae ac praeclarae prorſus Freretianae logices argumentum non pigeat ex-

hibere. Contendit is ex una alterave sententia, quae aut Historiae contradicat Evangelicae aut doctrinae, concludendum esse qui eamdem tutatus fuerit, Evangelia Apostolorum opus esse denegasse. Mira ista consequentia ex iis corruit quae de veteribus Sectariis iam diximus, quorum plurimi, etsi adversus Ecclesiae doctrinam multa docuerint acerbe & petulanter, Evangelia tamen ab Apostolis fuisse conscripta concesserunt. Imo si Frereti disserendi methodus probanda esset, oporteret affirmare Patres nonnullos aut Scripturarum inscios, aut earum auctoritatis contemtores fuisse, cum inadvertentia ducti quaedam aliquando tradiderint, quae cum historia Evangelica componi non possunt. Nisi mendum in libros Irenaei irrepsisse putes, ubi de aetate agit (1), qua Christus passus est, ea ex ipso habebis, quae ab Evangeliis diffideant. Asseveravit Lactantius (2) Jesum nunquam se ipsum dixisse Deum, cum tamen ex Joannis Evangelio manifestum sit suam θεότητα praedicasse dum dixit: *Ego & Pater unum sumus* (3). Quod indignantes Judaei respondebant: *tu homo cum sis, facis te ipsum Deum*. Idem Lactantius sensit (4) Pilatum sententiam non protulisse adversus Christum, sed eum tantum Judaeis tradidisse, ut de illo ipsi secundum Legem suam iudicarent. Quod tamen apertissime Historiae contradicit Evangelicae, ex qua discimus *Jesum autem*

(1) Lib. I. cap. XXXIX.
(2) Lib. IV. Divin. Institut. cap. XIV.
(3) Io. X. 30. & seqq.
(4) Lib. cit. cap. XVIII.

flagellatum tradidisse *eis ut crucifigeretur* (1). Quibus indicavit Matthaeus a Pilato fuisse Christum Judaeis traditum non ut iudicaretur sed ut crucis affigeretur patibulo ; quod idem est ac si scripsisset, damnavit eum crucis supplicio. Similia Lucas scripsit. At ex his singularibus cum Irenaei, tum Lactantii opinionibus nemo colligit eos minus Evangelia fecisse, quae summe veneratos esse Libri eorum testantur. Possem id aliis exemplis ostendere sed in re manifesta & clara diutius non est immorandum. Itaque iam adductis potius Papiae, Justini, atque Irenaei testimoniis cetera veterum aliorum Auctorum adiungemus, quo magis magisque traditio de Apostolica nostrorum Evangeliorum origine stabiliatur. Inter secundi Ecclesiae saeculi Scriptores magnum est Clementis Alexandrini nomen. Hunc quatuor tantum ab Ecclesia esse tradita Christianis Evangelia, eaque esse illa eadem, quae nos habemus, agnovisse exscripto supra illius adversus Julium Cassianum testimonio vidimus. Declarant idem eiusdem Opera doctrinae atque eruditionis vere singularis plena, in quibus depromtas ex Apostolicis Evangeliis sententias explicat & illustrat, tum confirmat egregie Eusebius Caesareensis qui ex libris ὑποτυπώσεων eiusdem Clementis hanc de Evangeliis nostris narrationem exscripsit: *Sed & in iisdem libris*, inquit Eusebius (2), *Clemens traditionem quamdam de ordine Evangeliorum, quam a vetustioribus Presbyteris acceperat, refert hunc in modum. Di-*

(1) Matth. XXVII.
(2) H. E. lib. VI. cap. XIV.

cebat, ex Evangeliis prius scripta esse illa, quae seriem Dominici generis continent: Marci autem Evangelium ex huiusmodi occasione scriptum fuisse. Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset & Spiritu Sancto afflatus Evangelium promulgasset, multi qui aderant, Marcum cohortati sunt, utpote qui Petrum iamdudum sectatus fuisset, & dicta eius memoria teneret, ut quae ab Apostolo praedicata erant conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit, iisque qui illud ab ipso rogabant impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit. At Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis, ea quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, ipse divino Spiritu afflatus spiritale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit. Clementi quo usus est praeceptore concinit Origenes, cuius praeclarum eadem de re testimonium nobis idem servavit Eusebius (1) inquiens: *In primo autem libro expositionum in Evangelium Matthaei Ecclesiastico insistens Canoni, quatuor dumtaxat Evangelia esse testatur his verbis: Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor Evangeliis, quae in universa Dei Ecclesia, quae sub coelo est, citra controversiam admittuntur: primum scilicet Evangelium scriptum esse a Matthaeo, prius quidem publicano, postea vero Apostolo J. C., qui illud Hebraico sermone conscriptum Judaeis ad fidem conversis publicavit. Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat, in litteras retulit. Atque idcirco Petrus in Epistola Catholica eum filium*

(1) H. E. lib. VI. cap. XXV.

lium suum agnoscit his verbis (1) : Salutat vos electa Dei Ecclesia, quae est in Babylone & Marcus filius meus. *Tertium Evangelium Lucae, quod a Paulo commendatur, in gratiam gentilium conscriptum. Postremum vero Evangelium Joannis.* Non alia autem quam nostra designasse Evangelia, Commentaria manifestant quibus eadem illustravit. Et Celso quidem obiicienti ideo *lignum* a Christianis celebrari aut quia Christus patibulo crucis fuerat affixus, aut quod faber fuisset, ita quidem ille respondit (2) : *verum non animadvertit mentionem de ligno vitae in litteris mosaicis fieri, deinde nusquam in Evangeliis ab Ecclesia receptis Jesum dici fabrum*; sed iam est ab Vgone Grotio aliisque animadversum aut memoria fuisse Origenem deceptum, aut Marci Exemplaria, quibus ille utebatur, aliam habuisse scripturam. Quae non aegre quisque probabit si ad ea animum adverterit, quae ex Huetio de citationibus ab Origene factis supra admonuimus. Alia non canonica Evangelia optime novit Adamantius, eaque ab authenticis & Apostolicis aperte distinxit. Quod apparet praesertim ex Homilia in Lucam prima, in qua secundum Hieronymi interpretationem haec leguntur (3) : *Et ut sciatis non solum quatuor Evangelia, sed plurima esse conscripta, e quibus haec quae habemus electa sunt & tradita Ecclesiis, ex ipso prooemio Lucae, quod ita contexitur cognoscamus.* Quoniam quidem multi co-

(1) I. Petri V. 13.
(2) Lib. VI. c. Celsum num. 36.
(3) Tom. III. Opp. pag. 933.

nati sunt ordinare narrationem: *Hoc quod ait*: conati sunt *latentem habet accusationem eorum qui absque gratia Spiritus Sancti ad scribenda Evangelia prosilierunt. Matthaeus quippe & Marcus, Joannes & Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu Sancto pleni scripserunt Evangelia*. Multi *igitur* conati sunt ordinare narrationem de his rebus quae manifestissime cognitae sunt in nobis. *Ecclesia quatuor habet Evangelia, haereses plurima, e quibus quoddam scribitur* secundum Aegyptios, *aliud* iuxta XII. Apostolos. *Ausus fuit & Basilides scribere Evangelium, & suo illud nomine titulare. Multi conati sunt scribere; sed & multi conati sunt ordinare: quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini & Salvatoris nostri proferenda sunt dogmata*. Hactenus Adamantius, Ecclesiasticae totius antiquitatis callentissimus, cui similia Hieronymus & Ambrosius scripsere. Productis autem testimoniis Veterum Patrum alia bene multa ex Tertulliano aliisque adiungi facile possent; sed haec si persequi vellem diligenter, quae mea initium sumsit, ea certe vix exitum oratio reperiret. Temperabo igitur me, & unum postremo laudabo Eusebium Caesareensem, ex quo non leve robur accipiet disputatio nostra. De Scripturis is differens, quae summo tota vetustas semper excepit assensu, Evangelia primo loco nominat (1): *Primo igitur*, inquit, *collocanda est sacrorum Evangeliorum quadriga, quam deinde consequuntur Actus Apostolorum. Post hos numerandae sunt Pauli Epistolae. Inde prior illa Joannis ac similiter Petri Epistola suf-*

(1) H. E. lib. III. cap. XXV.

cipienda est. Postremo adiungenda est, si ita videbitur, Joannis Revelatio: de qua quid veteres senserint suo loco exponemus. Et haec quidem communi omnium consensu recepta sunt. Recenset postea aliquot Apostolorum Epistolas de quibus nonnulli veterum dubitavere, cum de iis paulo obscurior traditio esse videretur. Iis nimirum Epistolis idem plane evenit, quod nonnullis fidei decretis usu venisse compertum habemus. Non statim haec omnia universis Christianis perspicua atque constanti doctorum consensione tradita sunt: non pauca ab Apostolis Patres nostri receperunt, quae etsi non obsoleverunt ab aliis ad alios sive scripto sive voce perpetuo transmissa, videntur tamen iacuisse ad tempus donec aut evertendae haereseos, aut defendendae veritatis ratio visa est postulare, ut e tenebris quibus continebantur emergerent, & novo lumine Ecclesiastici iudicii illustrata sese omnibus probanda nesciaque dubitationis fide credenda proferrent. Superiora autem Patrum testimonia suffragio suo gravissimo confirmat Eusebius, cum de Marci Evangelio (1) ita scribit: *Igitur cum Dei doctrina Romanos adventu suo* (Petrus) *illustrasset, Simonis quidem vis ac potentia cum ipso simul auctore brevi extincta atque deleta est. Tantus autem veritatis fulgor emicuit in mentibus eorum, qui Petrum audierant, ut parum haberent semel audisse, nec contenti essent coelestis Verbi doctrinam viva voce accepisse, sed Marcum, Petri sectatorem, cuius hodieque extat Evangelium enixe orarent, ut doctrinae illius, quam*

(1) H. E. lib. II. cap. XV.

auditu acceperant, scriptum aliquod monumentum apud se relinqueret. Nec prius destiterunt, quam hominem expugnassent, auctoresque scribendi illius Evangelii, quod secundum Marcum dicitur, extitissent. Quod cum Petrus per revelationem Sancti Spiritus cognovisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum sua auctoritate comprobasse dicitur, ut deinceps in Ecclesiis legeretur. Refertur id a Clemente in sexto Institutionum libro, cui testis etiam accedit Papias Hierapolitanus Episcopus. Clementis Alexandrini verba supra protulimus, quae quia Eusebii videntur narrationi adversari, cum innuant nec adhortante nec prohibente Petro Marcum scripsisse Evangelium, ideo caute prudenterque haec adnotabat Nicolaus Nourrius (1) *perpende quaeso an probabilius tibi non videatur, Marcum antequam huic operi manum admoveret nec ad illud perficiendum a Petro excitatum, nec ab eo scribendo deterritum? At eo absoluto quum cognovisset Petrus quantum Christianis prodesse posset, tunc ab ipso comprobatum, confirmatumque fuisse: sed ea de re posset forsitan certior ferri sententia, si Clementis de Hypotyposibus libri extarent*. Denique de Joannis in scribendo Evangelio proposito pertractans ita simul aliorum Evangelistarum meminit (2): *Matthaeus cum Hebraeis fidem praedicasset, inde ad alias quoque gentes profecturus, Evangelium suum patrio sermone conscribens, id quod praesentiae suae adhuc superesse videbatur, scripto illis, quos relinquebat, supplevit. Postea vero cum Mar-*

(1) Apparat. ad Biblioth. PP. Diss. II. in Op. Clem. Alexand.
(2) H. E. lib. III. cap. XXIV.

tus iam & Lucas Evangelia sua seorsim singuli edidissent, aiunt Joannem, qui hactenus nuda voce Verbum Domini praedicaverat, tandem ob huiusmodi caussam ad scribendum se contulisse. Perlatis iam in omnium ipsiusque adeo Joannis notitiam supra dictis tribus Evangeliis, approbavisse ea Joannes & veritatem Scriptorum suo testimonio confirmasse dicitur: solam vero narrationem earum rerum, quas Christus circa praedicationis initium gesserat, desiderasse. Et profecto res ita se habet &c. Tum indicatis nonnullis rebus quas ab aliis praetermissas supplevit Joannes ita prosequitur: *ab ipsa vero eius* (Christi) *divinitate sumsit exordium, quippe quae a Spiritu Sancto ipsi tanquam praestantiori fuisset reservata*. His consentanea alii Patres docuerunt; quorum testimonia cuivis obvia sunt. Quanti porro in re praesertim de qua agimus Eusebii auctoritas sit, vix quemquam ignorare puto. Rerum omnium scientia instructus ad Historiam Ecclesiasticam perscribendam animum appulit. Plurima iam antea volumina auro cedroque digna in vulgus ediderat, quibus sui in Veterum scriptis variam lectionem & in omni litteratura peritiam ostenderat insignem, ceu qui Sozomeno teste iam esset πολυμαθέστατος Ἵστωρ. Diu antea cum Pamphilo familiarissime vixerat, qui praeclaram Ecclesiasticorum Scriptorum Bibliothecam instruxerat: huic quotidie interfuit, hanc versavit assidue, huius librorum indicem confecit. Usus est etiam Bibliotheca Hierosolymitana, quam illius Urbis Episcopus Alexander curarat instruendam, in qua praeter alia, etiam Epistolae, quae viri Ecclesiastici ad se invicem dederant, conservabantur, uti apposite observavit Pearsonius. Ita denique libris scriptis deditus erat Eusebius, in iisque feliciter adeo versatus est, ut Imperator Con-

stantinus Caesaraeam Constantinopoli scriberet, eique potissimum in mandatis daret, ut quinquaginta Sacrarum Litterarum Codices in membranis artificiosissime describendos curaret, & regiam ad urbem mitteret. Jam vero est ne verisimile librorum helluonem veteranum, qui inter membranas chartasque vitam contrivit, qui tot Veterum Scriptorum volumina quotidie descripsit aut defloravit, qui tot monumenta Patrum nocturna diurnaque versavit manu, non deprehendisse quod adeo feliciter se reperisse Freretus arbitratur, Patres nempe Apostolicos nunquam Evangelia nostra, saepissime Apocrypha confidentissime laudavisse? Nihil minus. Hegesippum & Papiam Evangelium *secundum Hebraeos* dictum novisse semel tantum admonuit; & quum sibi proposuisset Veterum Patrum circa Scripturarum libros traditiones ostendere, & quinam ex his laudati ab antiquis communique nec interrupto unquam consensu recepti fuissent, patefacere, nullam unquam de nostrorum Evangeliorum Origine vel levissimam extitisse dubitationem satis monstravit dum Papiae, Origenis, Clementis Alexandrini testimonia protulit, & pro eadem re amplissima ipse exhibuit monumenta. Si varia fuisset nostrorum Evangeliorum fortuna, si Clementis, Ignatii, & Polycarpi Epistolae citationibus ex libris Apocryphis & mendacibus decerptis abundassent, si Ecclesiae aliquot in nostris excipiendis Evangeliis dissensissent, si denique probatus aliquis e Veteribus Scriptor de illorum origine dubia proposuisset, num haec omnia praetermisisset Eusebius, qui veterum de sacrae Scripturae libris judicia, & dubietates adeo accurate narravit atque percensuit? Idem dicendum de Hieronymo, idem de Auctore accuratissimae Synopseos

librorum utriusque Testamenti Athanasio tributae, idem de Patribus ceteris, qui sacrarum litterarum studio floruerunt; idem postremo praecipue pronunciandum de iis Episcopis, qui Romanam, Antiochenam, Alexandrinam, Hierosolymitanam regentes Ecclesias, dici vix potest, quam solliciti fuerint de doctrina a Petro, Jacobo, Marco, primis earum Pastoribus tradita, absque labe & corruptione conservanda.

LIII. Ad auctoritatem porro & αὐθεντίαν quorumcumque Veterum Scriptorum adserendam confirmandamque duo tantum argumentorum genera afferri possunt; externa scilicet & interna, quorum priora ex testimoniis, posteriora ex scriptis ipsis depromuntur. Quam graves Scriptores Apostolicae nostrorum Evangeliorum originem testentur hactenus ostensum est. Restat igitur, ut palam fiat eadem eius esse generis, ut ea viris digna videantur, quibus a Veteribus tribuuntur, nihilque in iis omnino contineri, quod Auctores Apostolis minus antiquos vel minus pios ac prudentes postulet, quo summae testium auctoritati rei ipsius dignitas suffragetur. Quod paucis ostendemus. Qui Apostolorum Commentarios critice voluerunt expendere nihil in iis aut deprehendere, aut subodorare potuerunt aetati minus conveniens, qua scripti esse feruntur, aut auctoribus, quorum nominibus praefulgent. Nulla enim complectuntur. quae ad illam aetatem non pertineant, aut quae ab Historicis sive Judaeis sive Paganis ullo modo discordent, aut quae postea contigisse suspicari vel levissime quisquam possit. Quae de religione, legibus, politia, ceremoniis, jurisprudentia opinionibus sectisque Judaeorum in Evangeliis leguntur, totidem

profanorum Scriptorum affirmationibus confirmari queunt. Nullus Chronologicus vel Geographicus error occurrit; & accuratissime locorum situs, ubi res a Christo gestae fuere, designantur. Qui fieri potuit, inquit Hookius (1) ut errores innumeros in iis omnibus vitaret, qui post illam aetatem, & eversam funditus Rempublicam animum ad scribendum adiecisset? Imo non solum nulla sunt quae Evangeliorum recentiorem aetatem manifestent sed plura contra in iisdem memorantur; quae manifestam faciunt eorum vetustatem. Matthaeus, Marcus, & Lucas Christi Domini vaticinia de proxime futura Judaeorum sorte, urbisque excidio narravere, de exitu tamen rerum, illarumque praedictionum complemento omnino siluerunt. Haec innuunt prophetiam illam, quo tempore scribebatur, completam nondum fuisse; nam alias eventibus adeo memorabilis & ad memoriam posteritatis insignis, ad magistri commendationem meminissent. Quae ut vetustatis Evangeliorum osores omnes, sic Freretum praecipue urgent, qui nihil frequentius occentavit, quam antiquos Christianos orbem universum mendacibus replevisse libellis quo mortalium animos ad J. C. cultum concitarent, & quovis denium modo fama nomenque augeretur legislatoris & institutoris sui. Liber Actorum Apostolicorum suam quoque prodit aetatem. Hunc fuisse a Luca editum antequam Paulus a primis vinculis solveretur inde cognoscitur, quod eo usque huius Apostoli individuus

viduus

(1) *Relig. Nat. & Revel. Princip.* tom. II. P. II. Art. I.

viduus comes ſuam perducat hiſtoriam: eadem certe cura diligentiaque proſecuturus quae eidem Paulo poſtea evenere, ſi mandatus litteris ſerius fuiſſet. Ac de huius quidem Apoſtolici commentarii vetuſtate non videtur Freretus diſſentire; cum eo abutatur ad oſtendendum Ethnicos & Paganos univerſos adverſus fabulas a Chriſtianis de Chriſto in vulgus ſparſas conclamaſſe. Si libri huius initium cum principio ac fine conferas Evangelii, quod dicitur ſecundum Lucam, tum cetera conſideres quae pro genuinis Auctorum libris cognoſcendis conſiderari prudenter debent, utriuſque libri ſcriptorem unum eumdemque fuiſſe deprehendes. Sed impotentem vide Frereti Chriſtianae Religionis cultores criminandi libidinem, & miram, qua ſe ſe involvit, implicationem. Lacerat ille maiores noſtros contenditque nullam quae habemus, Apoſtolicis Commentariis praeſtandam eſſe fidem, cum ii toti ad fraudem compoſiti fuiſſe videantur, perpetuoque in falſis de Chriſto vulgandis hiſtoriis laborarint, atque ut graviſſimam perſuadeat accuſationem, cum Lucae Evangelii initium ut iam diximus, tum Acta Apoſtolica in medium profert. Atqui libri utriuſque iam elevare tentaverat fidem, dum Sectarios contraria propugnantes audiendos eſſe docuerat, eorumque inſanientis cerebri deliriis totam fere tranſegerat diſputationem. Sed cetera quae idem turbavit, commemorare, atque elicere conſectaria, pudet iam me & piget. Quae de Evangeliis affirmamus, nimirum certa argumenta praeſeferre vetuſtatis ſuae, ad Pauli aliorumque Apoſtolorum Epiſtolas transferri facile poſſent, ſi de illarum authenticitate litem nobis Freretus intentaſſet. Mirum hominem probatiſſimis, ac divinis

infensum monumentis Apostolicis litteris pepercisse! Consuetudines in libris N. T. commemoratae & multiplices Christi Domini praeceptiones Christianis semper cognitae perspectaeque fuerunt, neque ulla in iis reperitur lex, quae non fuerit initio ab iisdem custodita. Omnia primaevam indicant Ecclesiae simplicitatem. Nullum in iis de ritibus verbum offendas, qui post Apostolorum aetatem ad divini cultus augendam majestatem introducti fuerunt. Quo nomine ingens Evangeliorum a Constitutionibus Apostolicis discrimen agnoscitur, nec multo labore colligitur has postea fuisse editas, puram vero ac simplicem Christi Historiam ipsius nascentis Ecclesiae initiis & incunabulis. Orationis series & stilus Evangelia authentica esse pronunciant, & Auctores ab omni eximunt suspicione suppositionis; in illis quippe elucent illae dotes, quae Apostolis Christi bene conveniunt, sed quae ab impostorum artibus quam longissime abhorrent. Enitet simplicitas, pietas summa in Deum, studium virtutis, effusa erga omnes caritas & amor, sollicitus pro hominum salute ardor, adversus errantes tempestiva severitas, contra insidiatores robusta auctoritas, quas partes male improbus impostor actitaret. Quis non suspiciat admirabilem prorsus horumce Scriptorum suis in erroribus confitendis ingenuitatem! Apostolorum peccata in Evangeliis recitantur, crassa ignorantia, stupiditas, praejudicia, ambitio, pusillanimitas, contentiones, & quidem absque ulla defensione; cujus candoris alibi frustra exempla reperires. Nihil his Scriptoribus modestius, simplicius, atque candidius excogitari potest. Si vel minimum quid in iis malae fidei atque fallaciae fuisset, ipsi ne labes suas & vi-

tia, ignorantiam praesertim, cordis duritiem, mentis caecitatem, turpissimam in extremo Magistri discrimine fugam aeternae memoriae prodidissent? Sinceritatis Historici aliud ne quaeri potest luculentius argumentum, quam si & famam ipsam suam veritati posthabeat, & quum possit res prout gestae sunt, fideliter memorare quin & eas interserat, quae in suis dedecus vergunt, has neque dissimulet neque attenuet neque fucet, ne rerum gestarum seriem ac veritatem imminuat? Quam id enimvero fecere sapienter, dum in ipsis Apostolis, quos eramus vitae totius exemplum habituri, nec affectus naturae imbecilliores, nec casus graviores dissimulaverunt. Divina quidem haec illorum sapientia fuit, sed bonitas quoque integritasque naturae, ut nihil scilicet illis in scribenda historia deesset, quod in historiae lege vel Ethnici requisivissent. Ineptit Freretus dum Evangelia nostra artificiose fuisse elaborata contendit, quo omnes in admirationem raperentur, & fabulis ad arbitrium effictis Christiana religio triumpharet. Ne Evangelicam quidem Historiam videtur attigisse qui talia potuit obiicere. Nulla in Apostolicis Commentariis orationis vanitas adhibetur, nulla ad captandam lectorum benevolentiam in homines adulatio; a quibus fabulae romanensis Scriptor vix abstinuisset. Signa de coelo Judaei postularunt: egregia utique occasio atque opportunitas, qua prodigia magna & insignia in aere fuisse visa confingerent J. C. vitae Scriptores, si impostorum artibus fuissent dediti; qui fictiones huiuscemodi non infrequenter excogitarunt, ut suorum heroum gesta collustrarent. At Jesus Christus parvi vel nihil Iudaeorum desideria facit, atque contemnit. Ante iudices sistitur. Si

Evangelistae se se mendacio devovissent, quid proclivius quam illum ea potentia instructum exprimere, qua Daemones olim exturbaverat, aut eo splendore circumfusum & illustratum, quo Apostolorum oculos in monte perculerat? Induxissent utique illum cum iudicibus differentem ea animi magnitudine atque eloquentia, qua & vana hominum quaesita posset excutere, & horum infelicium conatus impietatem palam ostendere. Atqui si Evangelistas legas, in silentio nonnisi atque opprobrio Christus visus est constitisse. Triginta ferme annos summa in obscuritate vixit. Hoc selegere tempus falsarii, cupidique rerum, quasi in Evangeliis legi voluissent, ut mirabilia plura a J. C. patrata fuisse persuaderent. At Apostolici Scriptores nihil fere de eius infantia (1) atque pueritia narravere, si ortus eius circumstantias quasdam excipias, tum habitam cum legis doctoribus in templo disputationem. Nulla miracula prodiderunt praeter ea quae viderant ipsi, aut a testibus oculatis acceperant; & quidem omnia publice patrata fuisse scripserunt. Si haec eo fine atque proposito fuerunt excogitata, ut Christi potentia lectores in admirationem raperentur, cur de eius humiliatione tanta narraverunt? Hanc utique facilius silentio quivissent obvolvere, quam imaginaria prodigia divulgare. Quare Servatorem ut famem, sitim, tristitiam, tentationem, effundentem lacrymas, ignominia contectum, ipsaque postremo in cruce expirantem expresserunt? Cur ex tot vitae eius circumstantiis, nullas exa-

(1) Leg. Epist. Grotii XXXIII. ad Gallos.

ctius diligentiusque memorarunt quam illas, quae ad illius passionem pertinent? Christi nativitatem Angelus e coelo denuntiavit: at ipse in praesepi natus describitur. Stella Magos ad eum adorandum colendumque perducit; & statim is in Aegyptum deportatur, ut barbari principis effugeret crudelitatem. Haec ostendunt Evangelia non esse impostoris opus post obitum confectum Apostolorum. Quominus id suspicari possimus ingens quoque factorum copia prohibet rerumque, quae ad tempora referuntur, quibus illi vixerunt, ad loca, ad personas, atque ad sermones (1) quos circumstantiae quaedam peperere. Quid de doctrina dicam quam eadem complectuntur, digna Filio Dei, digna Christi Apostolis? Mortalium vires & ingenia longe ea superat, & praecepta exhibet adeo excelsa, & sublimia, omnique ex parte praestans adeo est, perfecta, atque divina, ut vel acutiorum ingeniorum monumenta nonnisi nubes ac tenebrae appareant, si cum Evangelicis institutionibus conferantur (2). Quantae

---

(1) Consule Auctor. Additionum ad Opp. Adissonii *de la Religion Chretienne* tom. 2. num. III.

(2) De doctrina Evangelica & Christi Historiae praestantia ita praeclare scribebat Thomas *Stackousius* in libro inscripto *Le Sens Litteral de l'Ecriture Sainte* Tom. I. Chap. I.,, Si du *Caractere* de nos Historiens sacrez ont passe presentement à l'examen de leurs Histoires, on y decouvrira sans peine une *simplicité si majesteuse* dans leurs narrations, tant de pureté dans leurs preceptes, & tant de sublimité dans leur doctrine, qu'on ne peut s'empêcher de reconnoître tout l'ouvrage par une production du ciel. Il árrive bien que des gens d'esprit

enimvero admirationis est in toto Evangelio, & quidem ab imperitis sapientiae conscripto, non inveniri, quae in monumentis praestantissimorum hominum, tum magna eruditione & cognitione rerum, tum usu excultissimorum, ut aliquid sit varium

---

& d'une imagination vive aiment a debiter *des fables* artificieusement composées *II. Petri I.* 26. Et se plaisent à amuser les lecteurs par d'ingenieuses fictions, qui n'ont aucune realité dans la nature des choses. Mais pour composer un *Systême de Morale* aussi excellent que celui qu'on trouve dans l'Evangile; pour donner aux hommes des ouvertures aussi extraordinaires sur le moyen des *satisfaire* a la Justice Divine, sur la nature & sur les offices *du Mediateur*; pour imaginer d'aussi parfaits rapports entre la vie & les actions du Messie & les Oracles des Prophetes, ou le Type & les figures de la loi Mosaïque; pour assigner à la vertu des récompenses & au vices des peines, si justes, si conformes à la droite raison, & si dignes de la Majesté de Dieu; en un mot, pour tracer le *plan Evangelique*, il falloit être tout autre que ne furent nos saints Auteurs, gens sans lettres & aussi peu capables d'inventer le plan que de créer un nouveau Monde. Cependant, malgré les difficultés d'une tache aussi étendue & aussi variée, quoi qu'ils n'écrivent, ni dans le même tems, ni dans les mêmes lieux, il s'accordent non seulement à l'egard des quelques points principaux, ma souvent encore jusques dans les plus petites particularitez. Il est vrai, que quelquefois il se servent d'espression un peu différents, ou qu'ils n'observent pas egalement l'ordre du temps & que par la ils semblent se contredire: mais outreque ces contradictions apparentes se concilient facilement par les regles d'une sage *critique*, on y voit à l'oeil la direction de l'Esprit de Dieu qui a voulu faire attester les mê-

& pugnans, ut aliquid ineptum, puerile, frigidum, absurdum, ridiculum, & ubi scriptori danda sit veria quod aliquando dormitarit? Nihil tale in Historia Evangelica; ut appareat rectorem moderatoremque illarum mentium, & manuum fuisse Deum, illiusque scriptoribus id muneris beneficiique fuisse conlatum, quod nulli Auctori, si sacros excipias, unquam concessum fuit. Quanta in Apostolis constantia narrationis, qui tenor perpetuus, facilitas autem inaffectata & ubique sui similis, gravitas vero & severitas divinis rebus congruens! Non eos delapsos fuisse videas ad ullam sui ostentationem, non ad citandos Eruditos nationum, non ad aliquid inferendum ex sapientia Mundi, quae tum maxime erat in pretio, non ad descriptiones locorum ac regionum, quae amoenitate sua possent lectores detinere. Nihil in illis vacans, aut aliorsum pertinens, nullum est verbum, quod ad summam instituti non pertineat, hoc est ad rationem pietatis, & quum in his, quae mediocria possent existimari, sic eluceat divini consilii effectus, minus erit profecto mirandum, nihil in eis esse obscoenum & turpe, ut in *Alcorano* Muhamedis & apud gentium Vates; nihil anile, delirum, blasphemum, ut in

---

mes choses par différens témoins, & convaincre tous les siecles, que comme les témoins ne se copierent pas reciproquement dans leur relation, aussi n'y eut-il entr'eux, ni complot, ni connivence, tels qu'on pourroit en concevoir entre les fourbes de profession „. Lege etiam, si lubet, Joannis Clerici Epistolam *de sinceritate Apostolorum*, eiusdem Tractatui subiectam *De l'Incredulité*. Amstelodami recuso 1733.

Thalmude Judaeorum, & apud plerosque Philosophos, quemadmodum vir doctus Ludovicus Vives observat (1); qui sic postea Evangelia iure meritoque celebrat & extollit: *si cuncta humana sapientia conspiraret, ut hominem aliquem Deum vellet ostendere, & eius opera, & dicta divina, fingeretque de illo homine quicquid animo esset collibitum, & in id quod finxisset, adhiberet orationis cultum, differendi vim & acumen rationum, non posset tamen Evangelium unum, quale est nostrum componere, hoc est conscribere, quo id possit evinci, ac persuaderi, quemadmodum Evangelistae nostri fecerunt solo historiae contextu, detractis quibuscumque humanae sapientiae viribus, atque ornamentis. Hoc vero ut profanis atque imperitis fortasse videatur incredibile, aut non satis probabile, quisquis tamen altius in Evangelii sensa penetrarit, facile mihi assentietur.* Sive igitur argumenta requiras externa, quae a Veterum auctoritate testimoniisque ducuntur, sive interna, quae Operis dignitas & praestantia suppeditant, utraque concurrere & mirifice conspirare animadvertes ad stabiliendam Evangeliorum authenticitatem contra perversos conatus incredulorum. Sola haec Apostoli horumque discipuli Ecclesiis consignarunt; sola haec Ecclesiae Fidelibus tradiderunt: sola postremo Religionis exordio in tot diversa idiomata conversa tot Versionibus caussam praebuere, quae linguarum donum quodammodo suppleverunt, quo Apostoli fuerant instructi.

LIV. Non errarunt Christiani, qui in Ecclesiarum

(1) Lib. II. *De Veritate Fidei.*

fiarum & Episcoporum iudicio atque auctoritate conquiescentes eadem Evangelia semper coluere ut authentica & genuina Opera Apostolorum; neque verendum est ut tot Antistes turpiter fuerint decepti, atque Christianis libros tanquam Apostolicos commendarint, quos putidus impostor confinxisset. Id quidem facile evenire potuisse Freretus arbitratur, atque ut sui opinionem verisimilitudine haud carere demonstret, post iam excussas animadversiones prolixum librorum apocryphorum catalogum ex Epiphanio, Tillemontio, Dupinio atque Fabricio conficit; quasi scilicet stupidi adeo fuerint Christiani praesules, ut exceperint quaecumque nomen Apostolicorum gesserunt. Quam perversam opinionem ut eidem eximamus, quantoque fuerit in errore versatus constet, de veterum praesulum diligentia in expendendis quae exhibebantur Apostolorum scriptionibus agendum est, demonstrandumque farraginem illam librorum Apocryphorum caussae haud obesse quam defendimus, imo eam reddere firmiorem. Christianos tanquam bardos, caecos atque falsarios ubique repraesentare ille nititur, neque tamen caussas ullas profert, quo tantam confidentiam impudentiae crimine absolvat. Quid enim si Christianorum aliqui sub venerandis nominibus Apostolorum libros subiecerunt aliquando? num Christianos omnes in has fraudes conspirasse legitime colligetur? num paucorum crimen toti erit societati tribuendum, tot Ecclesiis, tot Episcopis, quos dolos huiusmodi fuisse detestatos novimus? Quamquam inanissime laboravit Freretus in tot Apocryphorum colligendis titulis. Id illi incumbebat ut ostenderet Christianos & Ecclesias scripta quaecumque statim ut authentica & Apostolica arripuisse, atque ex his

aliqua generalem in Ecclesia auctoritatem atque fidem consecuta esse. Quod certe non contigit propter summam Episcoporum diligentiam in scriptis a fidelium manibus eripiendis, quae falsarii procudissent. Et vero id fecisse, atque certos habuisse characteres, ut fraudes detegerentur, ostendere non erit operosum ac difficile, facem nobis Eusebio Caesareensi tum Beausobrio (1) praeferentibus, quorum dicta illustrare adnitemur. Habuere iugiter prae oculis Ecclesiae Patres, quod aiebat Paulus ad Corinthios scribens (2): *Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit Anathema Jesu*. Tum eiusdem Apostoli sententiam alteram inculcatam Galatis (3) *sed licet nos aut Angelus de coelo Evangelizet vobis praeterquamquod Evangelizavimus vobis Anathema sit*. Et ut alia praetermittam, quae Patribus Sacrarum Litterarum iugiter perstudiosis prae oculis erant, ea illorum obversabantur animis Pauli verba ita ad Timotheum scribentis (4): *si quis aliter docet & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quae secundum pietatem est doctrinae superbus est nihil sciens, sed languens circa quaestiones, & pugnas verborum*. Hisce oraculis cautiores redditi praesules Ecclesiarum ceterique Christiani quemadmodum facillime intelligebant ex comparatione doctrinae, quam quivis pseudo Apostolus pro-

---

(1) *Discours sur les Apocryphes*. Extat. tom. I. Operis *Histoire du Manicheisme* pag. 438. & seqq.
(2) Epist. I. XII. 3.
(3) I. 8.
(4) I. VI. 3.

ponere potuisset cum vere Apostolicâ mentiri hunc prorsus & doctrinam proponere quae Christiana non esset, ita eadem ratione ac methodo νοθεία Evangeliorum aliorumque scriptorum noverant, quibus falso nomen Apostolorum inditum fuisset. Quare ab Eusebio admonemur Evangelia sub Petri, Thomae, & Matthiae, ac aliorum quorumdam Apostolorum Acta ab Haereticis obtrusa, repudiata continuo & contemta fuisse, quod doctrinas continere deprehensum esset ab Apostolicis alienas: *Sed & ipsum dicendi genus* inquit (1) *longe ab Apostolica simplicitate discrepat, sensus quoque ipse & quae ibidem traditur fides, cum a vera & catholica doctrina plurimum quantum aberret, haec haereticorum hominum figmenta esse manifeste coarguit. Quo circa ne quidem inter spurios collocandi sunt hi libri, sed tanquam absurdi & impii, prorsus repudiandi.* Monuerat iam antea Patrum neminem scripta huiusmodi commemorare voluisse. Eodem modo metiebantur traditiones nescio quas ab haereticis in vulgus sparsas, tanquam ab Apostolis derivatas, ut iam diximus. Polycarpus posteaquam ex diabolo eiusque primogenitos eos esse dixisset, qui Christum in carne venisse, tum mortuorum resurrectionem iudiciumque futurum negabant, ita Philippenses admonebat (2): *quo circa derelicta plerorumque vanitate falsisque doctrinis ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur*. Par in Clemente, Ignatio, Polycarpo aliisque Patribus erga Apo-

Bbb 2

(1) H. E. lib. III. cap. XXV.
(2) Cap. VII.

stolicas doctrinas & traditiones studium fuit. Collatio igitur doctrinarum & traditionum in Actis ab Haereticis, aut aliis confictis, contentarum cum legitimis doctrinis & traditionibus, quarum testes erant tot praeclarissimae Ecclesiae, norma haud fallax patribus erat ad cognoscendum an illa sine fidei dispendio excipi possent. Haec persuadent fidei tenaces Christianos non adeo facile Haereticorum fraudibus decipi potuisse ut scripta quaecumque avidissime arriperent, ita uti statuit Freretus. Scimus Episcopos certe omnem adhibuisse diligentiam, ne in fidelium manibus libri versarentur, quorum Haeretici fuissent artifices, quorumque doctrina a Christianis decretis abhorreret. Μηδεὶς, aiebat Cyrillus Hierosolymitanus (1) ἀναγινωσκέτω τὸ κατὰ Θωμᾶν εὐαγγέλιον κ. τ. λ. *nullus quaeso legat Evangelium secundum Thomam. Non enim est unius e duodecim Apostolis, sed unius de tribus pravis Manis discipulis*. Quibus iam haec praemiserat de genuinis Evangeliis (2): *Novi autem Testamenti sunt quatuor dumtaxat Evangelia; nam cetera sunt falso inscripta & noxia. Scripserunt & Manichaei secundum Thomam Evangelium, quod Evangelicae appellationis fragrantia coloratum, simpliciorum animas corrumpit*. Cum Serapion, qui Antiochiae ab A. C. CXCI. usque ad CCIII. sedit Episcopus ut Dupinus arbitratur, librum quemdam qui *Petri Evangelium* dicebatur, in dioecefeos suae Paroecia repperisset, novissetque ex illius lectione quosdam a recta fide descivisse, stilum protinus in illum acuit,

(1) Catech. VI. num. 31.
(2) Cathech. IV. num. 36.

& quot abſurda atque aliena ab Apoſtolica doctrina contineret, libro conſcripto demonſtrare aggreſſus eſt, ut fidem Euſebius facit, qui de hoc Serapionis Opere primo differens ait (1): *Praeterea liber* de Evangelio Petri, *quae in eo falſa erant coarguens. Quem quidem librum compoſuit in gratiam quorumdam ex Rhoſſenſi Paroecia qui occaſione illius Evangelii ad doctrinam a recta fide alienam declinaverant.* Tum exponens illuſtris Hiſtoricus quid eo de Apocrypho Evangelio ſentiret Antiochenus Antiſtes haec eiuſdem verba exſcribit: *Nos enim fratres & Petrum & reliquos Apoſtolos perinde ac Chriſtum ipſum ſuſcipimus. Sed quae nomen illorum falſo inſcriptum praeferunt, ea nos utpote gnari, ac periti repudiamus; quippe qui compertum habeamus ea nos a maioribus minime accepiſſe. Ego quidem cum ad vos veniſſem, exiſtimabam omnes rectae fidei callem tenere. Et cum Evangelium illud, quod Petri nomine inſcriptum ab iis afferebatur, non perlegiſſem, dixi: Si quidem hoc ſolum eſt, quod ſimultatem parit inter vos, legatur. Nunc vero, cum ex iis quae mihi dicta ſunt, plane perſpexerim, quod mens illorum haereſim tunc occultam tegebat, iterum ad vos venire properabo. Proinde fratres brevi me exſpectate. Cum autem deprehenderim, cuius opinionis & ſectae fuerit Marcianus, qui & ſibi ipſe repugnabat, non intelligens quae diceret, ſicut cognoſcetis ex iis, quae ad vos ſcripta ſunt. Mutuati enim ſupradictum Evangelium ab iis, qui illud didicerant, & continua exercitatione verſaverant, hoc eſt a ſucceſſoribus eorum, qui Marciano praeiverant, quos* Δοκηταὰς *vocamus (quippe ex horum ſchola*

---

(1) H. E. lib. VI. cap. XII.

pleraeque illius opiniones fluxerunt) *legendi copiam nacti sumus; & deprehendimus multa quidem in illo Evangelio cum recta Servatoris nostri fide consentanea; nonnulla vero discrepantia a rectae fidei ratione adiuncta esse, quae & vestra caussa subiecimus*. Ex his nonnulla colligi possunt, non indigna uti reor animadversione. Et primo quidem illud Evangelium Petro affictum in Paroecia illa fidem ab universis impetrare nequivisse, cum simultates illae, quarum Serapion meminit, non alia de caussa efferbuisse videantur quam quod non pauci illius libelli lectioni usuique contradicerent. Secundo doctum sanctumque antistitem antequam quid rei esset illud Evangelium compertisset, lectionem eiusdem pacis studio ductum concessisse, ratum nihil fidei detractum si tanquam pio aliquo scripto ii uterentur. Postremo veritate comperta, probeque noscens ad haeresim invehendam illud fuisse elaboratum Evangelium, e fidelium manibus protinus excussisse duplici de caussa, & altera quidem, quod scriptio huiusmodi haud sibi a maioribus tradita esset, altera vero quod doctrina in ea comprehensa ab Apostolica & orthodoxa fide exorbitaret. Sic & maiorum traditio & comparatio Apostolicarum institutionum cum haereticorum figmentis cautos efficiebat praesules Ecclesiarum, ne scriptis sub Apostolorum nominibus evulgatis tam cito fidem haberent. Eodem modo fraudes eorum detegebant, qui hominum Apostolicorum nominibus abutebantur. Epiphanius libros recensens, qui Ebionitis usui erant, inquit: (1) *sunt & alii libri*,

(1) Haeres. XXX. num. 15.

quibus utuntur, veluti Petri Circuitus *a Clemente conscripti, quo in libro paucis veris relictis cetera supposuerunt: quemadmodum Clemens ipse omnibus illos modis redarguit iis Epistolis circularibus, quae ab eo scriptae in sacrosanctis Ecclesiis leguntur. Ex quibus constat longe ab iis, quae in Circuitibus illis sub eius nomine adulterina extant, illius fidem ac sermonem abborruisse. Etenim virginitatem Clemens docuit: isti repudiant: Ille Eliam Davidem, & Samsonem omnesque Prophetas commendat: Ebionitae detestantur. Quare in circuitibus istis suum ad institutum accommodarunt omnia, ac de Petro plura mendacia conscripserunt.* Cum ita plerumque se gererent Ecclesiarum Antistes, fieri non potuit, ut scripta apocrypha, in Ecclesiae doctrinaeque Christi perniciem excogitata, diu multumque in Christianorum manibus versarentur. Eadem Patres incesserat cura ne Evangelia Apostolica ceterique sacri libri quovis pacto aut corrupti, aut impie detruncati in Ecclesiis obtinerent. Cum pravarum falsarumque opinionum commenta, sacrorum Librorum, praesertim Evangeliorum sola delere posset auctoritas; ut hoc telo accerrimo haeretici sese aliqua ex parte tuerentur, divina oracula temerare aggressi sunt. Quod praeter alios insigni temeritate, ac facinore Tatianus est ausus, de quo haec scribit Theodoretus (1): Οὗτος καὶ τὸ διὰ τεσσάρων καλούμενον συντέθεικεν εὐαγγέλιον κ. τ. λ. *Hic etiam Evangelium quod* Diatessaron *dicitur composuit, amputatis Genealogiis & aliis, quae Dominum ex semine David secundum carnem natum esse ostendunt. Eo autem usi sunt non mo-*

(1) *Haereticar. Fab.* lib. I. cap. XX.

do qui eius erant sectae, sed ii etiam qui Apostolica dogmata sequebantur, compositionis fraudem non agnoscentes, sed simplicius tanquam compendiario libro utentes. Nactus sum etiam ipse libros huiusmodi supra ducentos in honore habitos in Ecclesiis nostris; quos omnes in unum congestos seposui, & pro his quatuor Evangelistarum Evangelia introduxi. Meminit eiusdem Tatiani facinoris Eusebius (1) cuius dicta praeclare ut solet Valesius illustrat. Nos ex enarrata a Theodoreto historia eruimus praesulum Ecclesiarum curam in depravatis ac mutilis sacris litteris e Christianorum manibus eripiendis, tum discimus non alia de caussa consarcinatum illud a Tatiano Evangelium fidem apud nonnullos invenisse, quam quia, iis demtis, quae ad J. C. ex Davidis genere progeniem referrentur, cetera contineret, quae genuina Evangelia complectebantur; atque adeo non potuisse Christianos illos decipi, nisi libro oblato qui eadem fere exhiberet, quae probata ab Ecclesia Evangelia tradidissent. Discimus etiam horumce Evangeliorum vetustatem, eorumque usum dumtaxat atque lectionem; cum ex solis quatuor Evangeliis opus suum Tatianus confecerit, ut Saturnini, & Valentini commentis Christianos inficeret; haec enim docuit praeter alia, cum post mortem Martyris Justini, cuius fuerat discipulus, cuiusque laudes, & praeclara dicta ac facta in Oratione adversus Graecos praedicaverat,

(1) H. E. lib. IV. cap. XXIX. Vid. etiam Ab. de Longuerue dissertationem praemissam Orationi Tatiani adv. Graecos, Oxonii editae 1700.

verat, ad haeresim misere desciviisset. Sed non adeo faciles Christianos fuisse in probandis suscipiendisque quibuscumque quae sibi offerrentur scriptis suae religioni faventibus quemadmodum Freretus insinuare nititur, luculentius etiam intelliges si animadvertas eorum plerosque a probandis tanquam canonicis ac divinis quibusdam Apostolorum Epistolis abstinuisse, quod sibi de iis paullo obscurior videretur traditio Ecclesiarum & quod a non multis easdem commemoratas & laudatas vidissent. Intelliges etiam momenta queis inducti scriptiones plerasque haereticorum reiecerunt, & ea simul quibus germanas Apostolorum elucubrationes sunt prosequuti. Eusebius perspicua eorum quae dicimus, suppeditat argumenta. Producto primum censu Scripturarum N. T., quae *communi omnium consensu* recipiebantur, ad eas postea enumerandas accedit, quae dubiae aliquibus viderentur, & ait (1): *ex iis vero quae in dubium revocantur, a multis tamen commemorari videmus, est Epistola quae dicitur Jacobi, & quae Judae & secunda Petri: Joannis item altera & tertia, sive illae ab ipso revera Evangelista, sive ab altero eiusdem cognominis compositae sunt*. Idem Eusebius de Epistolis agens Apostolorum eadem luculentius antea exposuerat (2) inquiens: *Quod vero ad Petrum attinet una eius Epistola, quae prior dici solet, tanquam germana ab omnibus sine controversia admittitur. Cuius etiam testimonio Veteres Religionis nostrae Antistites, utpo-*

(1) H. E. Lib. III. cap. XXV.
(2) H. E. lib. III cap. III.

re extra omnem dubitationem positae, in scriptis suis frequentissime usi sunt. Quae vero secunda appellatur, eam quidem inter sacros N. T. libros censitam non esse a Maioribus accepimus: sed tamen cum utilis esse videretur quamplurimis, una cum reliquis sacrae Scripturae libris studiose lectitata est. Librum vero qui Actus Petri *dicitur &* Evangelium *eius nomine inscriptum*, Praedicationis *quoque &* Revelationis *eiusdem libros pro catholicis scriptis nunquam esse habitos constat; quandoquidem nec vetustiorum quisquam, nec recentiorum Scriptorum desumto ex iis libris testimonio usus sit*. Ad Pauli inde Epistolarum recensionem progrediens ita prosequitur: *Pauli vero quatuordecim Epistolae notae sunt omnibus & perspicuae. Sciendum tamen est, Epistolam ad Hebraeos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent eam ab Ecclesia Romana pro certa & genuina Pauli Epistola non haberi. Sed de ista quidem quid veteres tradiderint, suo tempore proferemus. Quod spectat ad librum, qui* Actus Pauli *inscribitur, neque illum inter indubitatae fidei & auctoritatis libros accepimus. Quoniam vero Paulus Apostolus in salutationibus illis, quae sub finem Epistolae ad Romanos leguntur, inter ceteros mentionem facit Hermae, cuius esse fertur is liber, qui* Pastor *inscriptus est; sciendum est eum librum a nonnullis quidem in dubium esse revocatum. Quamobrem inter receptae auctoritatis libros censeri non potest. Ab aliis vero maxime necessarius iudicatur, iis praesertim, qui primis Religionis nostrae elementis instituendi sunt. Unde etiam in Ecclesiis publicae legi comperimus, & quosdam ex vetustissimis scriptoribus ipsius testimonio usos fuisse. Atque haec de discrimine Scripturarum, quae vel receptae apud omnes auctoritatis, vel dubiae & vacillantis apud plerosque fidei habentur, hactenus dicta sunt.* Ipse idem Papias, quem propter defensum Mille-

nariorum errorem tenuis iudicii hominem fuiſſe Euſebius ſcripſit, de affictis Paulo Epiſtolis, genuinis prius commemoratis, ita pronuntiabat (1): *Fertur etiam ad laudecenſes, alia ad Alexandrinos Pauli nomine fictae ad haereſim Marcionis; & alia plura quae in catholicam Eccleſiam recipi non poteſt. Fel enim cum melle miſceri non poteſt*. Et de Hermae Paſtore: *Et ideo legi quidem eum oportet, ſe publicare vero in Eccleſia populo, neque inter prophetas completum numero, neque inter Apoſtolos, in finem temporum poteſt.* Dionyſius Alexandrinus, librorum ille non ineruditus cenſor, ac Criticus, ut vel ipſe Valeſius confitetur (2) quamquam Apocalypſeos divinam agnoſceret auctoritatem, Joannis tamen Apoſtoli & Evangeliſtae eandem haud opus eſſe pluribus niſus eſt perſuadere animadverſionibus, quas apud Euſebium legas (3). *Ego vero* aiebat Dionyſius *librum illum reiicere omnino non auſim, praeſertim cum multi ex fratribus eum magni faciant. Sed huiuſmodi de illo opinionem concipiens, quaſi ſenſus mei modum excedat, arcanam quandam planeque admirabilem ſingularum rerum intelligentiam latere exiſtimo. Nam & ſi ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen altiorem quemdam ſenſum verbis ſubeſſe. Eaque non meo ipſius iudicio metior, atque aeſtimo: ſed plus fidei tribuens, ſublimiora eſſe cenſeo, quam ut a me percipiantur. Nec ea condemno, quae intelligere non potui: verum inde admiror magis, quod capere non poſ-*

(1) In Fragment. ſup. cit.
(2) Animadverſ. ad lib. VII. cap. XXV. H. E. Euſeb.
(3) Euſeb. lib. & cap. cit.

sum. Integro inde libro examinato, posteaquam ostendisset, ut Eusebius refert, iuxta obvium verborum sensum intelligi non posse, haec subiicit: *Absoluta demum universa praedictione sua, Propheta beatos pronuntiat tum eos, qui eam servaverint, tum se ipsum; beatus, inquit, qui servat verba Prophetiae libri huius* (1): *& ego ipse Joannes, qui haec vidi atque audivi. Joannem igitur hunc vocari, & librum a Joanne scriptum esse non inficior. Fateor enim sancti cuiusdam, & divino spiritu aflati viri id opus esse. Sed hunc ipsum esse Apostolum, Zebedaei filium, Jacobi fratrem, cuius est Evangelium illud, quod secundum Joannem inscribitur, & Epistola catholica, haud facile concesserim.* Profert post argumenta cum ex moribus & instituto utriusque scriptoris, tum ex verbis & sententiis atque ex collocatione verborum depromta, quibus ea in sententia de Apocalypseos libri auctore ab Evangelista diverso confirmabatur. Praetermissis denique exemplis aliis, quae ostendunt Patres primitivos non praecipiti iudicio omnia excepisse scripta quae faverent religioni, quaeque Apostolicis nominibus praefulgerent, sed consensum explorasse maiorum & alia, quibus certi de operum genuitate redderentur, Origenes postremo hoc loco commemorandus videtur, qui inquirens an de divinis rebus multi scribendi sint libri, sanctorum virorum, Prophetarum scilicet & Apostolorum, qui omnes pauca scripsere, exemplum adducit, deque Petri Joannis Paulique scriptis ita pronunciat (2): *Pe-*

(1) Apocalypf. cap. XXII.
(2) Apud Eufeb. V. E. lib. III. cap. XXV.

trus autem, cui tanquam fundamento superstructa est Ecclesia Christi, adversus quam nec ipsae inferorum portae praevaliturae sunt, unam dumtaxat omnium consensu receptam reliquit Epistolam. Concedamus vero & secundam eius esse. De hac enim ambigitur. Iam vero quid dicendum est de eo, qui in sinu Christi recubuit Joanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium, tametsi fateatur, tot se libros scribere potuisse, quot nec orbis ipse terrarum posset continere. Scripsit praeterea revelationem: iussus silere, nec septem tonitruum voces perscribere. Scripsit etiam Epistolam admodum brevem. Sed concedamus si placet & secundum & tertiam ab illo scriptas esse. Neque enim has genuinas illius esse omnes consentiunt. Ambae tamen vix centum versus continent. De Epistola autem ad Hebraeos hoc iudicium tulit: *Ego vero ita censeo: sententias quidem ipsas Apostoli esse: dictionem autem & compositionem verborum esse alterius cuiusdam, qui dicta Apostoli commemorare, & quasi in commentarios redigere voluerit ea, quae a magistro audiverat. Proinde si qua Ecclesia hanc Epistolam pro Paulina habet eo nomine laudetur. Neque enim temere Maiores Pauli esse tradiderunt.* Satis haec innuunt, nisi fallor, Christianos veteres, praesulesque Ecclesiarum in recipiendis libris, qui Apostolorum nomina praeseferrent, caute processisse, neque statim dedisse manus, aut suffragium suum addidisse scriptionibus quibuscumque, queis suam ipsorum Religionem fulciri posse iuvarique putarent. Docemur nimirum allatis ipsorum verbis Ecclesiarum atque Maiorum explorasse sententiam, & consensum quaesivisse, cui plurimum semper Christiani tribuerunt; tum alia in oblatis sibi libris consideraffe, quae accurata critice commendaret. Ex hac investigatione triplex ille apud veteres librorum ordo

manavit, quorum alii *Genuini* sive extra controversiam veri, *Adulterini* alii sive extra controversiam falsi; ceteri denique *incerti* sive dubiae auctoritatis habiti fuerunt. Occurrit divisio isthaec in Origene ita scribente (1): *Sed longum foret nunc ipsius Heracleonis dicta in medium apponere, quae ab eo libro sumsit, qui* Praedicatio Petri *inscriptus est; insistereque etiam ad ea, disquirentes sit nec ne genuinus liber, an nothus, an mixtus*. Similia licet ab Eusebio colligere (2) cuius sententiam Valesius illustrat. Solos illos pro *Genuinis* Patres habebant, qui primo continebant doctrinam consentientem Apostolorum praedicationi, seu disciplinae ubique ex eorum auctoritate receptae; qui secundo confirmatione potiebantur ab unanimi consensu & testimonio omnium Ecclesiarum, idest qui communi omnium voce Apostolis tribuebantur; qui tertio in stilo & contextu orationis morem Apostolicum referebant. Quae ex adductis iam Eusebii aliorumque testimoniis haud obscura sunt, & confirmari etiam plenissime possent Irenaei & Tertulliani dictis si plura res ipsa postularet. Patres igitur tribus illis Critices regulis insistentes eos libros statim inter *Adulterinos* conlocarunt, qui priore nota carerent. Et certe cum eadem ubique Apostoli praedicavissent, non poterat liber inter Apostolicos computari, qui non eandem doctrinam exhiberet; haec enim diversitas ostendebat aperte illius auctorem unam eandemque personam esse non posse. Libri vero, qui nihil complectebantur

(1) Tom. XIII. in Jo.
(2) H. E. lib. III. cap. XXV.

Apoſtolicae praedicationi contrarium, & tamen unanimi non firmabantur aſſenſu erantque obnoxii nonnullorum interceſſioni aut ſtilum non Apoſtolicum referre videbantur, inter *incertos* numerati fuere, dictique etiam ſunt ἀντιλεγόμενοι ſive *controverſi*. Quibus tamen non obfuit paucorum ille diſſenſus ſive dubitatio quominus in canonem iure ac merito referrentur; nam quae iis obſcurior traditio videbatur Eccleſiae clariſſime patuit, quae multo diligentius atque ſecurius perveſtigavit vetuſtatem, regulaſque tutiſſimas ſecuta eſt, quas inter illas ab Auguſtino hiſce verbis expoſitas (1): *In Canonicis autem Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quam plurium ſequatur auctoritatem: inter quas ſane illae ſint, quae Apoſtolicas ſedes habere & Epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas quae ab omnibus accipiuntur Eccleſiis Catholicis, praeponat iis, quas quaedam non accipiunt: in eis vero, quae non accipiuntur ab omnibus, praeponat eas, quas plures gravioreſque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiae tenent. Si autem alias invenerit a pluribus, alias a gravioribus haberi, quamquam hoc facile inveniri non poſſit, aequalis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Hiſce iiſdem regulis Patres Tridentini uſi canonem ſuum de Libris Deuterocanonicis V. T. conformarunt, atque obſignarunt; nec morati ſunt, aut quod quidam Veterum omiſerint, quod argumentum minimi roboris eſt; aut quod deſertores alii negaverint, quod adverſus graviores teſtes vix ullum habere pondus poteſt, ut

(1) Lib. II. de Doct. Chriſt. cap. VIII.

solidius prae ceteris demonstrat Josephus Barre in *Vindiciis Librorum Deutero-Canonicorum Veteris Testamenti* Parisiis evulgatis (1). At haereticorum proprium est, & singulare, ut Ecclesiae definitionibus perfracte reluctari ausint, cum tamen per insignem moderationem Ecclesia Christi, dum res nondum ei omnino innotescunt, suum soleat suspendere iudicium donec pleniori luce divinus eam spiritus illustret; neque censeat temere praeveniendum, sed sagaciter potius exspectandum beneplacitum Dei, quo omnis ambiguitas dispellatur. Denique primis Ecclesiae Patribus ipsa Apostolicorum librorum Autographa, ex iisque descripta accuratissime Apographa, in Ecclesiarum Tabulariis asservata praesto fuerunt, quibus & fraudes haereticorum, Codices sacros mutilantium, potuere detegere, & simul ostendere quosnam libros ab Apostolis Ecclesiae recepissent, & custodirent. De Autographis agens Joannes Morinus Vtriusque T. Librorum ita pronuntiabat (2): *Ipsum Mosis αὐτόγραφον ad usque captivitatem Babylonicam conservavit divina Providentia, ex quo alia exemplaria & describi & corrigi potuerunt. Sed antiquissimorum Patrum nemo αὐτόγραφα Apostolica se legisse commemorat, ubinam locorum conservarentur fama nunquam divulgavit. Sapientia Dei sic, ut opinor, providente, ne litterae occidenti nimium attendentes, Spiritum Sanctum in Ecclesia, & per Ecclesiam nos mysteria Christi docentem, minoris quam decet faceremus.* Periisse propterea

(1) *Apud Petrum Æ. Le Mercier* MDCCXXX.
(2) Lib. I. Exercit. II. cap. II. *de Hebraei &c.*

pterea Autographa Apostolorum monumenta ante Hieronymum, aut ubi delitescerent ignotum fuisse, illud plerique arbitrantur evincere, quod nemo inter Scriptores Ecclesiasticos, ut adhuc superstitum illorum meminerit, nemo etiam ad illa provocarit. Et de Evangeliis quidem memoriam nullam extitisse arbitrantur, nisi incertis fultam rumoribus, ubi ea divini Scriptores reliquissent; Joannis si demas, quod verisimilius Ephesi editum, illa etiam in Ecclesia diutius servatum fuisse non dubium est (1). Sed haec ut de Evangeliorum Autographis probabiliter dicta videri possint, ad Apostolorum tamen Epistolarum Autographa transferri non debent; scimus enim saeculi tertii initiis Tertullianum adversus Marcionem cum scriberet, ad Pauli Epistolas, quasi in Ecclesiis ipsis, ad quas datae fuerant, extantes respexisse iis verbis (2): *Consule Ecclesias Apostolicas, apud quas ipsae authenticae Litterae eorum recitantur, sonantes vocem & repraesentantes faciem uniuscuiusque*. Quae Nicolaus Rigaltius ita explicavit: *Lingua scilicet eadem, qua fuerant ab Apostolis conscriptae, sonantes vocem uniuscuiusque. Sic ipse Tertullianus* de Monogamia *ad Graecum Authenticum Pauli provocat*. Quam interpretationem prae aliis Riccardus Simonius excepit (3) atque adversus Joannem Clericum ea Tertulliani verba de ipsis Epistolarum Apostolicarum Αὐτογράφοις esse intelligenda stre-

Ddd

(1) Vid. Garbellum *de Evang. Brixian.*

(2) *De Praescript.* cap. XXXVI.

(3) *Histoire Critique du Texte du N. T.* chap. IV.

nue defendentem tueri conatus est (1). Sic tamen respondit Clerici animadversionibus, ut Eruditi viri adhuc huius sententiam duxerint verisimiliorem. Quae hac de re commentatus est Elias Frickius (2) sat erit enarravisse: *Et vero*, inquit, *quod locum Tertulliani attinet, nihil profecto clarius, quam ad propria SS. Apostolorum Autographa aut Originalia, prout vulgo vocantur, in Ecclesiis curatissimo studio adservata, lectorem cupidum remitti. Nam si* a lingua *tantum, qua primitus scriptae sunt Epistolae*, autographa *nominarentur, quid opus erat Graecos homines ad sedes & Ecclesias Apostolicas ablegari linguae solum caussa, quam domi suae habebant? Ad quid suscipi debebat profectio v. g. Achaiae incolis versus Corinthum, aut Macedonibus Philippos, & Thessalonicam, Asianis Ephesum? quum pridem per oppida & vicos terrarum illarum Christiani Evangelia & Epistolas Apostolorum nonnisi Graecas ubertim haberent, aliam linguam vix intellecturi. Quid ergo his proderat excursio ad Vrbes illas, si nil praecipui praeter linguam omnibus vernaculam, nihil authentici reperiebant? Non ita ludebat inaniter Tertullianus. Sedes utique sanctas, quas suis Epistolis* αὐτογράφοις *olim honoraverat Apostolus; & Ecclesiarum accurata exempla, prorsus authentica, sacris in Ecclesiarum Tabulariis adservata commendabat. Alter autem lo-*

(1) *Réponse au livre intitulé* Sentimens de quelques Theologiens de Hollande &c. *chap. IV.* tum altero in libello Apologetico, cui titulus *de l'Inspiration des Livres Sacrés avec une Réponse au livre intitulé* Defense des sentimens &c. *chap. XI.*

(2) Comment. Theologico Critic. *De Cura Ecclesiae Veteris circa Canonem S. Script.* cap. IV. §. IV.

cus Tertulliani qui e Libro de Monogamia *producitur c. XI. reperiundus, plane aliam rem, aliud argumentum dissimillima tractatione exponit, ut pro parallelo agnosci vix ac ne vix quidem possit : quod omnibus inspecturis & vel leviter examinaturis liquidum fore confidimus. Nam in disputatione spinosa de nuptiis secundis ad cap. VII. prioris Epistolae ad Corinthios quod a Latinis perperam accipi persuasus erat*: Sciamus, *inquit*, plane non sic esse in Graeco Authentico, quomodo in usum exiit: *Nihil exinde sequitur, nisi* Authenticum *non uno ubivis sensu venire; prout nempe vel libris atque codicibus, vel linguae alicui applicatur. Utrimque quidem auctoritas indicatur vel linguae vel Codicis per τὸ αὐθεντικὸν haud vulgaris : at non eapropter per omnia conveniunt. Quum de lingua dicitur authentica (ut* Authenticum graecum, *apud Tertullianum) fontem innuit rivulis Versionum haud immerito anteferendum. At* Authenticae Litterae *locis maxime convenientibus multo cum studio asservatae non profecto linguam respiciunt, sed scribentis manum. Recte proin* Jacobus Pamelius (*quem hic* Rigaltio *praeferendum duco*) not. 208. ad Lib. Tertull. de praescript. fol. 32. *cum* Joanne Quintino, *Canonum in Accademia Parisiensi professore, quem laudat, monet* authenticas Litteras vocari Apostolorum manu scriptas aut subscriptas, ut ab Vlpiano dicuntur Authenticae tabulae, Authenticae rationes, Authenticum testamentum, quod distinguitur ab exemplo testamenti *L.* 4. *§.* 3. *D. Fam. Ercisc. L. ult. D. de Testam.* Vulgus appellat Originalia. Non dubito (*ita pergit Pamelius*) primarias illas Apostolicas Epistolas ab Ecclesiis incredibili cura & religione fuisse conservatas, tantumque non adoratas, ut etiam facile duraverint annis Tertulliani: siquidem medii non sunt Anni 140. inter Neronis im-

perium, ac Severi, quo Tertullianus florebat. Quintilianus ait, se vidisse Augusti Epistolas, quas ille sua scripserat manu, aut emendaverat c. 13. lib. 1. Labebatur ut minimum centesimus a descriptis annus. Plinius sub Vespasiano manum Tiberii Caiique Graccorum vidit annos fere post ducentos, ut ait *XIII. Hist. nat.* Tertullianus itaque videre potuit Apostolorum manus & Autographa: saltem suo tempore integerrima existebant. *Haec verissima puto.* Hactenus Frickius, qui Morinum postea, cuius supra verba recitavimus, crudeliter lacerat; & quaedam de Ecclesiae primitivae Tabulariis sive Archivis post Vsserium & Dodwellum animadvertit. Est igitur verisimile Tertulliani temporibus ipsa Apostoli Pauli Epistolarum Autographa perstitisse, quae postulantibus possent ostendi, reddique hoc modo certiores quasnam is Epistolas perscripsisset. Quae de Paulinis Epistolis facilius concedi possunt, quae ad particulares fere aut homines aut Ecclesias scriptae, ab his aliquo tempore religiosissime custoditas, ac servatas fuisse dubitari non debet. At si res ita se habet, inquies, si Episcopi tantam cautionem ac diligentiam in scriptis expendendis, quae ferrent nomina Apostolorum, adhibuere, si adeo critice, antequam sacros libros admitterent, hac in re sane gravissima versati sunt, qui fieri potuit, ut apud Christianos multos Scriptiones quaedam fidem invenerint & auctoritatem, quam ipsis postea consequens aetas detraxit? Non est sane incompertum Evangelia illa duo, quorum alterum *secundum Hebraeos*, alterum *secundum Aegyptios* dicebatur, apud has Gentes diu non levem auctoritatem consecuta esse, atque ab ipsis Apostolicis Patribus commemorata fuisse; uti ex supra animadversis constat. Vt haec explicaret Christophorus Matthaeus

Pfaffius (1) adnotabat, quod licet ipsi Orthodoxi varias confecerint διηγήσεις Evangelicas, uti Lucas initio Evangelii sui memorat, pro suo quisque genio, atque notitia, quam de rebus a Christo gestis habebat, esse tamen certum, Evangelia nostra iam ab ipso primum tempore, quo fuere conscripta, Librorum sacrorum auctoritatem apud eos, ad quos proxime pertinebant, obtinuisse, licet nondum omnibus Ecclesiis Christianis singula cognita fuerint atque perspecta, id quod vix fieri statim potuit, si consideremus nondum eo tempore librorum tam promte communicandorum facilitatem fuisse tum ob persecutiones, quibus vexabantur Christiani, tum quod ii ex plebeiis maxime hominibus, scripturae ignaris constabant. Tum de iis agens scriptionibus, quas arbitrio suo Christiani primitivi condiderunt, inquit: *Eminuerunt inter istas, quas modo nominavimus* διηγήσεις *a Luca memoratas Evangelia secundum Hebraeos & Aegyptios, e quibus plura nobis fragmenta SS. Patres servavere, satis omnino ostendentia, a Viris divinis eadem haud conscripta fuisse. Hinc nec auctoritatem suam diu retinuere, quam non alia ratione erant nacti, quam ex aliorum Evangeliorum vel nondum exaratorum, vel nondum cognitorum defectu, quin potius sequioribus temporibus penitus intercidere, Providentia divina integritati Codicis Evangelici ita invigilante, ut nihil unquam peregrini & humani illi accederet*. Sed non propter haec solum duo illa Evangelia fidem & auctoritatem primis temporibus invenere, sed ob id maxime, ut iam monuimus, quod

(1) Lect. I. de Canon. N. T.

vera continerent; & quantum ad J. C. praecipua facta spectat, similia ac in nostris Evangeliis habeantur, complecterentur. Erant nempe verae, licet non authenticae Historiae. Quod primis Christianis, atque iis, quibus has placuit citare, haud fuisse incompertum ex eo reddimur certi, quod cum eamdem semper firmissime tenuerint fidem, eademque facta crediderint, quibus Christianae veritas Religionis ostenditur, nunquam iis scriptis uti se tuto posse credidissent, nisi eadem *essentialia* facta in iis esse tradita comperissent. Sed haec duo Evangelia, quae aliquamdiu Christianis Hebraeis, atque Aegyptiis in usu fuerunt, atque inde alia quae postea aut pravo haereticorum aut inconsulto Chistianorum studio in vulgus emissa sunt, Apostolicorum Evangeliorum non elevant Authenticitatem, sed stabiliunt potius atque egregie confirmant; nam cum eadem Christiani omnes postea reiecerint, satis contemtu huiusmodi monstraverunt de quatuor nostrorum Evangeliorum canonicitate dumtaxat fuisse persuasos, tum diligentes fuisse in librorum passim vulgatorum expendenda auctoritate, neque ob hanc unicam caussam quaevis scripta arripuisse, quod ad Christi & eius Apostolorum honorem quovis modo conferre viderentur.

LV. Vt porro faciles Christianos primitivos in suscipiendis quibuscumque scriptis non fuisse defendimus, ita nec uti fallarios & assiduos apocryphorum Evangeliorum, aliorumque de Christo eiusque Apostolis Actorum architectos, quemadmodum haeretici fuere, haberi posse tuemur. Id quidem ad nauseam usque, ut diximus, Freretus occentat, parem ubique in Christianis iuxta ac in Haereticis quidlibet fingendi audendique licentiam fuisse confir-

mans (1). Quaenam Christianorum primi secundique Ecclesiae saeculi morum sanctitas, & disciplina fuerit, quantumque a mendaciis abhorrentia eorum instituta, ex Plinii ad Traianum litteris satis ostensum est; & mirifice etiam elucet vel ex ipsa apocryphorum librorum recensione quam Freretus idem exhibet. Nam ex hac apparet Gnosticos, Cainitas, Manichaeos, Encratitas, Priscillianistas, Marcosianos, Ebionitas, Sethianos, Prodici sectatores, Archonticos, Helceisitas, Montanistas, aliasque huiusmodi Ecclesiae pestes in apocryphis cudendis scriptionibus, aut in genuinis Ecclesiae codicibus & libris depravandis iugem perpetuamque operam posuisse. Non multa sunt e contra apocrypha, quorum Auctores Christiani primitivi dici possint, nec eius generis, ut cum Haereticorum fictionibus conferri ullo modo queant; & eorum denique nonnulla falsi crimine absolvenda prorsus sunt, tum perstringenda Frereti confidentia, qui, ut palam fiet, scripta Veterum nonnulla inter putidas fictiones retulit, quas tamen magni nominis Auctores notare ausi non sunt, aut satis bene defenderunt. Si principia expendas quibus Haeretici in Religionis rebus ducebantur, facile intelliges cur multa & infinita ii pene, paucissima Christiani apocrypha scripta divulgarint, ceteris repugnantibus. Cum premerentur a Catholicis haeretici, ut doctrinarum suarum momenta pro-

---

(1) *Pag.* 40. Les premiers hérétiques ne cedoient en rien à la Secte dominante dans la hardiesse des suppositions; ils ne s'appliquoient qu'à fabriquer de faux Ouvrages en faveur de leur systêmes.

ferrent, quas insanas & perversas esse ex scriptis Apostolicis constabat, nihil iam istis erat reliquum, nisi ut venerandis Catholicae societatis magnis nominibus appositis novos libros excogitarent, aut Apostolicos detestabili scelere corrumperent, vel obtorto collo ad res suas traherent. Non eo insaniae atque temeritatis Christiani compellebantur, qui satis bene Religionis suae, & dogmatum veritatem etiam sine scriptis tueri poterant; ex traditionibus nimirum ab Apostolis Ecclesiis relictis quas fundaverant, ut praestiterunt antequam Evangelia scriberentur, nec postea praestare destiterunt, ut veterum Patrum Irenaei, Tertulliani, aliorumque monumenta probant. Tertullianus cum inter Catholicos & haereticos hoc discrimen constituisset, quod illi acceptam perpetua traditionis successione doctrinam Apostolicam fideliter retinerent, hi nova superinducta veterem repudiarent, ita iure in haereticos depravationis Scripturarum crimen regerit (1): *Illic igitur* inquit & *Scripturarum & expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinae invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponendi instrumenta doctrinae: alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quae docerent: sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinae sine corruptione instrumentorum eius: ita & nobis & a nobis integritas doctrinae non competiisset sine integritate eorum, per quae doctrina tractatur. Etenim quid contrarium nobis in nostris? quid de proprio intulimus,*

(1) *De Praescript.* cap. XXXVIII.

limus, ut aliquid contrarium ei, quod esset in Scripturis deprehensum, detractione vel adiectione vel transmutatione remediaremus? Quod sumus, hoc sunt Scripturae ab initio suo: ex illis sumus, antequam aliter fuit; antequam a vobis interpolarentur. Cum ergo Ecclesiae Catholicae nunquam propositum fuerit aliter docere, quam quod ab ipsis Apostolis & scripto & traditione recepit, non potuere Christiani ex suae Religionis institutis ad nova excogitanda scripta aut vetera & Apostolica corrumpenda perduci. Totum hoc scelus haereticis merito tribuendum, qui ut novas doctrinas sic nova excogitavere Evangelia, & vetera atque divina adulteraverunt. Sed & Haereticos primorum temporum, & inprimis Gnosticos, Basilidianos, Valentinianos aliosque similes deliros homines in officinis suis apocrypha plurima cudisse, atque iis Christi Domini eiusque amicorum nomina praefixisse, ut imperitis rerum persuaderent nihil se a Christi doctrina alienum remotumque docere, tam constanter Patres omnes affirmant, ut hac re nihil certius, nihil exploratius haberi possit. Laudasse sat erit Irenaeum ita scribentem (1): *Super haec autem inenarrabilem multitudinem apocryphorum & perperum Scripturarum, quas ipsi finxerunt, adferunt ad stuporem insensatorum, & quae sunt veritatis non scientium litteras.* Non absimilia in Epiphanio, Theodoreto, Philastrio, Eusebio, aliisque legas, quibus tuto licet credere, cum affirmationes suas ipsis librorum huiusmodi confictorum locis confirment. Et de tan-

(1) Lib. I. cap. XVII. edit. Oxon.

ta quidem Gnosticorum licentia nemo dubitabit, qui principia sibi ob oculos posuerit, quibus ad absurditates suas defendendas excitati fuere. Secum nimirum constituerant, quovis modo licere veritates defendere, quas se adsequutos esse putabant, nihilque referre virtute ne, an dolo id fieret firmissime sibi persuaserant. Cum Simoni Mago originis suae initia deberent, nullam iam esse rebantur rem, turpissimam quamvis & detestabilem, quam se praestare haud posse putarent. Est autem Auctor Irenaeus docuisse Simonem (1) *secundum ipsius* (*Dei Supremi*) *gratiam salvari homines, sed non secundum operas iustas: non enim esse naturaliter operas iustas, sed ex accidenti, quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt Angeli per huiusmodi praecepta in servitutem deducentes homines*. Haec principia prae aliis Carpocratianos consectatos esse animadvertimus, qui caritate & fide nescio qua implicita solum admissa, & pro libidine excogitata, cetera omnia esse indifferentia, libereque praestari posse credidere. Ex tam impuro fonte, ac detestabili initio tot apocrypha; monumenta scilicet corruptissimi prorsus ingenii, & cerebri deliria manaverunt. Sed & aliae multiplicibus Gnosticorum familiis erant caussae, quibus accendi inflammarique poterant ad quaslibet tentendas fraudes, & falsos libros proferendos. Quas antequam explicemus duo heic cum Moshemio placeat animadvertere (2); Gnosticos nimirum primo genus

---

(1) Lib. I. cap. XX. edit. Oxon.

(2) Differt. *De Caussis supposit. Librorum inter Christianos* §. XV.

hominum fuisse delirum, superstitiosum & fanaticum; quod nemo unus negabit, qui seriem eorum universae doctrinae & commentorum qua decet attentione considerarit. Secundo hos Philosophos, si tamen hoc nomine eos appellare fas est, de sapientiae suae veritate firmiter persuasos fuisse, ut fanatici esse plerumque solent quibus pro ratione foecundior φαντασία est; at simul auctoritatem Christi eiusque Legatorum extra omnem controversiam esse positam censuisse. Qua ex re illud obiter animadvertere, atque eruere liceat maiorem nostrorum esse quam illorum temporum labem. Non in dubium a Gnosticis vertebantur Christi miracula, non eius resurrectio, conscensusque in coelum negabatur; sed hisce omnibus admissis, explicare tantum eadem nitebantur, ut systemati responderent, quod fuerant complexi, totaque eorum contentio de quibusdam doctrinarum capitibus erat. At nostra tempestate expudoratae frontis plurimi Scriptores, & adversus Christi doctrinam impie disputant, & post tot saecula facta vel negant, vel in dubium vocant, quibus tot diversarum sectarum homines, qui certe in rei veritatem accuratissime inquisiverunt, nec voluere, nec vero contradicere potuerunt. Interim Gnostici cum nollent illis, quae ad animum semel admisissent, placitis nuntium remittere, neque tamen ut Christum divinitus missum fuisse negarent, a se impetrare possent, laborandum sibi esse, inveniendamque viam intellexerunt, qua duo prorsus sibi opposita inter sese simul consociarent. Sed qui id sibi sumunt, ut duas res penitus sibi contrarias, quarum utramque tamen pro certa veraque habent, vinculo quodam iungant, ab his nihil tam stolidum est ac vecors, quod exspectari non possit. Haec duo

ſi memoria repetantur, quae dicturi ſumus de Gnoſticorum licentia in apocryphis libris cudendis, nulli incredibilia videbuntur. Improba, & perverſa factio cum Chriſti diſciplinam ab ſua prorſus diſcrepare cerneret, Chriſtum & eius Apoſtolos privatim familiares, & amicos intimiores longe alia docuiſſe, quam populo & confuſae multitudini publice propoſuerat, ſuſpicabatur. Quod Orientalibus Philoſophis in more fere poſitum fuiſſe erudite oſtendit Octavius Ferrarius (1). Quapropter Servatorem noſtrum ſanctiſſimum facile ſibi perſuadebant iiſdem legibus docuiſſe, & praeter publica omnibuſque nota praecepta, arcana quaedam & ſecreta habuiſſe, quae paucis tantum, & ſelectis Auditoribus impertiiſſet, quod conceptis verbis Irenaeus narrat (2). Eadem de Apoſtolis aegrotantis cerebri homines credenda proponebant, ut idem Irenaeus teſtatur (3). Hos itaque ſecretos arcanoſque Domini, & eius Diſcipulorum ſermones a ſe tradi & enarrari Gnoſtici affirmabant. Eoſdem inde in litteras etiam referre, & inſcitiae plenis commentationibus ſanctiſſima nomina praefigere auſos fuiſſe ecquis quaeſo magnopere demirabitur? Sed hoc inſtituto, ut laudatus Moshemius obſervat, cum nondum plane liqueret, quemadmodum qui Chriſto haud aequales fuerant, nec ab ipſius aut Legatorum eius ore pependerant, notitias tantas conſequi potuiſſent, capitali altero atque peſtifero doctrinarum ſuarum dog-

(1) De Phil. Ital. cap. XIII.
(2) Lib. I. cap. XXII.
(3) Lib. III. cap. V.

mate huic incommodo mederi nitebantur. Dicebant nempe animas se ex eodem ordine animarum accepisse, ex quo divini Servatoris anima fuerat; atque idcirco se cognitione, atque virtute minime inferiores esse. Impium commentum, quod Carpocratianis adrisisse diximus, si revera uti certum habuere, ut habuisse verisimile est, eos facile etiam ad Christi sanctorumque Virorum nomine διδασκαλίας litteris consignandas excitavit. Aliis Gnosticis alia via placuit, ut sese ab importunis interrogationibus extricarent; visionum nimirum ope Servatoris eiusque Apostolorum arcana sibi esse patefacta dictitabant; atque scientiam ex visione certiorem ea esse, quae ex commercio, & colloquio nasceretur, disputabant. Quod patet ex lepida argumentatione qua Simon Magus Petrum adoritur, & quam Auctor Clementinarum a Cotelerio editarum exponit; qui liber licet ex iis iisdem sit, qui nullo iure magnorum Virorum nomen praeferunt, clarius tamen aliis veterum haereticorum disputandi rationem & deliria manifestat. Gnosticorum perversitatem in Christo, & Apostolis supponendis libris alii haeretici aemulati sunt, in quorum sectis huiusce mali fomitem latuisse quisque facile agnoscat. Cum Religio Christiana ex adverso, ut a Christo eiusque Discipulis tradita est, nullo modo unquam hominibus ad tam impia mendacia ducem se praebuerit, sed ea continuo damnaverit, ac detestata sit, inde efficitur maximam partem tam malae notae librorum, qui primis temporibus eruperunt, ab illis nequitiae magistris profectam fuisse, atque adeo calumniose Freretum agere, qui ex non multis apocryphis a Christianis non primo quidem, sed insequentibus saeculis procusis parem eorumdem cum Sectariis ne-

quissimis licentiam fuisse commentus est. Quantopere primi illi Christiani proxime a Christo edocti veri amantes fuerint iam admonuimus; neque hanc veritatem labefactat, quod affert ex Actis Apostolicis Freretus, & perversissime interpretatur (1). Nam quod scripsit Lucas (2): *de Secta hac notum est nobis, quod ubique ei contradicitur* nullo modo significat ubique ceu falsa habita fuisse mirabilia illa J. C. opera atque prodigia, in quibus Religionis suae veritatem, atque praestantiam Christiani collocabant, sed Gentes Christianismi progressus omnino mirabiles remorari fategisse. Iisdem nimirum caussis fuere tunc temporis vexati Christiani, quibus postea Celsus, Porphyrius, Julianus, atque alii commoti in Christianam societatem stilum acuerunt, ut Lucas Holstenius monet (3). Dolebant nimirum homines a vero Dei cultu aversi Maiorum suorum sacra ac Religionem, quae tot annis obtinuerat, invalescenti ubique Christianismo locum cedere; quem nullis iam legibus prohiberi, nullis suppliciorum exemplis extirpari posse videbant, sed pressum latius se dif-

(1) *Pag.* 20. L'auteur des Actes des Apôtres, *c.* 28. *v.* 22. nous apprend que l'on contredisoit par-tout la nouvelle Secte des Chretiens. *Nam de Secta hac &c.* C'est-à-dire, que par tout on s'inscrivoit en faux contre les oeuvres miraculeuses sur lesquelles se fondoient les defenseurs de la Religion nouvelle; & l'auteur ancien du Dialogue avec Trifon assure que les Juifs envoyerent partout pour déclarer qu'il ne falloit point ajouter foi aux merveilles que les Chrétiens attribuoient a J. C.

(2) Act. XXVIII. 22.

(3) De Vit. & Scrip. Porphyrii cap. XI.

fundere & Civitates ac Provincias omnes pervadere; iamque Numinum suorum templa passim vel deseri, vel dirui, vel in Ecclesias mutari. Hinc Christianos publicos hostes sacra, profana omnia convellere, καὶ τὰ ἀκίνητα κινεῖν clamabant. His publicae calamitates veluti ab irato Numine immissae tribuebantur: quod Christi adventus reliquam Numinum turbam terris expulisset. Ceterum tantum abest ut falsi tunc temporis arguerentur Apostoli quasi de Christo fabulosa iactarent, eique adscriberent prodigia atque miracula quae nunquam visa fuissent, ut eadem ipsi coram Hebraeis Ethnicisque firmissime praedicarent, eosque ad illa credenda perducerent, qui acriter antea repugnabant, nec quidquam unquam ab iis, qui in superstitione manebant, afferretur quod ea labefactaret. Vel unica concione, in qua Petrus Christi a mortuis nunciaverat Resurrectionem, tria millia Judaeorum Christo nomen dedisse eadem, quae Freretus obiicit, Apostolorum Acta testantur (1), indeque quinque millia idem fecisse. Quod clanculum Judaei & per calumniam adversus homines praestitere, qui publice docebant, & qui facta narrabant toti Hierosolymorum Vrbi comperta, nihil moror; quum satis superque ostensum sit quibus fuerint caussis inducti ad J. C. verum Messiam repudiandum. Quamquam vero omnem pene infamiam, quae a falsorum librorum artificibus abesse nequit, ad haereticos dixerim pertinere, qui tuendae haereseos caussa ad id sceleris ducebantur, non ad Christianos, quorum

(1) I. 41. IV. 14.

ſanctiſſima erat inſtitutio; quia tamen nihil eſt notius quam optime etiam inſtitutos in actionibus & vitae ratione longe aliam quandoque normam ſequi, propterea non eſt negandum ex Chriſtianis primitivis nonnullos Evangelia aliaque Acta ab ſe confecta Apoſtolicis viris tribuiſſe. Quo ſatis ſe verae ſapientiae ignaros, vehementiori vero quam decebat in Religionem Chriſtianam ſtudio inflammatos oſtendêre. Sed dolos huiuſmodi & fraudes inepte ad ſui cauſſam fulciendam, & ſuſtentandam Freretus advocavit. Et quoad primum Eccleſiae ſaeculum pertinet praeter quatuor Apoſtolica Evangelia, tum duo illa *ſecundum Hebraeos & Aegyptios* nulla alia prodiiſſe videntur. At duo haec fabulis romanenſibus accenſenda non eſſe pluries diximus. Certe Evangelium *ſecundum Hebraeos* multa adeo Evangelio, quod ſecundum Matthaeum eſt, ſimilia complectebatur, ut Epiphanius idem cum iſto fuiſſe crediderit. Alia inde ſaeculis inſequentibus prodiere Evangelia partim ſtudio Chriſtianorum partim opera haereticorum; ſed utraque non tot quidem fuerunt, quot fuiſſe eorum tituli videntur perhibere; nam uni eidemque multiplex nomen ſaepe inditum fuit, ut probant Beauſobrius, & Joannes Albertus Fabricius praeſertim, qui illorum Evangeliorum fragmenta titulosque exhibiturus ita ſcribebat (1): *Titulos collegi quinquaginta ſed ex his plures tituli, unum tantum, ut oſtendi, deſignant ſcriptum. Itaque numerus ita contrahendus fuit, ut ſingulis genuinis Evangeliis*

(1) *Cod. Apocryph. N. T.* P. I. pag. 335. edit. ſec.

Evangeliis dena circiter responderent apocrypha Evangelia. Fieri non potuit quin res tantae a Chrifto eiufque Difcipulis peractae, quae novae Religioni originem dederant, multorum ad fcribendum ftudia commoverent. Certe nedum mirari debemus extitiffe multos, qui non fatis accuratas inftituerint enarrationes rerum Ecclefiae initiis geftarum, ut e contrario maior videretur effe cauffa mirandi fi res aliter contigiffet. Cum mirum in modum auctus effet numerus Chriftianorum, & vulgo, ut fit, audirentur querelae curioforum de paucitate monumentorum Apoftolicae aetatis; ex quibus perpauca de Apoftolorum itineribus & praedicatione Evangelii per totum terrarum Orbem fcire licebat; tum nulla fere de Chrifti Domini infantia & pueritia genuini Evangeliftae tradidiffent, homines exorti funt, qui diverfis de cauffis utrumque defectum fupplere voluerunt. Si Evangelia quae Chriftiani Scriptores confecerunt evolvantur, nulla mora conftabit Apoftolica eos fibi ad imitandum Evangelia propofuiffe, tum ea divinari voluiffe, quae illorum Auctores praetermiferant. Id vero ut praeftarent traditiones Chriftianorum Veterum exploraverunt, qui nimirum Apoftolorum difcipulos forte audiviffent. Si ad Evangeliorum demum, quae ad haerefes ftabiliendas heterodoxi finxerunt, fragmenta animum convertas, tum maxime illud excutias quod *de pueritia & miraculis* J. C. infcriptum a Cotelerio primum, tum a Mingarellio ex Cod. Bibliothecae SS. Salvatoris Bononiae Graece integrum Venetiis editum eft, facile agnofces quodnam Auctoribus confilium fuerit; in hoc enim puer Jefus irarum plenus, atque aliorum puerorum interemtor inducitur, quod praeter alia Manichaeorum abfurditates fapit, quibus in ufu fuit;

Sed statim hisce omnibus Evangeliis genuina Apostolorum Commentaria, horumque Versiones fidem penitus detraxerunt, adeo ut paucissima integra supersint, reliquorum autem tantum fragmenta brevissima, vel nudi tituli apud Ecclesiae Patres reperiantur. Ineptiit tamen Freretus dum tantam farraginem apocryphorum ostentavit; nam cum haec omnia Scripta, quamvis a partibus plerumque dissentientibus evulgata, nobis referant Christi Domini Resurrectionem Ascensionemque ad coelum, tum cetera eiusdem miracula, potius sane confirmant in hac parte testimonium illud, quod de Christo Evangelistae nostri reddiderunt, quam illorum imminuant auctoritatem. Apocryphorum praeterea copia ingensque numerus fingendi quidem licentiam, non universi Christianorum coetus ostendit credulitatem, apud quos illa nunquam universim fidem meruere. Decipi quidem Christiani non pauci ad tempus potuerunt, at vero omnes, tum Ecclesias universas scriptis suffragium adiecisse, quae mera hominum essent figmenta, id vero est quod a nemine incredulorum hactenus ostensum fuit. Si certe repugnat ut error palam & aperte praedicatus, nec tamen cognitus fuerit; multo magis ut cognitus nullas dissensiones excitarit. Necesse profecto fuit omnia gravissimis odiis & discordiis permisceri, nisi ex duobus aeque absurdis & stultis alterutrum fingamus; vel eas omnes Ecclesias quibus falsa fuere Evangelia proposita, aut rumore aliquo cognita, statim atque libenter manus dedisse; vel sin minus assenserunt, saltem cum mendacibus Evangeliorum architectis concordiam in fraudem iniviſſe, eamque silentio compressisse. Sed quominus id suspicari vel levissime possimus, atque Ecclesias universas fraudi

tantae cessisse dicamus, prohibet status praeclarissimus Ecclesiarum, quo tum eas floruisse scimus cum nostra Evangelia nota solum esse coeperunt ut Freretus contendit. Extabant adhuc infiniti propemodum Presbyteri & Episcopi, qui Apostolos, aut Discipulos J. C. viderant cum animum Justinus ad defensionem Religionis appulit. Plerique Christiani vitam ipsam profundere parati exsilia, carceres, & bonorum iacturas in minimis rebus ducebant, modo ea dogmata sarta tectaque custodirent, quae Evangelia nostra continebant. Quomodo ergo qui nec metu, nec suppliciis adduci poterant ut fidem desererent, ii fraude proposita victi omnes & fracti spuria scripta & plenas fabulis historias receperunt? Quomodo Ethnici, quos Apologiis urgebant, de errore tanto Christianos non monuere, neque iis exprobrarunt quod scriptis non authenticis uterentur, ut factum scimus cum libros Sibyllinos iidem adducebant? Non ut in aliis disciplinae capitibus, ac de ea controversiis, ita in ista pacis & concordiae ratio iniri poterat, ut quod quisque recepisset, id pacifice retinendi veniam peteret & vicissim daret. Varia disciplinae instituta ad Apostolos referri poterant, fidei varietas & aliquando historiae, quae ex novis libris atque Evangeliis enascebatur, referri non poterat. Videtur autem non alio consilio conficta Evangelia obtrudi potuisse, nisi ut nova dogmata, nova etiam & inaudita facta de Christo inveherentur. Ut haec ostendunt fictas ab haereticis de Servatore historias recipi ab Ecclesiis, & Christianis universis non potuisse, ita cum sit manifestum nullam unquam viguisse dissensionem circa Evangelia Apostolica, plane videtur concludi posse Ecclesias universas earumque alumnos de illorum authenticitate firmissime persuasos

fuisse. Contrarium certe sine summis odiis atque contentionibus, de quibus tamen altum est apud Veteres silentium, non potuisset evenire. Notae sunt, omnibusque compertae controversiae, quae de die celebrandi Paschatis, tum de haereticis ad Ecclesiam redeuntibus denuo baptizandis excitatae fuere propter traditiones, quas ab aliis diversas Asiaticae, & Africane Ecclesiae sequendas dicebant. Tot igitur Ecclesiae, tot Episcopi non conticuissent si falsa Evangelia inter Christianos ea aetate, qua erat facillimum rei nancisci veritatem, auctoritatem obtinuissent. Fieri non poterat, ut ubique concors ac una vigeret traditio, si Evangelia eorum haud opus fuissent, quorum nomen gerunt. Non Christianis Ethnici haereticique assensissent. Tandem aliquando eorum opera & studio fraus detecta fuisset. Viguerunt aliquot saeculis inter Christianos nonnullae Romanorum Pontificum *Decretales*, sub finem septimi saeculi pia fraude confictae, postea que reiectae (1); sed ex hac apocrypharum scriptionum fortuna colligi non debet idem de aliis scriptis generaliter modo receptis pronunciari posse. Quod facillimum est demonstrare; nam primo falsae illae *Decretales* neque generalem in favorem sui habuere consensum constantemque traditionem; neque semper, neque ubique viguerunt. Non eiusdem erant dignitatis ac sint Evangelia, non eiusdem necessitatis, adeoque nec eadem cura expensae sunt, quia non eadem ad illarum examen necessitate homines ducebantur. Prodiere demum non claro saeculo, cum ex adverso

---

(1) Vid. Card. Bona lib. I. *Rer. Liturg.*

praeclara facta, quibus Religionis Christianae veritas stabilitur, & Evangelia saeculo vulgata fuerint, quo nullum antea ingeniorum praestantia illustrius, nullum pravitate morum inquinatius fuit. Nec sane magis efferre sese suamque mortalibus divinam plane vim ac virtutem probare lex Evangelica potuit, quam cum de sibi maxime oppositis dispositionibus animorum quemdam quasi triumphum mirabiliter reportavit. Secundo autem saeculo quo eadem magis ac magis invaluit, floruisse scimus Cornelium Tacitum virum Consularem, Plinium Juniorem, Plutarchum, Frontinum, Favorinum Sophistam, Epictetum Philosophum Stoicum, Arrianum, Florum, Suetonium, Justinum, Appianum, Diogenem Laertium, Ptolomaeum, Sextum Empyricum, Numenium, Apuleium, Pausaniam, A. Gellium, Athenaeum, & alios non paucos, quorum studio fraudes suboluissent factorum, quibus Christiana Religio nitebatur. Vel ab initio editionis suae Evangelia omnibus fuere prae manibus curaque diligenti sunt expensa ob res quas complectebantur longe maximas, atque ad universum hominum genus spectantes. Atqui post decem & septem saecula nullum hactenus in illis suppositionis indicium ne ab iis quidem deprehensum est, quibus cordi erat Evangelii iugum abiicere. Diverso modo de iis Pontificum *Decretalibus* videtur differendum, quae cum ad singulares homines referrentur, non adeo omnium studia, curasque excitavere. Ita haec atque alia quae hominum curiosorum vel ad fraudem compositorum commenta fuerant, tandem sunt agnita, & Patrum Scriptorumque veterum execratione tantum famosa insequentibus saeculis evaserunt. At Apostolorum de vita rebusque

a J. C. geſtis Commentaria ceu a Viris conſcripta divino ſpiritu ſapientiaque affluentibus nullo non aevo maximo in honore fuerunt, ſemperque in iis contenta praecepta omnium nobiliſſima ſummorum fuere hominum laudibus ſtudiiſque celebrata. Ad Philoſophorum manus pervenere; cumque cognoviſſent hi eorumdem Auctores multo ſanctius & caſtius de officiis hominum erga Deum & alios expoſuiſſe iis, qui ante natum Servatorem eadem de re libros ediderant, multa N. T. praecepta de vita pura inſtituenda in libros ſuos aperte tranſtulerunt. Haec quam vere ſint dicta qui ſibi perſpectum eſſe cupit, is aut Hieroclis adeat Commentarium in aurea carmina Pythagorae, aut alterum Simplicii in Enchiridion Epicteti, in quorum utroque tot extant praecepta moralia, ipſis fere Apoſtolorum verbis explicata, nullum ut dubium cuiquam eſſe poſſit, quin hi Philoſophi ſacris ex Litteris furtim ea ſurripuerint. Ceterum doctrina Chriſti philoſophicarum Sectarum gloriam longe ſupergreſſa, & luminis quo nitebatur praeſtantia cognoſcendique principii auctoritate, & veritatum coeleſtium efficacia in mente humana, & rerum in hac doctrina detectarum excellentia ſe commendans, tantum ſuper omnia Philoſophorum ἑυρήματα caput extulit,

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

LVI. Etſi vero conceſſerimus veteres Chriſtianos a piis interdum non abhoruiſſe fraudibus, minuſque accuratas, aut falſas etiam conſcripſiſſe hiſtorias, non nobis tamen eſt animus ſingula probare quae hac de re obſcura & inani diligentia conſarcinavit Freretus, ut illos falſarios eſſe demonſtra-

ret. Sunt enim in eo, quem confecit, librorum apocryphorum Catalogo non pauca, quae a Christianis temere conficta fuisse pronunciat; non alia plerumque ratione momentoque ductus, quam libidine primitivos Religionis Christianae adseclas, nobilissimosque Scriptores eiusdem fastorum criminandi. Sed quum longa nimis, nec omnino aut necessaria aut utilis disputatio videretur si expenderentur singula quae commiscuit, de Actis Pilati ad Tiberium postremo hoc Operis nostri capite praecipue differemus; nam in iis ille plurimum se amavit. Iustinum Martyrem igitur ut minus criticum, Tertullianum autem ut credulum traducit quia alter in Apologia II. ad Antoninum Imperatorem ad Acta quaedam a Pilato confecta de Christo digitum intendisse videtur, alter autem quia conceptis verbis hunc Judaeae Praesidem de rebus a Servatore gestis patratisque prodigiis certiorem Caesarem reddidisse affirmavit. Haec probari nulla ratione Freretus putat, contenditque laudatos Scriptores aliosque, qui eadem narravere, Actis a Christianis effictis in errorem fuisse perductos. Quod se eruere etiam posse credidit ex ipsius Tertulliani verbis, quae huiusmodi sunt (1) in Apologetico adversus Gentes: *Apud vos de humano arbitrio divinitas pensitatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius esse debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Christianum in saeculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palaestina, quae illic veritatem ipsius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus*

(1) Cap. V.

quia non ipse probaverat respuit. Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Tum praemissa brevi Christi prodigiorum gestorumque analysi ita subdit: *Ea omnia super Christo Pilatus & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nunciavit: sed & Caesares credidissent super Christo, si aut Caesares non essent saeculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Caesares.* Ita eo in libro Tertullianus, quem anno Christi CXCVIII. scriptum fuisse demonstravit Moshemius in Disquisitione Chronologico-critica de vera aetate Apologetici a Tertulliano conscripti ad Sigebertum Havercampium. Praeiverat Tertulliano Justinus, tum idem summi viri ab ea aetate ad nostram usque, si Tanaquillum Fabrum Vandalaeum aliosque non multos excipias, ita tradiderant, ut contradicere summae temeritatis, atque audaciae esse videretur. Scriptor est quidem Christianus Tertullianus, sed non obaesae naris, sed fidei nihilo magis suspectae, cum haec obiecerit Senatui ipsi Populoque Romano, qui rei falsitatem facile deprehendisset ex publicis Commentariis, iisque potissimum, quibus res sub Pilato gestae continebantur, & quorum fidem non semel Justinus imploravit. At supponit Tertullianus, inquit Freretus (1), persecutionem tunc temporis

(1) *Pag.* 25. & *seq.* Tertullien suppose qu'il y eut pour lors une persecution, ce qui ne paroit pas s'accorder avec l'histoire. Enfin cette piece si favorable au Christianisme, n'a pas été connue des premiers Apologistes chrétiens. Ils n'en firent point usage lorsqu'ils tâchérent d'engager les Empereurs à leur accorder leur prote-

temporis in Christianos efferbuisse, quod repugnat historiae. Ita quidem; sed in adductis locis vigentis persecutionis non meminit Septimius, nisi meminisse verbis iis velis *Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum*; quae tamen non aliud indicant, quam res Christianorum eo tempore turbari coepisse. Quod esse verissimum vexationes non multo post excitatae declarant, & odium persuadet, quo illos Ethnici sunt perpetuo persecuti. Sed cur, addit, Christiani Apologistae Tiberii de Christo iudicium Imperatoribus non memoravere quorum patrocinium implorabant? Cum Apologiae vetustiores perierint, ea de re nullam in iis mentionem factam esse pronunciari fidenter adeo non potest. Quamquam etsi ante Tertullianum nemo unus Apotheosis Christo a Tiberio decretae meminisset non liceret propterea Scriptorem illum tanquam credulum notare, caussam Religionis coram iis agentem, qui facillime non sine Christiani nominis de-

---

protection: elle doit donc être suspecte dès lors, suivant cette regle de critique: tout fait, qui est très favorable à une cause, & qui n'a point été employé par ses defenseurs, lorsqu'ils étoient à portée d'en connoître la verité, doit être regardé comme incertain, dès qu'il n'a pour gârans que des Auteurs qui ont écrit deux siécles après le tems où l'on suppose que le fait s'est passé; sur tout si l'on ne se faisoit aucun scrupule de supposer des ouvrages & d'inventer des fables pour soutenir la cause. Eusebe rapporte cette même histoire, mais comme il ne fait que copier Tertullien, il n'ajoute point une nouvelle autorité a ce recit.

risione atque ludibrio sugillassent; sed hoc unum posset legitime concludi, Septimium id esse factum ex Romanorum Archivis novisse, quod Christianae disciplinae ceteri vindices ignoraverunt. Denique a vero abhorrere Freretus (1) arbitratur, quod narrat Tertullianus, Senatum scilicet Romanum respuisse, quod placuisset Tiberio, cum Tacito auctore summam ostentaret Caesar sua pro natura & ingenio auctoritatem, atque voluntati suae maxime obnoxium subiectumque Senatum haberet. Sed is Tiberius fuerit; constat tamen animi moderatione fuisse tanta, ut sibi suisque consiliis Senatum non acquiescere, ubi id iusta ratio postularet, haud gravate ferret: *Quaedam*, inquit Suetonius, *adversus sententiam suam decerni, ne quidem questus est*. Imo cum vocem minus latinam seu forte barbaram aliquando usurpavisset, quam idcirco honoris gratia usu imposterum recipiendam & iure latii donandam aliqui dictitabant, Marcum Pomponium Marcellum morosum verborum exactorem ob id obstrepentem, atque ita libere pronunciantem aequo animo tulit:

(1) *Pag.* 25. Quoique plusieurs Auteurs aient admis le récit de Tertullien & qu'ils s'en soient même servi comme d'un argument très-favorable à la Religion Chrétienne, Vandale l'a rejetté neanmoins comme une fable, & ce n'est pas sans raison, car il y a deux grandes difficultés contre cette histoire. La premiere est tirée du caractére imperieux de Tibére & de la bassesse du Sénat de ce tems. Tacite nous apprend qu'il étoit si servilement soumis à ce Prince qu'il ne songeoit qu'a prevenir tous ses caprices. Secondement Tertullien suppose &c. *ut supra.*

Tu, Caesar, civitatem dare potes hominibus, verbis non potes, ut scribit Dio Cassius (1). Post haec mirabimur adhuc Romanum Senatum optatam a Caesare Christi Domini Apotheosim reiecisse, idque aegre tulisse Tiberium? longe minus mirabimur si caussas pensitemus, quae Senatum ut repugnaret impulerunt. Prima a vetustis Ecclesiae Patribus accurate animadversa, haec fuit; quod antea Christo Domino divini honores delati fuissent, quam integra ad Senatum denuntiata res esset. Quare praereptam sibi sacrorum honorum decernendorum auctoritatem cum ferret aegerrime, Apotheosim a Tiberio licet expetitam noluit decernere. Altera, quod nisi ceteris Gentium Diis sua sede pulsis eiectisque, Jesus solemni Apotheosi consecrari nequiret; quippe qui solus coli vellet; neminemque divinorum honorum consortem pateretur. Tertia quod Christum cernerent, paupertatis, humilitatis, patientiae assertorem; quibus omnibus nihil magis Romano Imperio, quod armis stabat & opibus, contrarium videbatur. Quarta quod externa Sacra non ita pridem Senatus Augustus, ut legitur apud Livium (2), recipi vetuisset. Quinta quod infami supplicio Christus fuisset affectus, Judaeis quidem popularibus suis instantibus atque urgentibus; at viro Romano sententiam pronunciante. His omnibus caussis, quas Serrius adversus Tanaquillum Fabrum differens in medium post Pearso-

(1) Lib. LVII.
(2) Lib. XXXIX.

nium affert (1); accedit etiam quod apud Romanos Judaica gens infamia laboraret, quam his verbis iam ante notaverat Cicero (2): *Sua cuique civitati religio, Leli, est, nostra nobis. Stantibus Hierosolymis, pacatisque Judaeis, tamen istorum religio a splendore huius Imperii, gravitate nominis nostri, Maiorum institutis abhorrebat: nunc vero hoc magis quod illa, quid de Imperio nostro sentiret, ostendit armis; quam cara Diis immortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata*. His ut ad negandam Christo Domino Apotheosim divini iudicii sapientia fecit; ne Christus falsorum Numinum instar, divinitatem ab hominibus precario accepisse videretur; neve Christiana Religio toto Orbe prope diem diffundenda Romani Senatus iudicio atque praesidio tuta eiusdemque auctoritate propagata censeretur. Quamquam si attentius Tertulliani narratio expendatur, ex ea non colliges Tiberium suprema usum auctoritate a Senatu postulasse, ut Christo divini honores tribuerentur, sed rem proposuisse tantummodo quae si fieret suum ipsius accederet suffragium *Tiberius detulit ad Senatum cum praerogativa suffragii sui*. Quod tentasse Tiberium Christi operum admirabilitate permotum, etsi eius Religioni minime addictum non est vero absimile, cum etiam Alexander Severus, referente Aelio Lampridio Ethnico de extruendo Christo templo eumque inter Deos recipiendo aliquando cogitarit. Quamquam insigniter fortasse Tiberio Senatus assentari voluit, ne Apotheosim recusanti Chri-

(1) Exercit. LXV.
(2) Orat. pro Flacco.

ſtum praeponere eoque praeſtantiorem credere videretur. Non ſunt ergo ut nimis creduli Juſtinus atque Tertullianus traducendi, neque Chriſtiani primitivi tanquam falſorum Actorum artifices habendi ſunt, quibus fuerint illi decepti; eo vel maxime, quod mos eſſet receptiſſimus, ut praeſides Provinciarum ſi quid gravioris momenti contigiſſet vel Principi vel Senatui renuntiarent: *Cum per omnem iam locum*, inquit Euſebius (1), *de Reſurrectione, & mirabilibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione eius ad coelum felix fama loqueretur; ac per omnium aures beati huius rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, ſi quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi vel Senatui nunciarent; ut ne ex his, quae gerebantur, ignorare aliquid viderentur; de Reſurrectione a mortuis Domini, & Salvatoris noſtri J. C., quae iam in omnem locum fuerat promulgata Pilatus Tiberio Principi refert.* Non ſunt Acta de Chriſto, quae ad Tiberium Pilatum miſiſſe Juſtinus, Tertullianus, Lucianus, aliique ſcripſerunt, cum iis confundenda, quae interpolata a Paganis prius, Maximinus poſtea latius publicavit, & in ſcholis legi & ubique cantari ad Chriſtianorum opprobrium iuſſit, ut ab Euſebio memoriae proditum eſt (2); haec enim Chriſtiani prorſus reiecerunt. Diſtinguenda ſunt pariter Oracula illa Sibyllina, quae antiqui Patres, Juſtinus praecipue & Theophilus Antiochenus commendarunt, ab iis quae poſtea in libros fuere con-

(1) H. E. Lib. II. cap. II.
(2) H. E. lib. I. cap. IX.

iecta, qui *Sibyllini* dicuntur, aetate nostra adhuc superstites; nam illa Sibyllarum oracula ante Christi adventum extitisse, Virgilii (1), aliorumque testimonio docemur. Haec autem oracula a Justino & Theophilo laudata fuisse, summamque illis esse tributam auctoritatem cum adversus Gentes disputarent Freretus imperite miratur. Nam ut de Justino primum dicamus, supponit Martyr sanctissimus Scriptores Veteres, quos Ethnici ceu magistros & institutores suos venerabantur *divina rerum humanarum Providentia coactos esse multa nobiscum facientia vel invitos dicere* (2); atque horum in numero Orphaeum ponit, Homerum, Solonem, Pythagoram, Platonem, atque Sibyllam, quam veluti vatem a Platone & Aristophane habitam fuisse scribit: *Quid autem*, inquit (3), *per vaticinia de uno & singulari Deo antiqua illa & admodum vetus Sibylla, quam Plato & Aristophanes & plures alii, ut vatem, commemorant, necesse est referre &c.* Quae confirmaturus (4) pronunciat Sibyllae *vaticinia ex potenti afflatu edita ad Prophetarum doctrinam prope accedere*. Quibus similia alibi repetit (5). Eadem Theophili in Libris *ad Autolycum* sententia fuit, cum de Gentium Philosophis ac Poetis scribit (6) *quod volentes no-*

(1) Eclog. IV. vide Nourrium tom. I. Apparat. ad Biblioth. PP. dissert. XII. col. 256.
(2) Cohort. ad Graecos num. 14.
(3) loc. cit. num. 16.
(4) loc. cit. num. 37.
(5) loc. cit. num. 38.
(6) Lib. II. num. 37.

lentes consentanea Prophetis dixerunt; ac rursum dum, de iisdem ac Sibylla ait (1): *Sibylla igitur & reliqui Prophetae, sed & Poetae & Philosophi, & de iustitia & iudicio & poenis pronuntiarunt; ac de providentia, Deum nostri curam gerere non solum viventium sed etiam mortuorum vel inviti dixerunt: vincebantur enim a veritate*. Haec si consideraſſet Freretus non eſſet miratus (2) parem fere a Patribus Sibyllarum oraculis tributam auctoritatem fuiſſe atque Vaticiniis Prophetarum, illarumque teſtimonia Gentibus obiecta fuiſſe apud quas certe ſumma erat Sibyllarum auctoritas; & opinio etiam veteris ſapientiae magiſtros divino numine adflatos fuiſſe, ut ſupra ex Iuliano monuimus. Multo minus reprehendi Patres poſſunt, quod Sibyllas prophetaſſe crediderint; nulla enim hac in opinione apparet repugnantia, cum poſſit Deus dona gratis data cum ipſi viſum fuerit expedire, etiam impiis tribuere. Ita Balaamum Idolorum cultorem cum dixit: *orietur ſtella ex Iacob &c.* verum Prophetam egiſſe Scriptura teſtatur. Ita Caipham, ſceleratiſſimum Pontificem, verum prophetaſſe cum dixit: *Expedit ut unus moriatur*, certiſſima res eſt. Ceterum libros Sibyllinos,

(1) Lib. cit. num. 38.

(2) *Pag.* 38. A peine les livres Sibylliens parurent-ils que Juſtin les cita dans un diſcours adreſſé a Marc'Aurele & à Lucius Verus; depuis ce tems les Chrétiens en employoient l'autorité avec la même confiance que ſi elle ne pouvoit pas être revoquée en doute. Theophile, Clement d'Alexandrie, Lattance, & Auguſtin mettent les preuves qu'ils en tirent à peu-près dans la même claſſe que celles que fourniſſent les livres de l'Ecriture.

ut modo extant, post Christi adventum elaboratos fuisse Frereto concedimus, an vero ea de caussa fuerint conficti, ut Ethnici deciperentur, non facile prudens quisque definiet. Nonne Proba Faltonia res a Christo gestas Virgilii carminibus expressit, quin tamen posteris imponere voluisse dicatur? Interim Patres cum stili quamdam conformitatem inter istas prophetias atque illas, quae apud Ethnicos ferebantur, animadvertissent, utrasque ab eodem Auctore profectas fuisse crediderunt bona fide, easque absque dolo illis obiecerunt. Sed non omnes his assensere Patres ut vel ipse Freretus confitetur (1); argumentum sane non leve, unde doceamur non omnia excepisse Christianos quae Religioni faverent, tum vel interpolatum vel confictum opus universae nunquam Catholicae societatis consequutum esse approbationem. His alia bene multa adiecit Freretus de libris apocryphis a Christianis effictis, sed post accuratissimas illustrium Criticorum animadversiones non esset operosum ostendere immerito Christianos veteres tanta censura vexari. Egit de his Bergierius vir doctus, & multiplici iam ad-

(1) *Pag*. 40. Il faut rendre justice à quelques Chrétiens. Origene nous apprend qu'il y en avoit qui ne vouloient pas qu'on se servit de l'argument tiré des Sibylles: ils appelloient même Sibyllistes ceu qui s'en servoient: ce qui a fait tant d'impression sur Origene qu'il n'a pas eu recours à leur autorité. Il ne vouloit pas donner de prise à son adversaire, qui accusoit les Chrétiens d'avoir corrompu les ouvrages des Sibylles. On remarque cette même retenue dans Tertullien, dans S. Cyprien; dans Minutius Felix.

versus incredulos inito feliciter praelio celeberrimus. Ac in huius quidem viri etiam quo ad cetera conquievissem ipse laboribus, nisi iam animadvertissent Eruditi praeclarum Scriptorem totius Freretiani libelli refutatione suscepta, novis vestigiis locum reliquisse. Itaque complevi primum multa, atque explicando illustrare conatus sum; tum vero cum in litterario etiam bello sua cuique pugnandi ratio sit, & varium ac multiplex armorum genus, quibus hostem aggredi liceat, sic susceptae caussae vindicias variata paullulum methodo instruxi, iisque Freretum argumentis urgendum esse putavi, quae ille vel levissime tantum attigit, vel omnino praetermisit. Quod quidem dico non ut eius qui ante me in hoc curriculo versatus est aut imminuam laudem, aut maiorem mihi tribuendam velim, sed ut videri possim neque actum egisse me, neque in rebus non necessariis operam posuisse.

F I N I S.

Pag. 233. *lin.* 1. Sectarum — *lege* Ecclesiarum.

FACVLTAS

REVERENDISSIMI P. MAGISTRI ORDINIS.

Nos Fr. Joannes Thomas de Boxadors S. Theologiae Professor, ac universi Ordinis FF. Praedicatorum humilis Magister Generalis & Servus.

H*Arum serie, nostrique autoritate officii facultatem concedimus, quantum in Nobis est, typis vulgandi Opus cui titulus*; F. Vincentii Dominici Fassinii Ord. FF. Praed. in Pisana Academia Sacrarum Litterarum Prof. de Apostolica Origine Evangeliorum Ecclesiae Catholicae Liber singularis adversus Nicolaum Freretum, *dummodo a duobus Ordinis nostri Sac. Theologiae Professoribus praelo dignum iudicetur, ac serventur cetera de iure servanda. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti. Amen. In quorum fidem &c. Dat. Romae in Conventu S. Mariae supra Minervam die* 9. *Junii A.* 1775.

Fr. Joannes Thomas de Boxadors
Magister Ordinis.

Reg. Pag. 37.
Fr. Dominicus Vincentius Maria
Bertucci Magister Provincialis
& Socius &c.

APPROBATIO
THEOLOGORVM ORDINIS.

JUssi a Reverendissimo Patre, F. Joanne Thoma de Boxadors, Magistro Generali totius nostri Ordinis Praedicatorum, librum singularem A. R. P. F. Vincentii Fassini Ord. Praed. in Pisana Academia Sacrarum Litterarum Professoris publici, qui de Apostolica Origine Evangeliorum Ecclesiae Catholicae adversus Nicolaum Freretum *inscribitur, attente legimus, ut si quidpiam veritati minus cohaerens in eo deprehenderemus, ipsi ea, qua Theologos decet, sinceritate significaremus. Verum non solum nihil aliqua censura dignum reperimus, quinimo Cl. Auctorem contra Freretum multa tollendae Sacrorum Evangeliorum Apostolicae originis caussa, fraudulenter perverseque iactantem non modo vincere, sed quaquaversus expugnare testamur. Eum itaque librum ad obstruendum os iniqua loquentibus, ut typis imprimatur, dignissimum censemus.*

Romae in Aedibus S. Mariae super Minervam Nonis Junii Anni MDCCLXXV.

Fr. Dominicus Justiniani O. P. S. T. M. Bibliothecae Casanatensis Praefectus.

Fr. Hyacinthus Maria Bonfilius Ord. Praed. S. T. Magister & Cathedraticus Casanatensis.